


Acta eruditorum Lipsiensia, anno 1682 à 1776

Digitized by Google

Hi 9585

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT


773

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM

ANNI

MDCCLXXII.

publicata

Cum Serenissimi Electoris Saxoniae Privilegio.

LIPSIAE

Prostant apud IO. FRID. GLEDITSCHII et LANCKISII heredes.

Venduntur etiam Romae apud PAGLIARINOS: Venetiis apud IO. BAPT. ALBRIZZIUM: Bononiae apud LAELIUM della VOLPE: Parisiis apud BRIASSONUM: Olyssiponae apud BORELLUM, MARTINUM, et SOCIOS: Ultraiecti apud ABR. van PADDENBURG: Lugduni Batavorum apud LUCHTMANSIOS: et Amstelaedami in SCHREUDERI officina.

MDCCLXXIV.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

CAROLVS ANDREAS BEL. D.



Dum novum Tibi Actorum Eruditorum Volumen tradimus, Lector, salutamus Te in limine, Tibique agimus gratias decentissimas, quod veteri nos benevolentia prosequi, studiaque nostra, non solum adsensu Tuo, nobis perbonorifico, sed etiam symbolis conferendis, tam praeclare sustentare non desinis. Nec profecto, praeter hanc, aliam praefandi causam habemus. Nam excusare tarditatem, qua procedunt haec Acta, apud viros eos, qui quam ingratus labor sit, quamque saepenumero anceps atque periculosus, iudicare de aliorum laboribus, intelligunt, non est necessum. Quae aliae instituto huic nostro remorae iniiciuntur, de iis dicemus alio tempore. Crabrones irritare nunc nolu-

mus. Vincemus omnem hanc hominum quorundam, forte et temporum iniquitatem, patientia laborum, ſtudioque pertinaciſſimo; ſperamusque, imo confidimus etiam, nos effecturos ea ratione, ut nemo deinceps accuſet tarditatem noſtram. Quos fautores nuper in Gallia, Hiſpania, Luſitania nacti ſumus, eos vehementer rogamus, ut pergant nobis, atque his Actis, bene cupere, et de nobis ita exiſtimare, daturos omnem operam, ut, qua nos illi benevolentia proſequuntur, ea nullo umquam tempore poſſimus indigni videri. Alet haec exterorum de ſtudiis noſtris opinio diligentiam noſtram, et acuet, neque committemus, ut, quod commodo litterarum, atque utilitati publicae olim inſtituerunt opus, et ſtrenue continuarunt Menkenii, viri immortales, id a nobis et collegis deſertum videatur. Vale, Lector, et Tua nos benevolentia etiam impoſterum proſequere. Scrib. Lipſiae, prid. Kal. Oct. MDCCLXXIV.

No. I.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Januarii Anno MDCCLXXII.

THEOCRITI SYRACUSII QUAE SUPERSUNT, cum Scholiis graecis auctioribus, emendationibus et animadversionibus in Scholia, Editoris et IOANNIS TOUPII, Glossis selectis ineditis, indicibus amplissimis. Praemittuntur Editoris Dissertatio de Bucolicis Graecorum, Vita Theocriti a Josua Barnesio scripta, cum nonnullis aliis auctariis. Accedunt Editoris et variorum notae perpetuae, Epistola Io. Toupii de Syracusiis, eiusdem addenda in Theocritum, nec non collationes XV. Codicum. Edidit THOMAS WHARTON, S. T. B. Coll. SS. Trin. Socius, nuper Poeticae publ. Praelector Oxonii.

Oxonii, e typogr. Clarendoniana, MDCCLXX. TOMUS I. et II. quaternis

Exstare adhuc viros doctos, qui poetis etiam graecis expoliendis explicandisque animum adiiciant, multum est quod rei litterariae videatur gratulandum. Mirandum autem paene, atque magnopere laudandum, bibliopolas inveniri, qui sumtus talibus operibus excudendis erogare sustine-

ant. Invaluit enim, et totum fere orbem, qui litteratus dici vult haberique, pestilentissima haec pervasit consuetudo, ut, perpaucis exceptis, eruditi nihil paene conficiant, nisi levia et inutilia plerumque opera, id est comoedias, fabulas romanenses, aliosque huius furfuris libros, si libri dicendi sunt, qui veram eruditionem impediunt et minuunt, iuvenumque mores corrumpunt. Quam longe nostri homines a maiorum nostrorum studiis recesserint, facile est ad intelligendum. Certatim illi contendebant, et quasi festinabant, ut poetis, oratoribus, historicis, aliisque antiquitatis divinis vere monumentis editis, pro virili quisque, litteras optimas adiuvarent. Jam perexiguus eorum est numerus, qui auctores illos tractandos, excutiendos, edendosve sibi sumant, aut qui iis sint instructi praesidiis, ut provinciam eam rite administrare valeant. Magnam merito, nacti novam Theocriti, poetae venustissimi, editionem, cepimus voluptatem, dignumque iudicavimus opus, cuius, quantum fieri potest, adcuratissimam descriptionem cum orbe erudito communicaremus.

Jam primum ea est libri externa facies, ut, qua chartae typorumque nitorem et elegantiam, splendidius quid optari expectarique vix possit; ut ex hac etiam parte opus sit vehementer commendabile. Errata quoque, quibus libri inprimis Graeci, ob emendantium speciminа typographica oscitantiam, vulgo abundant, diligentissime eiecta deprehendimus. Unum hoc fortasse videretur optandum, accentus Graecos non esse omissos: non ideo, quod et ipsi accentibus istis nimis multum tribuamus, sed quod putemus; tirones nostros, per signa ista, et ad intelligentiam verborum non parum adiuvari, et si librum istis signis carentem legendum sibi cogitent, permagnam hanc existimantes difficultatem ab ipsa lectione deterreantur. Novimus quidem, antiquos etiam sine accentibus Graeca intellexisse, sed illi a primis annis ita erant adsuefacti, ut, si quae esset significationis propter

Digitized by Google

propter accentum diverſitas, ſtatim eum ex ipſa vocis modulatione intelligerent, quod apud nos ſaltem nemo adhuc graecitatis magiſter perfecit. Sunt quoque codices antiquiſſimi, iique optimi ſine accentibus ſcripti, et tamen leguntur, ſed ab iis, qui Graecae linguae iuſtam iam adſequuti ſunt cognitionem, non a pueris, qui in elementis addiſcendis verſuntur. Quodſi Cel. Whartono, tironi adhuc, liber Graecus ſine accentibus fuiſſet datus, non eſt quod credamus, vel ipſum ſine haeſitatione et querela de rei difficultate omnia ſtatim fuiſſe intellecturum.

In praefatione exponit Cel. Whartonus de apparatu et copiis, quas Sanctamandanus, inter Anglos nobilis familiae, in *itinere ſuo* per Italiam *collegit*, qui et ipſi ad poetae no*ſtri* editionem adornandam animum adieciſſe dicitur. Multa huic praefationi, adnotationum loco et ratione ſunt ſubiecta, ex ipſius Sanctamandani epiſtolis, quas ad doctiſſimos ſui temporis homines dedit, ab iisve accepit, ex quibus intelligitur, futurum fuiſſe, ut Vir ille, ſi diutius vixiſſet, viris ſumma eruditionis laude florentibus debuiſſet adnumerari. Colligerat autem ille theſauros *non contemnendos*, quos moriens bibliothecae Bodleianae legavit. Praeter *hos igitur omnes* excuſſit, Cl. Editor Codd. Mſct. quos Anglorum bibliothecae ſervant. Ex Barroccianis bibliothecae Bodleianae duos, quorum alter chartaceus, octo priora Idyllia, cum paucis editorum Scholiorum habet; alterum ibidem chartaceum, ſed mutilum. Ex Laudianis unum, octo priora Idyllia continentem, aliumque Muſei Britannici, quod Londini eſt, et ipſum ultra Idyllium quintum non progredientem. Sequitur deinde brevis editionum Theocriti recenſio, ſubiuncto de earum vel bonitate, vel naevis, iudicio. Agitur poſtea de reliquis Theocriti ſcriptis, quae perierunt, et de iis, quae Theocriti nomen falſo habent praeſcriptum.

Praefationem sequitur Editoris de poesi Graecorum bucolica dissertatio, e qua ne nimis longi simus, summa tantum capita, lectorum iudicio breviter indicanda duximus. Reiecta vulgari de carminis Bucolici origine sententia, statuit Cel. Whartonus, originem veram repetendam esse e veteri et inculta adhuc illa comoedia, eiusdemque quamdam fuisse sive partem, sive speciem. In ludis enim illis celeberrimis, quos festis diebus post opera finita rustici celebrare soliti fuerint, usurpantes versus inconditos quosdam et subitaneos, et plebem lascivam probris se invicem et convitiis lacessisse. Inter reliquam varo multitudinem fuisse et pastores, et ex hoc quasi fonte, pastorali carmini dramaticam illam formam, sive alternatim dicendi cantandique rationem, provenisse. Cui sententiae firmandae ex ipso Theocrito quaedam desumsit Cl. Editor. En ipsa verba. „In Idyllii tertii principio „vocem usurpat *κωμάσδω* pastor Tityrus, actioni theatrali „propriam, cantu tripudium quoddam pastorale indicantem. „Eodem fere respexit Poeta Idyll. II. 1.

Πᾶ μοι ταὶ δάφναι φέρε, Θέστυλι, πᾶ δὲ τὰ φίλτρα,

„Qua formula cum carmen Theocritus effingeret, in animo „visus est habuisse cantilenam quamdam, *ἄνθεμα* nuncupa„tam, quam moris erat in tripudio succinere,

Πῦ μοι τὰ ῥόδα; πῦ μοι τὰ ἴα; πῦ μοι τὰ καλὰ σέλινα;

„Quid quod *Βουκολιασμὸς* sit species quaedam cantus et „saltationis? Unde patet, hic aliquid agi et coram specta„toribus exhiberi. Porro in eodem Idyllio — — mos „ingrediendi scenam, comicis solemnis, accurate servatur. „Scena constituitur ante antrum Amaryllidis. Pecudes suas „acturus pastor Tityro commendat:

Τίτυρ' ἐμὸν τὸ καλὸν πεφιλαμένε, βόσκε τὰς αἶγας,
Καὶ ποτὶ τὰν κράναν &c.

Quod

Quod autem apud antiquos auctores nulla sit mentio de Pastoralibus agendis, nec de theatro eorum, reliquisque huc pertinentibus, id ideo factum, quod scenam informem, qualis erat in veteri comoedia, novae comoediae politioris illius cultus eiecerit."

Ex his arbitramur, satis perspici posse, quae V. Cl. de carminis Bucolici origine sit sententia, quibusque rationibus eam stabilire adnitatur. Videtur nobis in re tam antiqua, ut cuius nulla fere antiquorum testimonia inveniantur vix aliquid dici posse, quod ab omni omnino dubitatione liberum possit existimari.

Post disputationem de origine carminis Bucolici, tractat *de personis* in hoc carminum genere usitatis. *Dignissimos horum* observat fuisse Bubulcos, a quibus nempe Pastoralia nomen illud generale *Bucolicorum* assumerent quorum etiam in cantu dignitas maior. Secundum ab his locum obtinuisse Upiliones, sive qui oves curarent: infimi ordinis fuisse caprarios, ideoque sordidiores, moribusque magis inculti. Pauca deinde commemorantur de metro Bucolico. Ad finem instituitur comparatio inter Bucolica carmina Theocriti et Virgilii, ubi tamen sine dubio nimius est Cel. Whartonus *in laudando extollendoque* per omnia Theocrito, nam Virgilio, quibuscunque potest modis, detrahit, eumque ad Theocritum pro nihilo paene habet. Negare quidem nolimus, magnum partem Theocriteorum ita esse comparatam, ut rebus, locis, hominibusque, diligentissime sint adcommodata; habere tamen quædam, certo nos demonstrare posse confidimus, in quibus Theocrito palmam Virgilius praeripuisse videri possit. Ut liberum Lectori de Cl. Whartoni in hac re pronunciatis daremus iudicium, adscribenda quaedam ipsius verba censuimus. — „Hinc est quod tenuis et exilis „sit Maro, quando Theocritus, eandem rem tractans, et ple„nus sit et copiosus et multiplex: quod hic res exprimat, il„le tantum indicet. — Expoliuit ille (Virgilius,) quod

„non debuerat expoliri — Paſtoralia ſcribens Virgilius, „affectata utitur et arceſſita Muſa. — Nec magis dextre „rem geſſit Virgilius in Poculo Theocriti recoquendo. „Neque enim vidit aut intellexit Maro, quale vas Theocri„tus deſcriberet (optemus itaque, ut poeta optimus redux „ab inferis Cel. Whartonum adeat, petatque, ut quale vas „fuerit Theocriteum illud edoceatur,) quod nempe non erat „eius aetatis aut patriae." Sed de his ſatis dictum eſto.

De ipſo Theocriti textu, nihil eſt quod moneamus, quum idem ſit editionis cuiusdam ante Reiskianam vulgatae; ſed qualis ſit quum Cl. Whartono indicare non fuerit viſum, et ipſi taedioſo quaerendi labore ſuperſedere voluimus. An probandum ſit, in editione inprimis tam ſplendida et pretioſa, antiqua tantum recocta apponere, viderint alii; praeſertim cum nonnulla certiſſimam a Cel. Reiskio experta ſint medicinam, cuius quaedam emendationes, ipſis, quas Cel. Whartonus dedit, codd. lectionibus firmantur. Sed forte modeſtiae Cl. Editoris eſt tribuendum, quod, quae mutanda viderentur, non ſtatim mutaret et ſecaret, ſed ſuam ſententiam in notis tantum exponeret.

Sequuntur textum Graecum Scholia Graeca ex Codd. Vaticanis ſubinde auctiora, incluſis iis, quae primum adiecta ſunt, uncis. Fuiſſet forte lectorum commoditati magis conſultum, ſi Scholia ſuis quaeque locis eſſent ſubiecta, praeſertim quum aliud adſit difficultatis, ut ſi de quo loco inciderit dubitatio, quater, quinquies, ſexiesve quaerendum ſit quod non parum videtur laboris allaturum taediique. Praemiſſa eſt Scholiis diſputatiuncula brevis, qua bene tractatur de iis, qui Scholia in Theocritum conſcripſerunt, et de modo quo Scholia haec, diſſipata ante et ſparſa, in unum quaſi corpus ſunt conglutinata. Coniunctae ſunt cum his emendationes in Scholia, per doctos viros vel tentatae, vel ex aliis auctoribus, inprimis Grammaticis Graecis, et Cod. Laurentiano deſumtae, ſequentibus Cl. Toupii in eadem Scholia animad-

Digitized by

animadversionibus. In quibus, etsi Graecae linguae elegantissima est intelligentia, reconditioris illius inprimis et vulgo ignotae, videtur tamen Cel. Toupius nimius esse in tentandis emendationibus. Nam, ut animadversiones eius perlustrando deprehendimus, vix aliquot ex iis, quae adfert permulta, sunt locis, quae non mutila, vitiata, et male affecta pronuntiet, statimque velut dictator ferat sententiam, *sic scribe; sic repone; verissima est nostra emendatio.* Neque hoc arbitremur Cl. Toupium modestiae aliorum probaturum, quod Casaubono, Valkenario, Reiskio, aliisque Graecae linguae peritissimis, ubi lapsi illi videntur, ineptias statim, aliasque huius generis laudes occenit.

Sequuntur ad Idyllia quaedam Glossarum specimina ex Cod. Laurent. a Salvinio descriptarum, quas subinde emendat Cl. Whartonus, indicatque simul voces μειξοβαρβάρους. Afferamus quaedam ex his Glossis, e quibus de indole earum possit iudicari. Ad Idyll. 18, v. 24. νεόλαια, νεῶν λεός. v. 40 ἐξψῦμες, ἐλευσόμεθα. Ad Idyll. 17. v. 6. ἐκύρησαν, ἔτυχον. v. 25. νέποδες, μηκέτι κινεῖν τοὺς πόδας δυνάμενοι. v. 98. πολυκήτεα νεῖλον, διὰ τοὺς κροκοδείλους, καὶ τοὺς ἱπποποτάμους, ἐν αὐτῷ εὑρισκομένους. v. 101. ἀνάρσιος, ἐχθρός. Idyll. 16, v. 63. παρελθεῖν, νικῆσαι. Idyll. 15, v. 4. ἀδειμάντου, ἀφόβου. v. 50. ὁμαλοί, συμφωνοῦντες ἐν τῷ παίζειν. v. 70. ποττῶ, πρὸς τοῦ. Idyll. 13, v. 26. ἐσχατιαί, τὰ πρὸς τοῖς τέρμασι τῶν χωρίων ἐσχατιὰς ἔλεγον. v. 47. ἔφυσαν, ἐνεπλάκησαν τῇ χειρὶ αὐτοῦ. Idyll. 22, v. 9. ἐνέκυρσαν, ἐνέτυχον. v. 15. ὑπήνεμον, ἐσκιασμένον. v. 102. ἐτίνασσεν, ἔβλαπτεν. v. 199. σᾶμα, μνημεῖον.

Pauca etiam demus ex Glossis Codd. Vatic. selectis. Idyll. 1. v. 115. Φωλάδες, αἱ ἔχουσαι τοὺς φωλεοὺς κατὰ τὰ ὄρη. v. 136. σκῶπες, οἱ νυκτικόρακες. Idyll. 2, v. 7. ταχίνας, ταχέως μεταβαλλομένας, ἀντὶ τοῦ ἀστάτους; ex alio Cod. τὰς κούφας, τὰς ἀβεβαίας. v. 25. ἀμαθύνοι, ξηρανθῇ, σποδὸς γένοιτο.

γένοιτο. Idyll. 3, v. 5. *κνάκωνα, κνηκὸς εἶδος φυτοῦ οὗ ὁ καρπὸς πυῤῥακίζων.* v. 49 *ἄτροπον, ἀμετακίνητον, αἰώνιον.* Idyll. 23, 25. *ἐσχατιαὶ, ἀκρωρείαι.* v. 32. *καλὰ ζυγὰ, σὺν δύο.* v. 74. *ἠρώησε, κατέλειψε.* Idyll 15. v. 48. *αἰγυπτιστὶ, κεκρυμμένως, ἀπατηλῶς.* Idyll. 18, v. 23. *ἀνδριστὶ, κατὰ τὸν νόμον τῶν ἀνδρῶν.* Intellecturum ex his credimus Lectorem, quae harum Glossarum sit indoles. Excipit eas Index in Theocriti Idyllia, ita operose confectus, ut ne verbum quidem ullum sit omissum. Nobis certe talis labor videtur inutilis, ignaviaeque eorum, qui tantum ab indicibus pendent, minister. Quem enim iuvat, nosse omnia loca, quibus apud Theocritum *ἐπὶ* occurrat, aut quoties adhibuerit *δὲ*. Debebant tantum rariora, ut ab usu vulgari abhorrentia, adnotari, eaque explicari, praesertim quum in notis non semel diligentior interpretatio desiderari posse videatur.

Ipsae Cel. Whartoni notae partim critica tractant, partim quae ad interpretationem poetae pertinent, atque illustrationem continent. Quia textus ipse Theocriteus tantum est repetitus ex priori aliqua editione, in notis tantum de veritate lectionum singularum disputatur. Conferuntur etiam saepius, quae Virgilius ad Theocriti imitationem expressit, ita tamen, ut iam supra diximus, ut primas fere accipiat Theocritus.

Ad Idyll. 1, 28. recte, ut nobis videtur, explicatum illud *ἔτι γλυφάνοιο ποτόσδον*, *caelum adhuc redolens*, ubi vulgatus interpres *sculpturam*. v. 52. *ὑγρὸς ἄκανθος*, exponitur per *flexibilem acanthum*. Non male Potius tamen videtur Virgilianum, molle Acanthum quidem flexibilem non negemus sed in poculo, aut alio vase, per acanthum exornando, non requiritur ut facile flecti, sed ut facile tractari et caelo aut alio instrumento facile secari, illinique poculo possit. Quae porro adduntur de usu τοῦ ὑγρὸς, bona ea quidem sunt, sed nihil loco explicando inserviunt.

Ad

Digitized by Google

Ad illustrandum v. 88. τάκεται ὀφθαλμὼς, ὅτι ϰ τράγος αὐτος ἔγεντο, lepida affertur narratiuncula, quam adscribimus, si forte cuidam arrideat.

„Audivi ex docto quodam amico, qui per Siciliam insu-„lam iter faciens, ibidem, cum vetera monumenta, tum po-„puli mores accuratius investigaverat, inter Confessionis ar-„ticulos, a Siculis caprariis apud montes vitam solitariam „degentibus, etiamnum per Sacerdotes proprios rite solere „exigi, an rem cum hircis suis habuerint?

Ad Idyll. 4, 22. κακοχράσμων γὰρ ὁ δᾶμος, vult observari, nullam non occasionem captare Theocritum, Atheniensium mores vellicandi, propter hanc caussam, quia Siculis *Atheniensium victus* tenuis, et cultus sordidus, mire displicerent Nobis aliud persuasum, neque agnoscimus illas in Atheniensium vita victuque sordes. Oderunt Siculi Athenienses ex illo tempore, quo exercitus Atheniensium, consilio Periclis, in Siciliam traiecerat, Siculosque in Atheniensium redigere ditionem tentaverat.

Idyll. 5, 47. defendit contra Cel Reiskium δένδρω, quasi aliquam *arborem praesentem* indigitaret; coniecit tamen legendum δένδρω pro δένδρει.

Idyll. 6, 12. ἄσυχα καχλάζοντα refingere putat posse lepide sensu saltem lepidiori, ἄσυχα καχάζοισαν, *puellam* molliter, lascive ridentem, vel καγχάζοισαν vel κιχλίζοισαν. Sed quid opus, coniecturas proponere, ubi sensus verborum sibi bene respondet, neque varietas Codicum de sinceritate lectionis suspicionem movet.

Idyllium sextum non alienus est ut abiudicet Theocrito Whartonus, propter hanc rationem: quia incertum videri possit, an unquam Theocritus insulam Coon viderit, et tamen auctor, quicumque ille sit, ex longo cum Cois convictu et consuetudine, mores Coos diligentissime habuerit per-

 spectos.

ſpectos. Nos quidem, ut propterea Cel. Whartoni ſententiam amplectamur, induci non poſſumus. Poteſt enim aliquis Anglorum mores, ritus, conſuetudines, diligentiſſime habere cognitas, licet Angliam ipſe nunquam adierit.

Ad Idyll. 7, 58. ἔσχατα φύκια malimus interpretari algas in extremo litore, quam in imo fundo maris creſcentes.

Ad Idyll. 10, 14. ἀπὸ σπόρω ἄσκαλα πάντα, elegantiſſime dicit Cel. Whartonus; difficile tamen eſt illud ἀπὸ σπόρω. Non nobis ſufficiunt eiusmodi, ut iudicamus, generalia pronunciata elegantiſſime, venuſtiſſime, aliaque, niſi doceatur, quibus in rebus ſingulorum locorum inſit elegantia, quod raro Whartonum nos docuiſſe animadvertimus. Additur ſimul Toupiana emendatio, conſentiens Reiskianæ, ἀπὸ σποδῶ. v. 25. ὧν γάρ χ' ἅψησθε.] Fecit Cel. Reiskius ὧν καὶ λαψεῖσθε, ſed pronunciat Cel. Whartonus: longe tamen elegantius eſt, *quaecunque vos, o Muſae, vel* attingitis *tantum, omnia pulchra et amabilia efficitis.* Litem vulgato nos non movemus, ſed in eo *quamcunque* vos o Muſae *attingitis*, eximiam non ſentimus elegantiam. Num *tangendo* aliquid pulchrum efficitur, aut unquam effectum eſt? Voluit ſine dubio Theocritus amplius aliquid ſignificare διὰ τῦ ἅπτεσθαι, quam tangere. Voluit, quae vos facitis, aut tale quid Ad v. 51. de ſcriptione vocis ἰλιννῦσαι adfertur Leopard. Emend. I, 25. ſed fruſtra ibi quaerendo, ne γρῦ quidem de hac voce invenimus. Deprehendimus tandem, in editione Reiskiana, vitio typographico datum eſſe c. 25. cum ſit c. 24. Omnino hoc non ſine admiratione obſervavimus, nullum fere locum a Cl. Reiskio ad Theocritum adlatum eſſe, quem non ipſum et ſagacitas Whartoni indagaverit.

Idyll. 16, v. 19. praefert poſt Caſaubonum αἰολομίτραις, pro vulgato αἰολομήτας, ex Codd. beneque adfert ad illuſtrandum χαλκεομίτρα ex Pindaro, et θηλυμίτρης ex Luciano.

ciano. ib. v. 25. θεὼς νέποδας, explicat minores quosdam deos, vel qui in deos erant relati.

Idyll. 17, v. 94. σεσαγμένοι interpretatur milites oppleti aere fulgenti: v. 121. seq. sic legit et interpungit:

Μῶνος ὅδε ὁπλοτέρων, τοκέων ἔτι θέρμα, κονίῃ
Στειβόμενος καθύπερθε, ποδῶν ἐκμάσσεται ἴχνη.
Ματρὶ φίλᾳ καὶ πατρὶ θυώδεας εἵσατο ναώς.

hoc sensu:

„Solus ille *posterorum*, scil. sobolis paternae, *quasi*
„*aliquis pulverem calcans, et ibi facile impressionem linquens*,
„verrit parentum vestigia adhuc calida. Illis quidem tem-
„*pla* struxit &c.

Idyll. 18, v. 1. pro ἐν πυκ' ἄρα Σπάρτᾳ legit ἦν ὅτ' ἄρ' ἐν Σπάρτᾳ. Non male. Ad v. 2. νεογράπτω, intelligit novum opus artificii Phrygii, et monet simul, morem fuisse recens nuptis, novum thalamum compingere. Ad v. 23. non videmus, quare fluenta Eurotae simpliciter sit Sparta, neque potius sensu proprio debeant accipi.

Idyll. 20, v. 29. pro πλαγιαύλῳ, propositis ante Codd. Lect. variisque doctorum coniecturis, coniicit ipse, πλατυαύλῳ, et interpretatur *Fistulam ore lato vel late porrectam, constantem*, sc. *e pluribus compactis*. At fistulam late porrectam, quae sit, nos quidem ignoramus.

Idyll. 21, v. 36. λύχνειον ἐν Πρυτανείῳ haud absurde pro dictione proverbiali accipit, totumque locum sic interpretatur: *Non vivimus hic suaviter: in frondibus non molliter quidem cubamus hic, prope maris littus. Veruntamen spes non prorsus omnis excidit. Piscatura nobis*, quasi Lychnus in Prytanaeo, *nonnullas saltem commoditates adfert. Exinde saltem perennis et certa spes lucri. — Vt illa lucerna semper*

 ardet,

ardet, ita nobis nunquam de futura est, ἄγρα, piscium captura.

Idyll. 22, v. 6. — ἐπὶ ξυρῦ ἤδη ἐόντων, bene interpretatur per *extremum periculum*, ad iitque alia, ad illustrandam hanc proverbialem dictionem facientia. v. 9. pro ἄστρα βιαζόμενοι, legit πιαζόμεναι, subintelligitque ad ἄστρα κατά, et vertit *laborantes*. In incerto tandem relinquit locum, et βιαζόμενοι posse dicit significare, *vim inferentes*. v. 32. ὑπήνεμον ἀκτὴν reddit *littus tranquillum, vento non expositum*, Optaremus, loco propositi Toupiani imperii, docuisset Cel. Whartonus idoneis exemplis, hunc necessario esse debere τῦ ὑπηνέμιος significationem. Non negamus quidem, ὑπηνέμιος esse ὑπὸ τῦ ἀνέμυ, sed an ideo est, tutus a vento. Et locus nostro ne quidem est similis. Sermo ibi de aliquot hominibus, qui dicuntur ὑπήνεμοι, et possunt se occultare a vento. At longe alia est ratio, si dicitur ὑπήνεμος ἀκτή. Videtur saltem addi debere, aut ex connexione verborum intelligi posse, a quo vento littus sit tutum. Littus enim ab omni omnino vento tutum extare non credimus.

Satis haec dicta sunto de notis Cel. Whartoni. Non possumus tamen non de universa notarum ratione iudicium nostrum subiungere. Quod ad Critica attinet, diligenter omnino deprehendimus varietatem lectionis ex edd. antiquis et Codd. adnotatam, et non infeliciter interdum de iis disputatum. Ea vera, quae proprie explicando poetae debebant inservire, talia nobis visa sunt, ut Catenam quamdam omnium fere interpretationum legere putaverimus. Nihil enim facile est omissum, quod a viro quodam docto ad explicandum Theocritum umquam sit proditum. Apparet inde quidem, Cel. Whartonum permultae esse lectionis, sed nemini prodest, scire tantum ubi alii Scriptorem tractarint. Necessarium erat ut ipse suam sententiam exponeret, eamque rationibus ex usu linguae et aliunde petitis adstrueret, nec tantum auctoritatibus aliorum inniteretur.

10.

IO. EBERHARDI FISCHERI, HISTORIARUM et Antiquitatum Prof. Publ. Ord. Academiaeque Scientiarum, quae Petropoli est, Socii, Quaestiones Petropolitanae: *I. De origine* Ungrorum. *II. De origine* Tatarorum. *III. De diversis* Schinarum *Imperatoris nominibus titulisque. IV. De* Hyperboreis. *Edidit AUG. LUDOV. SCHLOEZER, Academiae Scientiar. Petropolit. Socius, Historiarumque Prof. Publ. Ord.*

Goetting. et Gothae, impensis Dieterichianis, 1770. 119 pagg. in 8.

Gratissimum nobis donum exhibet doctiss. Schloezerus hisce quaestionibus Fischeri, qui et historia sua Sibirica, et vocabulario Sibirico, Instituto histor. Goettingensi donato, aliisque, egregie de Historia Russica, cum Bayeris ac Mülleris meruit, annoque praeterlapso aet. 74. in vivis esse desiit. Continent hae quaestiones, quas duodecim amplius annos scriniis clausis custoditas ab invito fere expressit Schloezerus, magna ex parte nova, recondita, ignota *Deguigneo*, atque inaudita ipsis historiographis Ungris, ad quarum argumentum iam fusius recensendum age nos, accingamus.

Prima dissertatio scripta A. 1756. disputat de *origine Ungrorum*, quos *Jornandes*, Gothus, ab lamiis ex coitu cum Faunis nescio quibus, ortos, aniliter fabulatu est; et tantum non omnes rerum Ungricarum Scriptores cum Hunnis confundunt, nixi deceptrice nominum similitudine, quae tamen dissimilitudo maxima est. Quid enim simile

 inter

inter *Hunn* et *Iugur?* litera *n* non nisi vitio pronunciationis, aut potius varietate dialectorum, interiecta. (§. 2.) Monstrat Hunnos in desertis esse vagatos, sitis contra provincias Sinicas *Schensi*, *Schansi*, et *Petscheli* a septentrionibus; Iugrorum autem veteres habitationes in ea regione fuisse, quam hodie *Turfan* nuncupent, sita Sinis occidentem versus, disiunctaque ab iis et ab Hunnis deserto illo arenoso, quod incolis *Gobi*, Sinis *Schamo* dicitur, suis porro utramque nationem regibus, suisque legibus rectam fuisse, etsi aliquando tempus fuerit, quo Iugri Hunnorum imperio essent subiecti. Si quid ex veteri Hunnorum lingua superesset, facile diiudicatu foret, cognatione inter utramque gentem intercedat, an minus: at docet (§. 3.) linguam cum ipsa gente ac nomine interiisse, nec quidquam praeter paucula nomina propria superesse; Iugros vero, testante *Rubruquisio*, per eas regiones itinera faciente, *peculiari* idiomate usos fuisse. (§. 4.) Hanc diversitatem eo magis apparere, animo ad habitum corporis formamque veterum Hunnorum externam adiecto, qualem sane teterrimis coloribus depingit *Marcellinus* Lib. XXXI. et cui Eluti Mongalique quam proxime accedant. (§. 5.) Breviter perstringit historiam Hunnorum, qui, donec inter se congruerent, ceteris nationibus terrori, gliscente discordia contemtui fuere. Quorum altera pars A. 93. bellis et aerumnis fracti, relicto natali solo, novas ad occidentem sedes quaerere coacti tandem prope fontes Iaici fluminis, in regionibus Baschkirorum substiterunt; quietis vero impatientes, finitimis gentibus circumquaque domitis, imperii fines hinc ad Caspias portas, illinc ad paludem Maeotin usque protulerunt; neque his contenti successibus, Valente Caesare imperante, Tanai amne superato, Gothos, veteres regionum istarum colonos, avitis sedibus expulsos, partim secum militare, partim fuga salutem trans Danubium in provinciis Romanis quaerere coegerunt. Altera vero pars, patrias quidem sedes relinquens, at imperium romanum non inundans, deserta Irtyschi fluminis, auriferos alii montes

Altaï

Altaï appellatos, occuparunt, alii alia receptacula delegerunt. Albi denique Hunni, quos *Procopius Caesariensis Ephthalitas*, vera pronunciatione *Haïa – talitas* sive simpliciter *Talitas*, i. e. homines *in campis habitantes*, vocat, ceteri perperam *Nephthalitas*, in Transokiana speciatim in provinciam *Balk*, quam *Bactra* veterum arbitrantur, tetenderunt, et late per fines Indorum Persarumque vagantes Indo-Scytharum nomine celebres facti sunt. Postea Pannonia *Theodosio II.* Constantinopoli, Romae *Valentiniano* imperantibus, sibi subiecta, varia fortuna conflictati, tandem a Carolo M. A. 794. pacati sunt. Ex illa tempestate omnia Hunnorum in peius ruebant, donec ab *Ugris*, seu *Iugris*, Arnulpho Caesare imperante, ad internecionem caederentur. (§. 6. et 7.) Profert Fischerus dubia, quae contra sententiam suam moveri possint: nimirum, nomen Ungrorum iam a sexto usque seculo notum fuisse, itaque falsum esse, quam dederit, epocham irruptionis Iugrorum a tempore Arnulfi. Ad quae auctor noster ita respondet: Hunnos postquam lares patrios praecipiti fuga reliquissent, consedisse in *Buschkiria*, quae patria fuit Iugrorum. Credibile esse, eos ab Hunnis devictos una cum his ire in expeditiones bellicas coactos fuisse; neque solum hos, sed proximos quosque aeque subactos, Alanos, Sarmatas, Ostrogothos, Gepidas &c. ex tot myriadibus illorum, qui romanum imperium vastassent, paucissimos veros fuisse Hunnos, sed cum Hunnis permixtos populos alios. Tali rerum statu, non negat, Ungros iam inde a sexto seculo Romanis innoluisse, sed discrimen esse faciendum inter eos Ungros, qui suis, atque alios qui auspiciis militassent alienis; alienis vero auspiciis meruisse ante epocham a se statutam, postea suis. At enim Iugri, et a Graecis, et ab Orientis scriptoribus, appellitantur subinde *Turci*, iam vero Hunni eodem nomine insigniuntur, sunt igitur una gens utrique. Enim vero decipiuntur hi qui ita sentiunt, nomine Turcorum aeque vago ac Scytharum. Omnes enim et Europae et Asiae gentes, Geographis igno-

tas,

tas, dummodo in aquilonem vergerent, communi nomine Scythas appellarunt, sicut hodie Tataros, gentes institutis, lingua habitu, corporis, diversissimas. Id quod Auctor pluribus docet primosque illos Ungros, qui una cum Hunnis romanum imperium hostiliter aggressi sint, iure optimo vocari posse Turcos, monstrat. (§. 8.) Exponit, quam saepius titubent scriptores Graeci in recensendis gentibus barbaris, eorumque nomina misceant: v c. gentem boreales olim paludis Maeotidis Tanaisque fluvii regiones insidentem Procopius Hunnos *Cuturguros*, Agathias simpliciter *Hunnos*, Cedrenus *Slavinos* vocat, contra alias in opposita continente, qua Palus in Pontum Euxinum influit, degentes, Hunnos *Uturguros*, modo *Turcos*, alias *Bulgaros*, et item *Ungros*, easque generali Hunnorum, quia potiores ea tempestate erant, nomine miscent. Sed quid tandem fiet *Iugris?* undenam oriundi? auctor ait esse *Scythas*, et vero ac proprio hoc nomine appellat eos, qui Scythice loquuntur, loqui autem Scythice Aestios, Fennos, Lappones, Syrânos, Permios, Mordwanos, Tscheremissos, Votos, Vogulos, et qui ripas inferioris Irtyschi et Obii incolant, Kondinos (Ostâkos). Quos esse Scythas vel ex eo apparere, quod qui ceteris audiant Fenni Aestiique eos Russi Tschuchonos sive *Tschuchos* appellent, lacumque illum Russorum ac Livonorum finibus interiectum, quem incolae Peipus dicant, lacum Scythicum. Fuisse olim et alios populos eodem linguae commercio cum ceteris sociatos, *Tschuwaschos* et *Baschkiros*, quorum illi sermone uterentur inter Scythicum Tataricumque medio, hi contra hodie toto Tatarico, etsi a vicinis Tataris non agnoscantur cognati, sed potius vili alienigenarum nomine insigniantur (*Üschtak*). In Baschkirorum terras, ait auctor noster, (§. 9) olim migrasse Jugrorum maiores, et cum iis in unam paulatim gentem coaluisse, pristinae linguae magna parte abolita; post haec latius in regiones aquiloni propiores, quas nunc *Voguli* tenent, evagatos, circumiectis

Digitized by Google

iectis montibus nomen *Ugriae*, vel *Jugriae*, a gente sua indidisse; hosque montes esse eos, quos fabulosa vetustas *Riphaeos*, nostri homines terrae cingulum vocent, Europae Asiaeque terminos. Longo post tempore Jugri a Petschenegis sedibus auitis eiecti sunt, et hi ad A. 893. regiones Iaici tenuerunt, donec ab *Uzis* pulsi, deferruntur in terras Turcarum, ab ipsis denique deuictorum auctore *Constantino* Porphyrogenneta imperatore. Quos autem hic Turcos, eos reliqui Sriptores *Ungros* appellant, et produnt quoque Annales Russici, Ugros A. 898. traiecto Borysthene fluvio expugnasse Kioviam, ac superatis Carpaticis montibus in Dacia tandem Pannoniaque consedisse. Auctor noster sententiam suam ampluis conrfimat (§. 11 – 15.) testimonio linguae Ungricae cum ceteris Scythicis cognatae, *deinde* sigillatim cum Fennica, *postremo* cum Vogulica et Kondinica, quamproxime ad Ungricam linguam accedente, adiectis tribus peculiaribus tabulis harmonicis. (§. 16, 17.) Inquirit in caussas, quare Ungri a popularibus et Asiaticis nationibus non Ungri, sed *Matsch r* (Magyar) appellitentur, idque proficisci, ait, a varia efferendi hoc nomen *Baschkiriae*, quae Ungrorum patria fuit, ratione. *Rubruquisius* effert *Pascatir*, *Carpinus* *Batschariam*, et exinde levi mutatione literae *b* in *m*, quarum utraque est labialis, ortum est nomen *Matschar*. Etest notatu dignum, eandem illam gentem hodieque ab Russis *Ungros* sive *Wengros*, a ceteris nationibus Slavicis Matscharos nominari. Quo tempore emigrarint prisci illi Jugri, et quam locuti fuerint linguam, incertum est: attamen coniicit auctor, (§. 19 – 21,) Tatarica usos fuisse, idque idoneis efficit exemplis, et singulari tabula harmonica linguae *Vngricae* atque *Tataricae*. Jugri enim alias sedes petentes, non uno volatu Baschkiriam intrarunt, sed in itinere aliis atque aliis in locis, praesertim in finibus Persiae, diu commorati sunt, atque ita medios inter hos atque Tataros, verisimile est, contagione utriusque gentis, multum ex eorum lingua, moribus, religione, traxisse et hi sunt; quos

C Proco-

Procopius *Ephthalitas* vocat, a quibus Perozem regem Perſarum, ait, occidione deletum eſſe cum exercitu; annales Ruſſici idem teſtantes memorant Choſröem.

Sequitur *altera* quaeſtio, exhibita A. 1755. coniecturas de gente et nomine Tatarorum, item de priſcis Mogolis eorumque lingua continens. Quam difficile hoc opus ſit, exinde patet, quod rerum orientalium ſcriptores nullam de *Tataris* hiſtoriam perpetuam ſcripſerunt, hique *Europaeis* penitus ignoti fuere, donec *Czingis Chanus*, et eius ſucceſſores, maximam Aſiae et Europae partem veluti Oceanus inundarent. Itaque nihil aliud pollicetur auctor noſter, niſi conclusiones, ex ſedula lectione et collatione recentiſſimorum de rebus Sinicis itemque Tataricis ſcriptorum coniectura elicitas, attamen interdum phaenomena hiſtorica illos fugientia. Europaei occidentales appellare ſolent *Tatariam* omnes eas regiones, quae ab oſtiis *Danubii* fluminis caeciam verſus, ad littora ſeptentrionalia *Ponti Euxini*, et circa Maeotin paludem porriguntur; porro in Aſia omnem tractum regionum, a mari *Caſpio* ad extrema littora *Oceani orientalis* pertinentium, atque a meridie mari *Caſpio*, *Tranſoxiana*, *India* et *Sinarum* Imperio, a ſeptentrionibus *oceano glaciali*, terminatarum. At confundunt nationes, lingua, moribus, caerimoniis, habitu corporis, diverſiſſimas. Itaque auctoris quatruplex pars eſt: I) ut oſtendat, priſcos illos Tataros, in confiniis Sinarum poſitos, nullo, nec ſanguinis, nec linguae vinculo, copulatos fuiſſe cum iis, qui hodie audiunt Tatari, ſed eſſe plane alienigenas; II) Gentes illas per Aſiam Europamque ſparſas, quas communi vocabulo Tataros appellare nos ſolemus, originis eſſe *Turcicae*. III) Mogolos priſcos, ante *Czingis-Chanum* pariter fuiſſe originis Turcicae, cognatos cum iis quos hodie Tataros vocamus, eademque lingua uſos fuiſſe. IV) Mongalos, qui ſunt hodie, ex colluvione variarum gentium, praecipue *Kalmakorum* natos, et eorum linguam adoptaſſe. Fuiſſe igitur aliquan-

Digitized by Google

aliquando gentem, afferit Auctor, (§. 3.) peculiari *Tatarorum* nomine infignitam, quae faepe a Sinis domita fubinde rebellarit, poftremum a *Czingis-Chano* devicta, et fub poteftatem redacta fuerit. Partem illius *Albugafio* auctore, ab antiquiffimis inde temporibus confediffe in finibus Sinarum, iis in locis, quae funt circa *Biurnaver*, alios occupaffe regiones, quas permeat *Ikar* A. feu *Ikran* fluvius. Quo facto inquirit in vocem *Biurnaver*, quod nomen lacus fuiffe ftatuit, fed infignioris, cuius littora et circumiacentes regiones multitudinem Tatarorum caperent. *Naver*, enim et *Nor*, in lingua Mogolica fignificare lacum. In finibus vero Sinarum haud alium eft videre infigniorem lacum, nifi quem incolae hodierni vocant *Koko-nor*, aequantem latitudine X. milliaria magna, longitudine fuperantem vel XX. Itaque *Biur-naver* et Koko-nor, ipfi unum idemque defignant. Tenuiffe igitur vetuftiffimos Tatarorum terras, quae nunc a *Kokoronenfibus* inhabitentur, gente Mongalica ex iis, qui vulgo Kalmaki audiant, fuo autem fibi nomine *Chofchotani* appellentur, et contineri his finibus: ab oriente provinciis *Shenfi* et *Sútzoan*, a feptemtrionibus et ab occidente defertis fabulofis *Gobi*, et a meridie regno Tibetano. Hos Tataros, ait Auctor, (§. 5. 6.) cum ceteris eius tractus incolis, lingua, quam hodie loquantur Urati et *Mongali*, ufos fuiffe, eamque hodienum inter omnes earum regionum incolas in ufu effe. Fuiffe et alterius generis Tataros, quos hiftoria Sinica vocet *albos*, cuftodes moenibus Imperii Sinici appofitos, et hiftoria Abulgafiana *Ungutos*, vel potius *Ungulos*, aut, ut *Bayerus* in locum corrupti *Unguli* fubftituit *Van-ly*, i. e. *decem millia ftadiorum* quo murorum ambitu munitur Sinarum imperium. Hi tamen cum illis nullo modo cognati, ab antiqua progenie Turcarum profecti funt, vernacula utentes Turcica, ab hodierna Tatarica non nifi dialecto differente. Quo magis Auctorem fubit mirari, tam ignobile Tatarorum nomen per orbem terrarum ita invaluiffe, inditumque effe tot gentibus, praefertim Mohammedanis, id nominis non

agnoſcentibus. (§. 7.) Corrigit ſententinm *Bayeri*, putantis, Ogtai-Chani, Czingis-Chani filii duces, binis exercitibus eodem tempore incurſionem feciſſe, hos in Trans-Volganas provincias, illos in Perſiam. Trans-Volgani agminis ex Tataris maximam partem, alterius exercitus milites collectos fuiſſe ex Mongalis, hinc factum eſſe, ut Mongalorum nomen apud Armenios, Perſas, atque Arabes, Tatarorum autem in noſtris regionibus, magis innoteſceret. Rationem magis idoneam affert auctor, quod ſcilicet Arabes atque Perſae *Mogolos* ut viciniores noverant, *Tataros*, ut gentem ignobiliorem, et ad extremos terrarum angulos relegatam, penitus ignorarant. Nominis autem Tatarici per Europam divulgati origo ipſi videtur (§. 8.) a Sinis repetenda, qui priſcos illos Tataros ſibi finitimos probe noſſent, poſtea vero alias etiam gentes, eundem vivendi morem et ferociam ſequutas, indiſcriminatim pro Tataris habuiſſent, quorum e numero Mogoli quoque eſſent, ſimpliciter *Tatari*, aliquando etiam differentiae cauſſà *Si-Ta-dſii* (Tatari *occidentales*,) et per ludibrium *Tſao-Ta-dſii* i. e. Tatari *putidi* appellati; eodem fere ſenſu, quo Graeci vocibus *Scytha* et *Barbarus* et alii aliis utebantur. Cum priſca illa Mogolorum gente, et ſanguinis et linguae commercio, coniunctae fuerant omnes nationes Turcicae, lingua, quam nunc Tataricam vocamus, uſae, et quas Auctor (§. 9.) recenſet: *Kanklos*, *Getas*, *Karakitainos* olim, hodie autem *Karakalpakos*, *Kirgiſo-Kaiſacos*, et *Turkeſtatos* cognominatas; item gentes quae nunc ſunt ſub dominatione Ruſſica, veteres regnorum *Caſani Aſtracanique* incolae, et in vaſtiſſimis Sibiriae deſertis *Tümenſes*, *Tobolenſes*, *Tarenſes*, *Barabari*, *Tomenſes*, *Czacenſes*, *Czulimaei*, *Jakuti*, &c. Limites olim anguſtiores protulere auſpiciis *Czingis-Chani* et ſucceſſorum eius, occidentem verſus ad mare nigrum, et ad oſtia Danubii fluminis et in Sibiria aliquibus in locis ultra ſexageſimum latitudinis gradum. Et nunc habitant inter gentes nec ſanguine ſibi, nec ſermonis vinculo iunctas, *Morduanos*,

Czuva-

Digitized by Google

Czuvaschos, *Votos*, *Vogulos*, *Ostios*, *Arios*, *Kotovos*, *Kamaschos*, &c id quod Auctor (§. 10. et 11.) pluribus contra dubio cuipiam hac de re forsitan oritura defendit. Altioris est indaginis, cum quaeritur, qui factum fuerit, ut Mogoli terrarum orbis victores antiqua patria relicta, alias sedes quaesitum ierint? Auctor respondet (§. 12 — 14.) horrendis illis Mogolorum motibus, quibus orbis terrarum concussus fuerit, miras rerum conversiones esse natas, aliis gentes stirpitus excisas, alias vel misera servitudine pressas, vel connubiis mistas cum victoribus esse, nomine plane abolito. Ipsos victores sterilitatem soli natalis cum ubere solo devictarum gentium libenter commutasse. Itaque *Ak-Mungalos* i. e. *albos*, in deserta Kipczakorum concessisse; *Durmannos* et *Karkalikos* partim in Chorasmiam partim ad *Jaikum* et Iaxartem amnes, *Kallatschos* in *Transokiana* et *Chorassania* restitisse, *Kunkuratos* ab Orchone fluvio in provincias migrasse Chorasmiorum; *Jugros* s. Viguros sedes primo habuisse in regionibus Turfani, quas dein cum desertis Kipczakorum, et rursus cum terris Chorasmiorum s. Usbekorum cultioribus commutarint; *Naimannos* diversos abiisse, partim orientem versus, ubi et hodie tendant, partim occidentem versus iisdem cum Iugris collocatos sedibus, paribusque cum iis fatis. Sed et *Uratos*, diversissimam a priscis Mogolis nationem, mutasse patriam, quorum antiquissimae sedes fuere supra Ortusios, qua Chôang-cho, s. croceus fluvius, utriusque populi limites disterminat, quas sedes pars eorum hodieque tenet, *Kurissos*, et ipsam Uraticam nationem, coloniam deductam esse in deserta Kipczakorum; famam vero prae ceteris nactos esse *Elutos*, qui inter deserta Gobi, Imaum montem et Buchariam magnam a meridie, et a septemtrionibus inter Sibiriam positi, fines imperii ab auriferis montibus (Atai) ad Iaïcum flumen usque protulere. Mogoles ergo, Turcicam stirpem, communem cum finitimis eiusdem originis gentibus habuisse linguam, nempe *Turcicam*, quam nunc appellamus *Tataricam*. Hoc tamen

monet auctor, (§. 15) veterem Mogolorum linguam peculiari suo idiomate a ceteris dialectis, distinctam fuisse et contagione vicinorum populorum, inprimis Uratorum multa vocabula peregrina traxisse. Id quod nonnullis ex historia Albugasii genealogica (§. 16. et 17.) exemplis luculentis docet, ad quae lectorem, ne iusto copiosiores simus, ablegamus.

Accedimus ad *tertiam* exercitationem: *de variis nominibus Imperii Shinarum, titulisque Imperatorum.* Imperium hoc, Graecarum et Romanarum rerum scriptoribus prorsus incognitum, proavorum nostrorum memoria demum apud exteras gentes inclaruit. Mongali, Tatari, Turci atque Russi, vocant *Kitai*, at Indi, Persae, et Arabes, *Dsin*, Europaei *Shinam*, Mandshuis, qui nunc rerum in hoc imperio potiuntur *Nikan' gurun'*, Nicanive regnum. Ipsi Sinae regnum suum vulgo dicunt *Dshun-gué*, h. e. *in medio terrarum positum*, ignoratione scilicet Cosmographiae, quam tamen emolliunt, figurato sensu denominationi subiecto. Nulla propria appellatione, ait Auctor, insignitur hoc imperium Mutuatur nomen a dynastia regnante, et cum interitu eiusdem deponit. Ratio vero, cur perpetua illa nomina Sinae et Kitaiae ad exteras gentes pervenerint, haec est: quarta Dynastia hoc nominis usurpavit, a principatu quodam provinciae *Shensi*, quem ante, quam ad summam imperii dignitatem perveniret, tenuit. Huius dynastiae Imperator *Dzin-schi-chuan-di*, insignibus victoriis ad Bengalos usque clarus fuit, cuius nomen ergo *Dsin* Indi ad Persas propagarunt, a quibus transiit ad Arabes et Aegyptios. Originem vero vocis *Kitai* repetendam putat a gente barbara *Kitan*, quae Sec. X. omnibus inter Coream et Kaschkar regionibus devictis incursionem fecerit in boreales Imperii Sinarum provincias, ad an. 1125. usque possessas. Et licet avitis sedibus eiecta novas quaerere coacta fuerit, tamen nomen retinuit *Kara-Kitaiorum, nigrorum Kitaiorum*, sive *occidentalium*

dentalium, duplexque Kitaia fuit, et *orientalis*, et *occidentalis*. Hinc nomen Kitaiae primo Mongolis, dein Turcis Tatarisque, postremo Russis traditum denique, intra terminos imperii Sinici subsistit. (§. 5.) A. agit de nomine *Man' – dzy*, quod Sinae inviti gerunt. Maiores Sinarum primo provinciam *Shensi* ingressi, longa aetatum serie fines imperii ad *Choang – cho*, i. e. croceum flumen, propagarunt. Ultra qui degebant Sinis barbari erant, eorumque regiones *Man'* s. *Nan' – man'* i. e. *meridionales Man*, ipsique incolae *Man' dzy* vocabantur. Posthaec potestate Sinarum in immensum aucta, et omnibus gentibus in unum corpus coalescentibus, mansit nomen utrumque, et *Chan' – shin* ab illustri familia Chan', et *Man' dzy*. Aliud nomen terrae Sinicae *Ma – dzyn* (§. 6.) *eruit ex Ma* et *Czin*, *extra murum*, et devenit (§. 7.) ad alteram huius exercitationis partem, de nonnullis Imperatoris Sinici titulis, fidem secutus *Hilarionis Rossochini*, Sinicae linguae in Academia Scientiarum interpretis. (§. 8.) *Chuan – di*. *imperatorem* vel *dominum supremum* significat. Vetustissimi imperatorum alterutro contenti, primo *Chuan*, post *Di* insigniebantur. Postea vero famosus ille *Schi – chuan – di*, ex familia *Dzin*, solium conscendens, seque praedecessoribus potiorem putans, utrumque vocabulum iunxit, et omnes successores eius hodienum se appellant *Chuan – di* i. e. *Regum dominos*. Aliud nomen est *Tán – dzy* (§. 9) i. e. *Dei* vel *coeli filius*. *Dzy* filium significat, *tán*, (super quo vocabulo seculi huius initio magnae controversiae Jesuitas inter et Dominicanos, Missionarios inter Sinas, ortae sunt) modo *coelum* visibile, modo coeli gubernatorem signat. Solemne, et quasi proprium Imperatoris nomen est Schyn – gûn, (§. 10.) quod Mongali *Bogda – kochan*, contracte *Bogda – chan*, i. e. *sacratissimum* Imperatorem reddunt. Titulus *Kohani* sive *Chani*, Carpino et *deastrum*, et *imperatorem*, Rubruquisio *mantem* s. *augurem* signat, Iaponis deastrum, et nonnullis in Sibiria populis Tataricis, paganorum superstitione infatuatis, *deastrorum antistites*. Auctor noster eos recte refellit,

refellit, qui nescio quam differentiam nomiuum *Cohan*, *Kaan* et *Khan* statuunt; at non videmus cur originem vocis Nongalis tribuat, fortasse idem est cum vocabulo hebraeo, (כוהן a כהן *appropinquare*, *interiori accessu frui*,) quod significat *Pontificem*, *ministrum*. (§. 11.) Claudit agmen nomen *Faefur*, provinciae meridionalis regi cuidam proprium, quod tamen non moramur.

Quarta tandem quaestio tradita A. 1754. vernaculo sermone scripta, agit de *Hyperboreis*, de quibus et veterum et recentiorum multi multa fabulati sunt. Praeter Homerum et Hesiodum, illorum mentionem facientes, tradit, Herodotus Aristeam, summum fabulatorem iudice A. Gellio, primum notos fecisse Hyperboreos, qui ultra Issedonios ait, Arimaspes habitant moculi, ultra hos vero Gryphae, aurum suum diligentissime asservantes, postremo Hyperborei, usque ad mare se porrigentes. Plus tamen auctoritatis habet Herodoti, de sacris quibusdam fasciculis triticeis insertis, et ab Hyperboreis ad Scythas delatis, commemoratio, ut qui cultus religiosus ad vicinos quoque populos, ab his tandem in Graeciam, et denique ad incolas Delus insulae pervenerit. Quinimo duas ex Hyperboreis virgines, *Hyperoche* et *Laodice*, ductu quorundam popularium et comitatu, ad Insulam Delus penetrasse eamque sacris suis oblatis cultum religiosum docuisse. Quo posito, Hyperborei non adeo longe a Graecia remoti fuisse, certe terram frumenti plenam inhabitasse, videntur. Neque minus Graecam illos coloniam fuisse, et graeca virginum nomina, et Scholiastes in Pindarum, produnt, hoc quidem diserte scribente: Thraces a Graecis Boreani dicebantur, Borea nimirum ex illorum regionibus Graeciam perflante. Id quod hoc magis confirmatur fabula de *Orithyiae* rapina a Borea, Thrace quodam, facta. Thracibus igitur *Boreanis* a Graecis appellatis, credibile est omnes qui ultra illos habitarent Hyperboreos esse dictos. Plurimi quidem scriptores, Hyperborei habitationes suas iuxta Riphaeos montes assignarunt,

runt, quos tamen montes aeque nesciebant qua plaga mundi ac Solis via collocarent. Quantus quantus etiam ab antiquissimis inde temporibus percrebuit de Hyperboreis rumor, eos tamen nullus scriptorum veterum asserit sua aetate superstites fuisse. At *Olaus Verelius*, Professor quondam et Bibliothecarius Upsaliensis, eos, si uspiam, aut in Scandinaviae, aut ad oras maris glacialis; *Olaus* vero *Rudbeckius* in Suecia, et denique, *Torfaeus* in Norvegia fuisse autumarunt. Ab veritate propius absunt *Protarchus* apud Stephanum Byzantinum, et *Posidonius* apud Athenaeum Lib. 6. cap. 4. montes istos Riphaeos nullos alios nisi *Olbes*, sive *Alpes* fuisse, existimantes; et *Heraclides* Ponticus tradit, populos Romam A. V. C. 365. subigentes ex Hyperboreorum regione profectos fuisse. Duplex ergo Hyperboreorum genus fuit, et Thracum, et Alpensium, qui ratione Graecorum solummodo, non vero alius cuiuspiam populi, Hyperborei vocabantur. Fortasse Graeci ad occidentem spectantes alios agnoscebant Hyperboreos, alios Graeci ad orientem vergentes: illi nempe Illiricos, et praesertim Hylleos; hi vero colonias Danubium inter et Dnèpr flumina collocatas. *Mela*, *Plinius*, et *Solinus*, vitam Hyperboreorum ut cuiundam depingunt, et Auctor noster aeque iucundam nobis exhibet populorum quorundam in Sibiriae solitudinibus degentium imaginem. Ut enim quisque populus ab vitiorum illecebris, ac legum rigore remotissimus est, ita innocentissimus plerumque reperitur. Quodsi igitur quaestio est, an unquam fuerint Hyperborei? ea pro diversa ratione et affirmari potest, et negari. Ratione Graecorum fuere omnino, et quaelibet regio hodie suos habet Hyperboreos, s. populos sibi a septemtrione oppositos; sed eo, quo veteres hoc nomen usurparunt, sensu, sc. peculiarem Hyperboreorum populum exstitisse, recte negatur. Nam quo ulterius temporis successu penetratum est in regiones septemtrionales, unde Boreas flabat, eo ulterius Hyperborei collocati sunt, donec ad mare glaciale remotis non daretur *plus ultra*.

DE LIBELLO CONTRA BENIAMINUM KENNICOTT, S. Theol. Doct. &c. eiusque collationem MSS. Hebraicorum, nuper gallice edito, Epistola ad amicum, ex anglico vertit, suasque ad eundem Benj. Kennicott litteras adiecit, PAULLUS JACOBUS BRUNS, Lubecensis.

Romae, typis Generosi Salomoni. Praesidum facultate, 4 plagg. in 8vo.

Arduum est negotium, eoque ipso invidiosum, quo ante hos viginti fere annos nobilis ille criticus, Kennicottus, in animum induxit, omnes codd. Hebraeos V. T. partim ipse, partim per alios, conferre, atque variantium lectionum inde systema, quasi quoddam conficere, quo apparatu uti dein orbis Christianus in veris lectionibus constituendis queat. Nec contentus instituto suo proximarum provinciarum, Angliae, Galliarum, et Italiae scrinia excutere, sed ad ipsam Africam et Asiam se expandit. De quo viro, cum recte dici posset,

Si minus est felix, magnis tamen excidit ausis.

Hoc postquam generosa mente conari coepisset, triplices lectores reperit. Alii propense sperabant statim, et blanda spe inducti, difficultates facile putabant superari posse. Alii vero veluti ad commune incendium extinguendum concurrebant, et aut rem Christianam, aut suas tamen opiniones, inde detrimentum capere posse timebant. Reliqui in neutram partem propensi, otiose spectant quem finem res sit habitura, usuri pro suo si quid inde boni evenerit, humaniter laturi, si in tantis offendiculis, tota res, post impendia tempo-

Digitized by Google

temporis, laborum, et pecuniae, in ventos sit evasura quae si non speranda, optabilis tamen esset, neque satis excitari bonorum ingeniorum diligentiam posse putant, quae deterrita raro iterum se communi utilitati praebeant.

Nos itaque libenter nos tertio generi adderemus, et spei et suspicioni minus indulgentes, quod censores bonos decet. Nam in instituto ipso nihil videmus mali, perspicere codices innumeros, lectiones si non bonas, varias tamen inde excerpere, copiam facere selectui postmodum habendo. Nam cum varient libri Mscti, quod negari non potest, laudari debet, qui oculos et mentem vult torquere pro aliorum commodis, et tunc demum iudicium ferri potest, cum res est inspecta et excussa. Nam quod quidam dicunt, malo id fortasse animo fieri, ei sic est respondendum: Primum animus nihil ad rem, et quis scit an ita sit, de quo iudicare non facile possumus et commendamus sapientes veteris responsum, Act. V, 38. 39. Quid enim nunc magnopere dicitur, quod non dictum sit prius in eadem caussa, quod non iam olim dictum sit, aut quid vitio vertitur Kennicoto, quod non crimini datum sit antiquis criticis iam, quos tamen nunc *magnos instauratores* textus originalis habemus. Hieronymus antiquam versionem *latinius* et *accuratius* loqui iussit, statim dicebatur: *Hieronymus corrigit Spiritum Sanctum.* Reuchlinus Hebraica restituit, est haereticus. Erasmus meliorem versionem facit, monachi clamant. *Corrigit Erasmus Magnificat.* Castellio populari ratione et romana vertit codicem, et usque ad necem exagitatus est. Millius colligit variantes Lectiones, suspecta res; et quas non ille turbas vidit. Bengelius, religiosus vir, eius vestigiis insistit, et candide pronuntiat de locis suspectis, Ehem! odiosa res. Et nunc hos tamen omnes in sinu gestamus, et satis praedicare vix possumus, putamusque, maioribus nostris aut candorem, aut cor defuisse. Nos ne ergo aliter cum Criticis et Philo-

 logis

logis agimus, quam olim Judaei cum vatibus suis. Consule si sapis, Lector, Matth. XXIII, 29–31.


Pascitur in vivis livor, post fata quiescet.


Nisi forte quis aliud Hebraeo, aliud Graeco textui putet iuris esse, et in N. T. sexagies mille variantes, in V. T. vix centum. Ergo aut religiosius est Vetus Testamentum multoque purius, aut Maserotarum fides longe maior est quam Christianorum scribarum. Non bella laus. Aut denique Spiritus Sanctus magis pro Veteri Testamento hebraeo vigilavit, quo incorruptum maneret, quam pro Novo, quod tamen omnes putamus Vetere esse praestantius. Quo ergo tendimus? si modo scimus quid velimus, de quo valde dubitamus.


Respondit ergo hic Brunsianus libellus, mole parvus, utilis tamen et valde bonus, obiectionibus saepe admodum ieiunis, quas Gallicani quidam Anonymi Kennicoto fecerant ut ostenderent, Kennicotianum opus inutile, leve, periculosum esse. Fecerunt hoc primum quotidianis argumentis, e. g. de fide Masoretarum, quae nostro saeculo dudum ambigua facta est; de sphalmatis singulorum codicum, quae tamen bonitatem lectionum non tollere possunt, de periculo, quod ab profanis dein immineat, si viderint tantam farraginem lectionum, quasi vero dissimulando consulatur veritati, quae excussa multo lucet clarius. Alia eorum argumenta erant invidiosa, et personam infestantia, quae vero a doctissimo Brunsio studiose ac feliciter repressa sunt, et singulis exemplis ostensum, hos Aristarchos saepe in grammatica non sat fundatos esse. Magni igitur facimus merito Brunsium.

Satis diximus, iam et optamus ut Kennicotus multos habeat socios et administros huic similes. Infinitus labor est, tot obscuros codices perreptare, et postulat hominem doctum,

Digitized by Google


Fig: 6.


Fig: 5
G
F
H
M
L


P
R
R
Q
D
O
N
Fig. 1
H
C
l

doctum assiduum, diligentem, et gravem, cuius fidei insistere possint critici. Quae laudes haud ita sunt vulgares, et ubi nec gloria, sed invidia, nec opes, sed parca praemia, nec deliciae, sed molestiae innumerae sunt expectandae. Ergo ut paucis dicamus quod res est, institutum Kennicotianum est bonum, laudabile, utile, necessarium, iam olim, sed frustra expetitum. De eventu non potest iudicari ante eventum.

Neue Einrichtung der Luftpumpe ꝛc.

i. e.

NOVA ANTLIAE PNEUMATICAE dispositio, inventa atque descripta a CHRISTIANO LEISTE, Gymnasii Guelferbytani Conrectore.

Guelferbyti, impensis fratrum Meisneriorum, plag. 4. cum tab. aen. in 4to.

Aeris theoria per singula fere physices capita decurrit, et eius interior cognitio aditum ad complura naturae phaenomena curiosis scrutatoribus aperit; hinc, cum admodum pauca sint, quae vulgaris experientia de hoc mirabili fluido suppeditet, ad artem utique et usum machinarum pneumaticarum recurrendum est. Et quidem, quod potissimum attinet ad antliam pneumaticam, cuius cl. Leiste componendae rationem prorsus novam invenit, ea inde a tempore Ottonis de Guerike complures habuit evendatores Germanos, Anglos, Batavos, itemque Gallos, quorum correctiones auctor adcurate indicat, quae vero aëris rarefactionem potissimum spectant, nec molestum operandi modum Tab. I.

prorsus tollunt, quin augent potius, ad modum rarefacti in recipiente aëris. Smeatonis quidem antlia vulgarior est, et quamvis condensando aëri commodius adhibetur, quam solet Senguerdi antlia; exantlandi tamen labor longus satis et tardus est, quo ipso dubio procul commotus auctor, de ea emendanda meditari coepit, idque, de quo gratulandum, prospero admodum eventu. Quam obrem, ut dictis fidem faciamus, summa cupita indicabimus, ex quibus, imagine collata, de bonitate antliae Leistianae lector iudicare et aestimare possit. In hac ergo, ad aerem in cylindrum immittendum ac emittendum, uti planum baseos, ita et discus, duplici valvula instructus est, embolus vero nulla, quo fit, ut inter operandum nullus fere aër in cylindro relinquatur, nisi forte in valvularum interstitiis. Epistomium quidem Smeatonicum retinuit, A. sed valvulam eidem adiunxit, cuius ope, vel nuda labiorum suctione, atmosphaerae valvulas exteriores urgentis pressio cohiberi, atque adeo exantlatio ad maiorem gradum provehi potest. Ad praestantiam huius valvulae adhuc istud pertinet, eius in aëre condensando usus. Tandem ad notandos raritatis et condensationis gradus, adhibuit tubulum vitreum, cuius duo crura fere aequalia mercurio repleta sunt, alterum, quod brevius est, epistomio muniuit. Hoc, dum aër in recipiente condensandus, clauditur, extenuatur contra atque rarescit quamprimum aperitur, adscendente ita mercurio in altero tubuli crure longiore. (*Fig. 2.*) exhibet *cylindrum EE*, *embolum mm*, atque vectem cylindricum *ll*, canales communicantes *F*, *G*, epistomium *A*, cum valvula *B*. Diameter cylindri *EE* aequat $2\frac{1}{4}''$ altitudo $18\frac{1}{3}''$. Per foramina *gg* (*Fig. 3, 4α*) aër in cylindrum immittitur, per *hh* vero immissus exit. Discus superior *dk* (*Fig. 4β, coll Fig. 2.*) continet pyxidem obductam corio, ut vectis emboli in adscensu et descensu nulla interstitia relinquat, per quae aër fluere possit. Emboli duo disci extremi muniti sunt lamellis coriaceis *1, 1*, et *2, 2*, hac ratione ad fundum atque discum cylindri satis firmiter

firmiter apprimitur. Canales *F, G, L, M,* (*Fig. 1.*) communicant cum *H*, mediante quo cum recipiente *Q* cohaerent. *F* et *M* vero per infimum discum *v v* (*Fig. 2*) transseunt, breviores autem *G* et *L*, duabus laminis *p p* (*Fig. 4 β*) muniti sunt. Dum epistomium in eum situm dirigitur, quem (*Fig. 5 et 2.*) commonstrant, canalis *H*, ope foraminis *c c*, in communicationem venit cum canalibus *G* et *F*, qui in valvulis interioribus desinunt, et quamprimum embolus elevatur, in omni eo spatio, per quod adscendit in cylindro, nullus reliquus est aër, praeter eum, qui forte in foramine *h h* (*Fig. 3 α*) valvulae exterioris haesit. Hic diffusus per id spatium, vi aëris nondum rarefacti resistere nequit, atque adeo valvulas urget cum hoc virium excessu. Qui contra in *F* continetur aër, sua vi utique per valvulam interiorem influit in cylindrum, atque ita demum incipit aër ex recipiente, per canalem *H*, et foramen epistomii *c c*, in *F* influere, indeque in cylindrum, quoad hic cum residuo in recipiente iam aequilibrat. Embolus ita elevatus non potuit non quin aërem ex superiore cylindri parte per valvulam disci *h* (*Fig. 4 α*) in canalem *L*, indeque per foramen *a b* epistomii, eiiceret. Eodem modo, depresso embolo, aër ex recipiente in superius cylindri spatium per viam *H, c c,* et *L* influit, atque eodem tempore aër ex inferiori spatio per exteriorem baseos valvulam, et canalem *M*, ex *a b* eiicitur. Ex dimensione magnitudinis spatii sub embolo, itemque foraminis valvulae exterioris *h h* (*Fig. 3.*) colligit cl. auctor, aërem, ope suae antliae, in ratione $20,25''' : 112164'''$ extenuari, qui quidem gradus amplius adhuc augeri potest, dummodo valvula *B*, ope cochleae ad epistomium *A* adstringatur (*Fig. 2.*) Non vero hic unicus usus est huius valvulae, indicat praeterea, adiuncto tubulo mercuriali, condensationis et rarefactionis gradum, ex Scala cognoscendum, cuius in hac antlia ratio non aeque ambigua et incerta est, quam esse debet in Smeatonia, in

qua

qua tubulus apud *A* (*Fig. 7.*) prorſus clauſus eſt. Nimirum, dum aër, in ſpatio *AB* contentus, vi ſui elateris mercurium in crure *DF* retinet, ita, ut tantum aſſurgat quantum cecidit: neceſſe eſt eſſe $FE = DE = BC$, unde, ſi eiusmodi variabile ſpatium denotetur, *x* utique $DF = 2x$. Et, quando quidem elater in ſpatio *AC* contenti aëris, non tantum cum columna mercuriali *FD*, ſed etiam cum aëre in campana contento, in aequilibrio eſt, denominato priori per *E*, poſteriori vero per *e*; utriusque valores exprimuntur ſuis aequationibus, in quarum altera *E* per ſummam $e + 2x$, *e* vero per differentiam $E - 2x$ determinatur; inde tandem ope proportionum $E : h = a : a + x$ et $h : e = 1 : 2$ in quibus *h* altitudinem, *a* autem ſpatium *AB* exhibet, condita eſt formula valorem *x* quaeſitum adſignans, quae etiam quadam ſignorum permutatione pro cognoſcenda condenſationis ratione, adhiberi debet. Caeterum, etiamſi paucula haec decerpta pretium novae huius machinae utcunque declarant, neminem tamen poenitebit integram pertractationem Viri doctiſſimi perlegiſſe.

ORATORUM GRAECORUM, VOLUMEN V. *LYSIAE* PRIMUM, *graecam Orationem TAYLORI et MARKLANDI, adnotationibus explanatam, complectens, quibus ſuas, aliaque addidit, JOANNES JACOBUS REISKE.*

Lipſiae, typis Sommeri, 1772. Alph. 2. plagg. 15. octonis.

Inter reliquias et documenta eloquentiae Atticae, non eſt ultimo loco ponendus *Lyſias*, cum alias ob cauſſas tum quia orationum eius maior, quam aliorum, qui hocce in corpore continentur, adhuc ſupereſt numerus. Non accedit

dit ille quidem ad eorum, quos in eloquentia regnare antiquitatis et recentiorum ſtatuit conſenſus, Iſocratis et Demoſthenis vim et excellentiam; permulta tamen habet atque praeclara, quae lectionem eius faciunt commendabilem. Optandum autem eſſet, plura adhuc ſuppetere praeſidia, quorum ope conditio eius, poſt tantorum virorum curas atque diligentiam etiam nunc ſatis miſera, melior reddi poſſet. Putantur quidem in Eſcurialenſi Bibliotheca, aliisque, praecipue Italicis, latere forſitan quaedam, quae uſum ſine dubio non contemnendum habere poſſe videantur: ſed haec tantum eſt coniectura, et votum nunquam forte ſucceſſurum. Nam ex Hiſpania quin Graeca litteratura multum ſit habitura adiumenti, vehementer dubitamus; eam ita ſcimus *negligi*, ut ne quidem typi Graecis exprimendis reperiantur, de quo Cl. Maianſius graviter conqueritur. De Italis autem, ut omnium, ita harum litterarum principibus olim inſtauratoribus et cultoribus quid ſentiendum ſit, inde poteſt intelligi, quod in tam vaſtis regionibus pauci ſint, qui Codices antiquos Graecos legere poſſint, quod et Cl. Schulzius ad Theodoretum, et ipſe Cel. Reiskius in praefatione ad hoc volumen, teſtatur. Eſt profecto vehementer dolendum, Cl. Reiskium fruſtra tantum laborem in eo collocaſſe, *ut aliquid nanciſceretur*, *quod in* commodum Lyſiae converteret. Cuius conatibus ſi reſpondiſſet eventus, Lyſias ſane ſibi gratularetur, eum ſe virum ſumſiſſe expoliendum, qui inter paucos litteras Graecas egregie callentes eſt numerandus. Sed ſi maiora deſunt, iis, quae ſuppetunt, eſt utendum, etiamſi ea ſint conditione, quae, ſi meliora adeſſent, ne quidem deſideraveris.

Praemiſſa eſt Lyſiae orationibus Praefatio, in qua et praeſidia, quae fuerunt, commemorantur, et editio Lyſiae Londinenſis anni 1739. accurate deſcribitur. Neque hoc videtur non probandum. Eſt enim illa editio ita rara, et in noſtris terris tam parum frequens, ut plerique eam ne

E oculis

oculis quidem usurpaverint. Coniuncta est cum censura hac editionis Anglicanae brevis de scribendi genere Lysiaco disputatio qua in re Cel. Reiskii perobscurum statuentis Lysiam iudicium non possumus non amplecti. Docet porro, Lysiam, inter omnes fere scriptores, Graecis mendis maxime esse obsessum, lacunisque ita distinctum, ut de locis quamplurimis paene desperandum videatur. Misera haec Lysiae conditio quam et ipsi agnoscimus, vehementer et inde augetur, quod perpauci eius adhuc exstant Codices MSSti, quorum suffragiis mendae tolli, et lacunae expleri possint. Nactus quidem est Editor aliquot paucos Codices, quorum tamen ea est ratio, ut, ipso fatente, perparum inde Lysiae auxilium venerit. Quae confessio ut ingenuae mentis est argumentum, ita omnibus videtur commendanda. Vulgaris enim haec est doctorum consuetudo, ut quae ipsi possideant, aut usurpaverint, ea continuo praedicent, summisque laudibus in coelum usque tollant. Illustre in hanc rem exemplum ipse dat Lysias, eiusque editor Taylor, de quo postea, pauca addemus. Iam codices, quibus usus est, Celeb. Reiskius, commemoremus. Primus est Coislinianus, non magni faciendus ille, iudice Reiskio. Usus est illo quidem Taylor, aliquidque ad Lysiam constituendum nactus est inde auxilii; sed eum non ita videtur adhibuisse, ut non et Reiskii secundis curis plura etiam fuerint relicta. Alter Codex exstat Venetiis in bibliotheca S. Marci, inter eos, qui Cardinalis Bessarionis olim fuerunt. Impetravit Celeb. Reiskius, beneficio Antonii Zanetti, praefecti bibliothecae, ad loca tantum quaedam selecta varietates. Nemo enim Venetiis, in tanta urbe, esse putatur, qui eam provinciam ita susciperet, ut totum codicem ad editionem aliquam examinaret. Et fuere eius codicis lectiones ita comparatae, ut nihil paene ad emendandum Lysiam adferrent, imo plus habet codex ille corruptelarum, quam libri vulgati. Tertius Codex est Vindobonensis, quem omnium Codd. Reiskius maxime putat corruptum. Quod eius iudicium, de quo

quo non dubitamus, verum est, sane Taylor est reprehendendus, qui eum *optimae notae* semper esse clamat, quod ab Critico acri et diligenti omnino videtur esse alienum. Sed habet hoc commune cum multis, qui ea, quae ipsi possident, maximi faciunt, alia contemnunt; quorum in numero fere sunt ii, qui Criticam artem ubique iactitantes, eiusque tamen plane imperiti, semper clamant, sic *Codex antiquissimus, optimus*, sic *omnes Codices*, cum tamen nullum ipsi Codicum viderint, sed ab aliorum ore pendere consueverint. Non tamen ita est contemnendus hicce Codex Vindobonensis, quin subinde bonas lectiones, quae etiam in textum plerumque sunt receptae, praestiterit. Jam dudum est hoc Criticis observatum, saepenumero in Codd. vitiosissimis eas *esse lectiones*, quamquam raras, quae omnibus aliis debeant praeferri.

Satis diu hisce immorati, accedamus ad ipsum Lysiam, videamusque, quibus in rebus Cel. Reiskii curam laboremque expertus, meliore, quam antea, iam sit conditione. De Taylorianis et Marklandianis adnotationibus, iusto plerumque illis longioribus atque subtilioribus, nihil dicemus. Sunt illae quidem ita comparatae, ut magnam partem debebent relecari, sunt tamen integrae repetitae, consilio non improbando. Est quorundam hominum ea conditio, ut magnam, iactatione sua, eruditionis famam consequantur, atque pro talibus habeantur, quibus nihil nisi egregium excellensque excidere possit. At vero ubi rem accuratiore animo examinaveris, omnia alia apparent, ipsorumque gloria, velut alae Icareae, liquefacta, in profundum delabitur. Quorum in numero quin Taylori et Marklandi notas et coniecturas collocemus, vix a nobis impetramus. Sed missis his, ipsius Cel. Reiskii laborem adcuratius paullo perlustremus. In quo tamen recensendo non ita versabimur, ut omnia, quae ille praestitit, enumeremus, sed potiora tantum seligamus.

Legebatur antea pag. 3. ὅτι εἴπερ ἂν ὑμῖν αὐτοῖς εἴ ἦτε τοιαῦτα πεπονθότες. Illud εἰ ἦτε difficilem habet sensum, quem neque nos tam lyncei sumus ut perspicere valeamus. Diu ante Taylorum, Schottus et Scaliger coniecerant, legendum esse εἴητε, quos tamen viam monstrantes Tayloro sequi non est visum. Lectionem εἰ ἦτε, *quia non improbat*, retinet, de sensu, ut videtur, securus Cel. Reiskius recte in εἴητε videtur contraxisse. Notissimum enim est scribarum negligentia, aut alio quocunque casu saepe factum esse, ut vox una in duas divideretur. Cuius rei in in ipso Lysia exempla occurrunt. Pag. 9. legitur ὥστε μήτε λυπεῖν, μήτε λίαν ἐπ' ἐκείνῃ εἶναι: Taylor et Marklandus certatim in huius loci emendationem insurrexere. Ille adgreditur τὸ λυπεῖν, longaque et subtili disputatione it demonstratum, legi debere ἐλλιπεῖν: τὸ λίαν hic tentat, vultque mutatum in ἐᾶν. Uterque male. Recte Reiskius vulgatum retinet, cum illud, indice eodem, ne quidem sit Graecum, hoc minus necessarium. Contra non arbitramur necessarium, quod vult Cel Reiskius pag. 16. ut aut addatur ἐξιόντα, aut ἐγγὺς in alium locum transferatur. Potest enim ἐπιτηροῦσα explicari sine accusativo addito, *observans, intenta.* Pag. 17. legebatur antea τὴν γυναῖκα: Marklandus odoratus est deesse videri τὸ σὴν, idque pro more suo, longa disputatione demonstrat. Reiskius recepit in textum ex Codd. Pag. 43. ante Taylorum erat προσθείη. Dedit hic προθείη, longa subiuncta adnotatione. Reiskius vulgatum et ipse non probat, deditque in textu πεισθείη. Quae etsi est coniectura, magis tamen, quam Tayloriana, videtur probanda, dum Codd. auctoritas melius quid suppeditet. Pag. 29. fuit olim ποδηγής. Varias, quas eruditorum ingenia in hac voce dederunt coniecturas, enumerare neminem iuvat. Recepit Reiskius ex Vindobonensi πληγείς, praeeunte iam Toupio. Num recte, alii iudicent, saltem facilior reddita consecutio verborum. Dissentimus autem ab Cel. Reiskio, quod pag. 30. τὸ σίδηρον oppugnat, prae-

praefertque σίδηρον, quia illud *ferrum*, *metallum*, hoc, quae ex ferro confecta sint, *arma*, *falces* significet. Sed veremur, ne nimis haec sint subtilia et argutiora. Nam nulli dubitamus, quin σίδηρον, ut Latinis, ferrum de ense, cultro, accipiatur. Pag. 41. est περὶ τῶν τοιούτων, *in eiusmodi caussis*. Taylor non satis aut attentus, aut dictionis huius ignarus, τὸ περὶ mutare voluit in παρὰ; quae mutatio, praeter quam quod nulla Codd. auctoritate nititur, etiam videtur inepta. Unde iure eam Cel. Reiskius reiecit. Ex hoc aliisque innumeris apparet quam largam et amplam suppeditet saepe linguae inscitia emendandi cupiditati materiam. Pag. 41. lectum ante τὴν δὲ ψῆφον ὑμετ. Coniecerat Reiskius esse debere τὴν δὲ ψῆφον τὴν ὑμετ. Quam additionem τὸ τὴν, *quia* sensus postulat, et Codd. confirmant, in textum immisit. Pag. 55. pro μνήμαις, quod Taylor Stephanum sequutus dederat, revocavit Reiskius Aldinum γνώμαις, ob consensum Codd. Nosque et ipsi hoc putamus praeferendum: etiamsi illud in quibusdam sit Codd. quia γνώμαις, quod rariorem habet significatum, nemo librarius, ut arbitramur, facile cum μνήμαις, cuius est vulgaris significatio, permutaverit, licet ipse Reiskius pag. 115. contra statuat. *In oratione funebri* pag. 64. est locus, de quo quid nobis videatur, pace doct. *Reiskii non possumus non* proferre. Sectatur in hoc quidem Lysias brevitatem quandam, quae etiam facit, ut oratio interdum sit subobscura; neque tamen inde largimur id posse colligi, ut, si aliquo loco ab hac sua regula discesserit auctor orationis spuria ea et Lysiae nomen falso praeferens iudicetur. Quae si ratio valeret nullam credimus fere extare, quae suo auctori non falso tribuatur. Plinium e. c. in Panegyrico, etiam pueri norunt quandam adfectasse brevitatem, sed non ita eum esse constantem, ut non saepius sit copiosus in coacervandis verbis et sententiis, idem fere significantibus. Et tamen omnes ab ultima memoria Critici, Panegyrici eius auctorem, consentientibus

suffragiis, Plinium habuerunt. Pag. 82. antiquum διεκινδύνευσαν Taylor, quam ob caussam nescimus, mutaverat in δὶς ἐκινδύνευσαν, cum tamen vulgo notum sit, tria, non duo, celebria Graecorum terrestria fuisse praelia. Apparet, Cel. Reiskium iure antiquum revocasse. Idem pag. 99. recte videtur recepisse, quod Marklandus coniecit, ἐν Σαλαμῖνι; οἷς, pro ὑπὲρ τῶν ἄθλων τῶν ἐν Σαλαμινίοις; οἷς. Contra non videtur necessarium, in his, εὐτυχίαν ὁμονοῦσαν τοῖς κινδύνοις ἐκτήσαντο, priora mutare in εὐψυχίαν ὁμολογοῦσαν, praesertim sine librorum auctoritate. Vulgatum etiam sensum habet meliorem, *felicitatem, quae par esset periculis*, id est, quae digna esset, propter quam tanta pericula subeantur, *acquisiverunt*. Ignoramus praeterea, an dici possit, εὐψυχίαν κτήσασθαι, *fortitudinem parare*, nisi κτήσασθαι velis reddere per *habere, possidere*, quod tamen ab hoc loco videtur alienum. Pag. 122. pro vulgato κοινοὶ receptum καινοὶ, ut sit oppositum τοῖς παλαιοῖς, quod praecedit. Prius tamen defendi posse videtur. Pag. 140. pro Tayloriano ὄκνας, recte receptum ἐνστάς, *urgens*. Pag. 153. Taylor omiserat ἢ μεθ᾽ ἡμέραν; cel. Reiskius ex Codd. prioribus recte revocavit. Pag. 253. legitur κατὰ τὸ παλαιὸν καὶ ἀρχαῖον. Offendit Taylorum τὸ παλαιὸν, ideoque mutatum voluit in πάτριον. Huic stabiliendo plura loca affert, in quibus τὸ πάτριον occurrit, quae huc plane non pertinent. Primo enim nemo dubitat, quin hoc sensu τὸ πάτριον usurpetur, et vero etiam exemplis non erat opus. Deinde profecto est durum, meram coniecturam, quam nulli Codd. firmant, pro lectione codd. et edd. et quae non est contra analogiam linguae in textum recipere. Recte igitur Reiskius vulgatum restituit. Pag. 280. ex Vindob. additum ἀπαρνήσει post καὶ μαρτύριον, quod sane videtur a librario omissum, ob statim praecedens idem vocabulum. Pag. 337. pro πραχθεὶς revocatum Aldinum πραθείς. Pag. 453. dedit Reiskius, ex coniectura Taylori et Mark-

Digitized by Google

Marklandi, στρατηγῶν pro στρατιωτῶν. Sed non videtur haec emendatio necessaria. Coniunguntur quidem illa duo saepius in hac oratione; nulla tamen est ratio, cur Lysias alio loco non aliter potuerit scribere. Admitteremus, si Codd. haberent. Pag 478. haec sunt verba: ἄλλοι μὲν ἀπέθανον· ὁ μὲν στρεβλωθεὶς Ξενοφῶν, ὁ δὲ Ἱππίας, ἄλλω. Taylor haec se non intelligere fatetur; Marklando suspicio suboritur, cum res, ut Cel. Reiskius explicat, intellectu sit facilis. Docet enim ἄλλως ἀποθανεῖν esse simpliciter interfici, μὴ στρεβλωθῆναι. Pag. 557. bene doct. Reiskius secundam contra Alcibiadem Lysiae adserit, contra Marklandum. Pag. 673. legebatur antea ἀλλὰ γὰρ ψευδῆ κατηγόρων. Ad quem locum expediendum Oedipo Taylor putat opus esse. Fuit is Marklandus qui coniectura verum assequebatur, volebatque ψευδῆ κατηγόρουν. Quod quia Cod. Vindob. firmat, in textum est receptum. Pag. 854. fuit olim ἐκ τῶν κύρβεων καὶ εὔπλων. Exercuit ultima vox summorum virorum ingenia, Petitum, Taylorum, Marklandum, alio aliter rem expedire conante. Cel. Reiskius commutavit cum στηλῶν, itidem ex coniectura. Videtur illa quidem, quam priorum, probabilior, sed tamen veremur ut res adhuc satis sit explanata. Haec sunt, quae potiora videbantur, et commemoratu non indigna. Unum hoc addamus, vehementer Cel. Editorem nobis se probasse, quod id sibi praecipue indicandum proposuerit, quae sit vis oratoria et quomodo obscuriora et non satis sibi respondentia debeant inter se comparari connectique. Caeterum auguramur, fore, ut labor hic Celeb. Reiskii permultis ita videatur probandus laudandusque, ut vir optimus eum non sine fructu exhausisse existimetur. Certe reipubl. litter interest, talium virorum, quorum copia non premimur, meritis, quacunque demum ratione fieri possit, succurrere.

NOVA

NOVA LITTERARIA.

Si iure aliquo Virorum illuſtrium aut eruditorum per Europam rogetur Patrocinium, ad opus aliquod litterarium in lucem edendum; liceat augurari, eosdem optimo iure iam compellari, ut opus, in univerſorum utilitatem inſtitutum, formaque ſequenti propoſitum, favore ſuo protegant et ſuſtentent. Profecto Doctor *Kennicott*, qui huiusmodi patrocinium rogat, publicae liberalitatis laudi multum detraheret, ſi, poſtquam opus a ſe inceptum ſubſcriptione librarum plus quam decem mille, (monetae Anglicae,) huc usque auctum fuerit ac promotum, non ex hoc argumento colligeret, fore et impoſterum Patronis ſuis parem alacritatem, quo typis demum excudatur; quod, ut tam ingenti ſumptu prelo paratum eſſet, iisdem auxiliantibus tandem effecit.

Quanquam vero huiuſce operis fama ſingulas Europae regiones pervaſerit; quanquam hominum uniuscuiusque et ordinis et ſectae praeconio fuerit ornatum; nec minus Romae, quam Genevae, auctoritate publica munitum; quanquam Regum potentiſſimorum commendatione decoratum, et celeberrimorum tum Profeſſorum, tum Bibliothecariorum ſubſidiis, firmatum; quamquam Auguſtiſſimi Regis Britannici, Sereniſſimi Principis Arauſiaci, Academiae Theodoro-Palatinae Manhemienſis, plurimorum porro Virorum Illuſtrium ac Doctorum tam in Britannia, tum in Hibernia, patrocinio ac munificentia ſingulari inſignitum; quanquam denique opus, adeo honorifice commendatum, ſatis quoad propoſitum eius ac uſum innoteſcat, eousque ſaltem, ut ulterior aliqua explicatio ſupervacanea videri poſſit: quoniam tamen ad nonnullos forſan publicae hae conditiones pervenient, quos operis huius indoles, prorſus latet; ad nonnullos etiam, quos, ut de eo minus benevole ſentiant, induxerunt vel paucorum impetus inhumani, vel multorum falſae

falsae repraesentationes, ex ignorantia ortae; vera operis indoles breviter hic exponenda est, et illustranda.

Inter omnia, quae nunc extant per totum terrarum orbem, volumina, nullum Novo Testamento, utilitatis ratione habita, nullum Veteri Testamento, quod ad antiquitatem attinet, aequiparari potest. Haec duo volumina generis humani tum historiam, tum officia, a mundi creatione usque ad ipsius int ritum enarrant, idque ex scriptorum spiritu divino afflatorum auctoritate. Quanquam vero hi Auctores scripta sua omnino perfecta post se reliquerunt, eam tamen perfectionem non vendicabant ii, qui in saeculis sequentibus transscripserunt: nec divina providentia ullo modo sese interposuit, ut perpetuo miraculo calamos scribarum erroribus obnoxiorum dirigeret. Quod si multae variantes lectiones irrepserunt, in nulla certe aetate, quam hac nostra, opportunior esse potuit earundem detectio, cum verisimile sit, has ipsas varietates obiectionibus hominum infidelium ansam praebuisse praecipuam. Est etiam verisimile, harum varietatum nonnullas in iis locis obtinuisse, in quibus Vetus Testamentum vel cum locis exinde in novo citatis, vel cum aliis Veteris Testamenti locis, nunc pugnat; vel ubi verba, *in prosaica praesertim oratione*, legitimam aliquam et grammaticam *interpretationem non recipiunt.* Et quanto impedimento necesse hoc fuerit eorum studiis, quibus sacrum hunc codicem exponendi datum sit negotium; quantumque aliorum pium ardorem minuerit, quibus in hunc librum meditandi incumbit officium! si revera multis magnisque a primaeva sua rectitudine deflectionibus obscuretur.

In Academiae Oxoniensis honorem dictum sit, quod hic loci, anno C. 1707. Graecus Novi Testamenti textus, una cum lectionibus variantibus, ex codicibus MSctis circiter 112. ab erudito ac diligenti Doctore Millio collectis, in lucem fuit editus: cuius institutum, etsi paucorum cavillationibus petitum, magna tamen cum laude et gratitudine

acceptum eſt. Cum tamen eruditi fere omnes, dum Millio grates agerent, eo ipſo opinionem ſuam prodebant de multis locis in Novo Teſtamento corruptis, (quae enim in peius mutantur, ea certe corrumpuntur) credebant nihilominus pauca eſſe loca corrupta in textu Teſtamenti Veteris: imo potius religionis loco habebant, textus Hebraei impreſſi integritatem aſſeverare abſolutam; etiamſi iis non innotuit, quo ex codice MSćto, vel quibus MSćtis, fuiſſet deſumptus.

At vero, circiter 20 abhinc annos, deprehendebat D. Kennicott multos codices Bibl. Hebr. MSćtos Oxonii ſervatos; eosque tum a ſe invicem, tum a textu impreſſo, magnopere diſſentientes. In aliis etiam Cod. MSćtis, tum Cantabrigienſibus, tum Londinenſibus, variantes lectiones multas, easque magni momenti, reperiebat. Haec inventa, nihil obſtantibus virorum doctorum opinionibus praeiudicatis, in Diſſertatione anno 1753. in lucem edita, expoſuit. Qua in Diſſertatione, uti et in altera 1759. tam abunde emicuerunt probationes tum codicum Hebr. iam extantium multitudinis, tum lectionum non leviter variantium; ut induceretur fuit D. Kennicott, Viris primariis eum adhortantibus, ad collationem omnium codicum Hebr. Biblicorum, in Britannia aut Hibernia conſervatorum, inſtituendam.

Intra decem annos, quos antea ſubducto calculo neceſſarios fore coniecerat, fuit ad umbilicum perducta collatio. Dumque haec geruntur domi quid apud exteros fieri poſſet exquirebat; et exquirenti res tam pulchre ceſſit, ut codices MSćtos ex Aſia, Africa, et America huc advectos, excuſſerit. Ampliſſima autem illa, quam corraſit, ſupellex ex Europaeis praecipue derivata eſt regionibus; quarum ex nonnullis codicum collationes ex aliis ipſi Codices, fuerunt ſubminiſtrati: et ex Hiſpania nuper tranſmiſſi ſunt ſex MSćti eruditiſſimi Doctoris Bayer, eccleſiae Toletanae Theſaurarii, peculium.

Apud

Apud exteros vero tot reperiebantur codices MSſti, ut eorum omnium collationes nanciſci res eſſet optanda potius, quam exequenda: expetendum tamen erat, imo et efficiendum, ut in locis ſelectis, quae magni eſſent momenti, inſpicerentur fere omnes. Quo circa D. Kennicott (qui in hoc opere ulterius proſequendo non magis inſtituebat ſuis parcere ſumptibus, quam pepercerat valetudini,) cum ipſemet codices Pariſienſes ad examen revocaſſet, Dominum Bruns, Lubecenſem, virum doctiſſimum, miſit ad regiones pleraſque Europaeas, in quibus eiusmodi codices conſervarentur, viſendas. Huius itineris commoda votis plus quam reſponderunt; et Brunſio ſingulae bibliothecae ſumma humanitate fuerunt patefactae. Hic, operis ſacri gratia peregrinans, magno exceptus eſt favore; atque eo maiore, quippe ei datae fuerant literae, ſatis honorifice conceſſae, a Sereniſſimi Regis Britannici Secretariis ad res politicas primariis; et ab iis, qui eiusdem Ser. Regis legationem apud exteros gerunt, officiis adiutus fuit humaniſſimis.

Iam in Angliam redit; inſtituto a Roma, Venetiis, et Vienna, per Pragam, Dreſdam, Lipſiam, Berolinum, Hamburgum, et Hollandiam itinere. Tranſmiſſis iam iam Oxonium quinque *faſciculis, mole haud mediocri,* materiae ac ſupellectilis ad hoc opus pertinentis; reverſurus eſt, uti ſperandum, reliquiis ditatus, priusquam opus prelo ſubiiciatur. Theſaurus vero, quem colligit, non tantum ex bibliothecis provenit publicis; conceſſa eſt enim ei licentia plurimos verſandi codices, qui privati ſunt iuris. Utitur quinetiam ſingulari quodam privilegio, MSctos nempe, qui ad Synagogas doctosque Judaeos pertinent, examinandi. Atque id beneficium operi huic idcirco acceſſit; quod binae Epiſtolae Hebraicae, verbis maxime honorificis, conſcriptae ſint, et a praefectis Synagogarum Londini primariarum conſignatae, fratribus ſuis peregrine agentibus inſcriptae, atque ad eos a Brunſii ipſius manibus traditae.

Quanquam fieri nequeat, quin, ex hac Judeorum opinione multorum Christianorum animi ducantur ad rectam de instituti huiusce utilitate sententiam: sunt tamen, qui adhuc opinari volunt necesse esse, ut sit, (idque Judaeis saltem exteris cognitum,) certum aliquod exemplar, cuius in vero textu statuendo extra controversiam valeat auctoritas. Esse tamen apud exteros Judaeos nullum tale crirerion, hinc patet – – – quod nuper incidit D Bruns in Biblia Hebraea, Mantuae 1742. prelo exarata, curantibus Judaeis doctissimis in Italia degentibus. Horum Bibliorum nulla apud Christianos, vel Britannicos, vel alius fortasse cuiuscunque regionis, facta fuerat mentio: etsi quaedam habeat sibi prorsus peculiaria. Textus quidem idem fere est, qui et in aliis editionibus recentibus; ad imam vero quamque paginam subiiciuntur lectiones variantes, quarum numerus plus quam 2000 attingit, in quibus multae magni momenti, ex codicibus MSctis collectae, ex editionibus impressis, exemplaribus Talmudicis, et Rabbinorum celeberrimorum scriptis. Inter alia, insigniter ab eo auctore notata, reperitur et hoc – – – in quibusdam Bibliorum Hebr. locis tot et tantas occurrere exemplarium discrepantias, ut, quas pro veris lectionibus ipsi statuant Judaei, plane nesciant.

Qui codices MScti annorum sunt 300. vel 400. ii cum Textu hodierno maxime consentiunt: et quo vetustiores sunt codices, eo magis ab hoc textu discedunt, magisque cum versionibus antiquis et Novo Testamento conspirant. Supersunt adhuc codices Hebraei annorum 500. 600. et 700. et credibile est, inter eos, qui iam conferuntur, esse qui ad maiorem ascendant vetustatem. Hoc utcunque vertat, ex codicibus MSctis fere 600. qui scrutationem in huius operis emolumentum subierunt, non pauciores quam 50 videntur annorum esse plus quam 500. Cum textus impressus Samaritanus qui multis in locis Hebraeum possit corrigere, sua tamen habeat errata; ex veris MSctorum codicum

dicum Samaritanorum lectionibus ea errata procul dubio sunt emendanda: adeo ut ipsa loca, in eo textu corrupta, argumento sint, quam necessaria sit haec operis instituti pars. Ex Samar. MSctis 16. per Europam nunc cognitis, integre collati sunt in hoc opus codices 8 vel 9, quin et e caeteris omnibus copiosa varietatum excerpta in hac editione prodibunt. Inter Editiones 40 impressas, quarum hic institutum fuit examen reperientur primae Editiones — Psalmorum, anno 1477 — Pentateuchi, 1482. — Prophetarum, 1486. — Hagiographorum, 1487. — Bibliorum insuper universorum. 1488. quae una editio ab exemplaribus hodiernis discrepat in locis plus quam 12,000.

Quod si lectiones variantes in Bibliis Hebraeis, *impressis* aeque ac scriptis, tantopere abundant; aut est aut esse certe debet votum uniuscuiusque Christiani ardentissimum, ut cunctae hae Lectiones, quantum fieri possit, luce donentur publica: ut ita demum pari gaudeat privilegio Testamentum Vetus, quo iam diu potitum est Novum; quodque ut omnibus scriptoribus antiquis tribuatur postulant eruditi. Et quod ad ineptam illam attinet quaestionem, *utrum codices MScti*, in operis huius usum adhibiti, *bono an malo iudicio fuerint selecti*; *sciant rixatores*, nullum eiusmodi, de quo loquuntur fieri delectum, sed lectiones variantes ex MSctis Europaeis fere omnibus hic fore exhibendas, quorum MSctorum in Prolegomenis dilucida prodibit enumeratio.

Forma ac modus Editionis est huiusmodi. Textus Hebraeus ab editione van der Hooght desumetur; ne unicae quidem literulae facta de industria mutatione, nisi quod errata quaedam typographica, in editione Amstelodamensi detecta, corrigentur. Ad imas paginas subiicientur Lectiones variantes, singulae ad sua commata spectantes; nume-

roque ſuo in his notis animadverſo, iuxta catalogum praefigendum, unusquisque codex, unde deſumptae fuerint variationes, indigitabitur. Textus ideo hic imprimetur, quia eiusdem cum notis comparatio ſic longe commodius inſtituetur; et plurimis in locis, ſine textu ſupra poſito, notae vix intelligi poſſent. Textus, ut res poſtulat, prodibit Hebraice; notae ac prolegomena, latine. Sperandum tamen, huiusce operis beneficium in univerſum orbem chriſtianum redundaturum; cum, Lectionibus his variantibus in lucem demum prolatis, verſionum vulgarium, tum domi, tum foris, examen de novó inſtituetur.

Excudetur in folio haec editio: et textum Pentateuchi Hebraicum comitabuntur lectiones variantes codicis Samaritani, ordine et loco commodiſſimo diſpoſitae. Eousque proceſſit operis inſtituti apparatus, ut, quamprimum commoda fieri queat coniectura, quantus exemplarium numerus ſit excudendus, typis ſtatim mandetur: in hoc etenim opere, ſumptibus admodum inſolitis onerato, pecuniarum iactura non neceſſaria prorſus abs re eſſet. Et cum ſperare liceat, intra 4 aut 5 menſes, ſubſcriptorum numerum domi foriſque poſſe ad calculum redigi; ſolſtitio aeſtivo proxime inſequente pro certo ſtatuit Editor opus ſuum typis conſignare. Pergrata res eſt Editori, quod, probabili coniectura, poterit haec editio duobus voluminibus, quanquam grandioribus, contineri. Atque ut ſoli impreſſionis ſumptus exonerentur, (Editor enim ne oboli quidem lucrum proponit ſibi,) a Subſcriptoribus ſingulis pro quovis tomo quatuor aurei monetae Anglicae (4 *Guineas*) neceſſario ſunt impendendi. Statuitur itaque haec conditio — — — ut Vir quisque, aut quaeque Societas, nomen ſuum ſubſcribens, ipſo ſubſcribendi tempore, vel pro ambobus tomis integrum pretium (aureos ſcilicet 8) deponat: vel, aureos 4 pro tomo primo ſolvat, ipſo tempore ſubſcribendi, et quando in manus

Digitized by Google

manus tradetur tomus primus tunc caeteros 4 aureos solvat, ad inpensas tomi secundi exonerandas. Pecuniae sic subscriptae, eadem, qua et ipsae collationes, fidelitate muniuntur. Nam quo tutius ad rempublicam literariam perveniant laboris sui fructus, obligavit se D. Kennicott sponsione nummorum haud mediocri, fore ut, si ipse prius fato fungatur quam hoc opus in lucem edatur, totus collationum apparatus, totaque chartarum supellex, ad editionem promovendam necessaria, in Academiae Oxoniensis custodiam tradatur. Atque insuper cavebit, ut eae pecuniae, quae a se receptae ad opus hoc imprimendum, nondum tamen in eum usum fuerint expensae, una cum chartis supra memoratis tradantur Academiae.

Imprimentur Subscriptorum nomina, volumini praefixa primo. Et, ut hoc quam citissime prelo mandetur, Viros illustres eruditosque, qui vel domi vel in peregrinis regionibus, hac occasione patrocinio suo opus hoc exornare voluerint, enixe rogat D. Kennicott ut pecunias subscriptionis sine mora deponi iubeant, vel apud auctorem, vel apud bibliopolas sequentes — — — quibus concessa est copia formulas impressas tradendi, ob pecunias, vel pro tomo primo, vel pro ambobus tomis receptas:

LONDINI, *Rivington*, *Nourse*, *Payne*, *Dodsley*, *Becket*, *White*, *Cadell*, *Johnston*, *Elmsley*, et *Heydinger*.

OXONII, *Fletcher* et *Prince*.

CANTABRIGIAE, *Woodyer* et *Merril*.

EDINBURGI, apud *Carol. Elliot*.

DUBLINI, *magistram Leathley*.

AMSTELODAMI, apud *Marcum Michel Rey*,

BEROLI-

BEROLINI, *A. Haude* et *I. C. Spener.*

GENEVAE, *Emanuelem du Villard.*

HAMBURGI, *magistram Herold.*

LIPSIAE, *Siegfried Lebrecht Crusius.*

MADRITI, *Angé Coradi.*

MANTUAE, *Moyse Foa.*

PARISIIS, *Gibert l'ainé.*

ROMAE, *Bouchard* et *Gravier.*

VIENNAE, *Johannem Paul. Krause.*



NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Februarii Anno MDCCLXXII.

ACTA SANCTORUM OCTOBRIS. Ex Latinis et Graecis, aliarumque gentium monumentis, servata primigenia veterum Scriptorum phrasi, collecta, digesta, commentariisque et observationibus illustrata, a IO. STILTINGO P. M. CONSTANTINO SUYSKENO, IO. PERIERO P. M. CORNELIO BYEO, IACOBO BUEO. Operam conferente JOSEPHO GHESQUIERO, e Societate Jesu Presbyteris Theologis. TOMUS I. *quo dies primus et secundus continetur.*

Antwerpiae, apud Petrum Ioannem van der Plasche, MDCCLXV. fol. 7 Alph.

Est hic ille liber avorum nostrorum memoria inceptus, cuius finem, licet ad finem properet, nos certe non videbimus, quem privatorum bibliotheca vix capit, publicae raro habent, praecipue apud nostros; nam Romanensium monasteria facile eum emunt, quibus etiam potissimum scriptus videtur. Nam a nostra ratione sentiendi paullum remotior est, qui certo statuimus, nihil suspectius esse posse historia

G Sancto-

Sanctorum in omni religione; cum simulatio, fraus, falsae narratiunculae, fidem historicam valde imminuant. Romanos scimus olim conquestos, historiam suam per vanas laudationes mortuorum valde esse corruptam; et Bessarionem Purpuratum accepimus, cum aliquando novi sancti pronunciarentur virum doctum et naris acutae, dixisse: hi novi sancti faciunt, ut de veteribus etiam incipiam addubitare. Solus certe Deus novit ingenia animosque; nos omnes aut propense nimis aut odiose iudicamus, et Augustinus iam olim de mortuis hoc monet: laudantur ubi non sunt, patiuntur ubi sunt. Unaquaeque religio, ut verum dicamus, habet suos beatos sanctos, doctores, confessores, martyres, etiam falsissima, et aut fictis, aut exaggeratis tamen antesignanorum suorum dictis, factis, virtutibus et miraculis in vita vel post mortem patratis, claret, quae aut ementita sunt plane, aut ex ignorantia rerum naturae orta. Hoc certe verissimum est, quo obscuriora sint saecula, imperitior populus, ignotiora studia humanitatis et philosophiae, eo plus sanctorum et miraculorum esse et fuisse. Lucem litterarum haec raro ferunt.

Continet ergo liber, quem diximus toto Tomo primo non nisi priores duos dies Octobris. Calendae ipsae habent sanctos qui eo die coluntur circiter triginta et octo, et o felices, quibus tot sunt in unum diem numina! Praefixa est vita Stiltingii et Prierii, quorum uterque operi huic erat immortuus, quae eleganter et utiliter scripta, proderit iis, qui magni et docti aliquando esse cupiant, ad quod nihil est convenientius, quam vestigia doctorum virorum legere. Sequuntur deinceps vitae sanctorum, quibus semper luculentus est commentarius praefixus, qui, quicquid de eorum fatis inveniri potuit diserte ac late commemorat, nec timet etiam ad minuta descendere; si tamen minuta dici debent, quae historiae temporum, antiquitatibus, geographiae, et notationi temporum, magnam lucem poterunt afferre, eruta ex libris

libris rariſſimis ſaepe, etiam Mſctis undiquaque conquiſitis. Quae omnia ſocietas religioſa praeſtare poteſt, adiuta ſumtibus, bibliothecis, tempore, et multorum ingeniis; at unus eruditorum, muneribus diſtentus, familiae immerſus, victuique lucrando deditus, vix commemorata legere poteſt, nedum commemoranda ſcribere.

Ipſae narrationes plurima habent, quae fere plurimis claſſibus eruditorum prodeſſe queant. Nam refertae ſunt optimis obſervationibus, quae hiſtoriam illorum temporum illuſtrant: et praeterea, quanquam multa fabuloſa ſint intertexta, uti ipſi Editores diligentiſſimi confitentur ingenue; tamen hoc apparet, ſanctis illis cordi fuiſſe converſionem atque ſalutem animi, quam etſi nimis forſan anfracta via quaeſiverint ieiuniis, caſtigationibus, ſolitudine, quaeſiverunt tamen, et, quod divina bonitas ſperare ſinit, tandem poſt multos ſupervacaneos labores invenerunt. Sed noſtra ſaecula quaerere facile ſuperſedent, et inveniſſe iam, et quaſi ambabus tenere Deum ac ſalutem ſe putant. Sed via ad Deum difficilis eſt, difficilior ac vulgo putant.

Aliud etiam obſervavimus, noſtro a ſaeculo plane abhorrens. Illi ſe dabant in ſolitudinem, ut ſe verae vitae, ac fortaſſe muneri ſacro pararent, ad quod inviti et reluctantes pertrahendi erant. Mirum quantum nos eos anteimus ſapientia. Convivia, luxurioſa inventa, mores feſtivi, veſtes Attalicae, et paullulum theatralis eloquentiae, nunc comptos adoleſcentulos in omnibus religionibus praeparant ad praedicandum eum, qui, ſi laudatoribus ſuis ac ſucceſſoribus ſimilis fuiſſet, hominum Servator certe non fuiſſet. Noſtri compti et glabri petunt munera, quaerunt grandes patronos, opima munia, per munera, blanditias, ſaepe per mulieres, tanquam oſtia, intrant in ovile, nihil obſtante quod ipſe Dominus, qui alibi inſcendant, latrones, fures, et interfectores appellet. Sed muſſanda haec ſunt: vae qui moneat, dum ſe

Deo et religioni caussidicos adiectos putant, qui dudum caussa cecidissent, si his defensoribus indigerent. Alia observatio est haec. Plerique illi antiqui moris pastores, laboribus, vigiliis, lacrimis, multis etiam vexationibus, dubio eventu, saepe vitae cum periculo, per carcerem, exilia, vulnera, neces, praeierunt gregi, quae nostri facile evitant, et pietatem valde quietam et fructuosam exercent.

Aliud memorabile est hoc: vitam saecularem, munus publicum, aulicam potissimum vitam, plerisque antiquorum heroum pessime cecidisse; adeo raro felix est inter multos sapientia, virtus, religio, et raro sibi cavet, qui omnibus cavet.

Genus dicendi, sive in verbis, sive structura orationis, sive in sententiis positum, saepe subiit mirari; quae nos in suspicionem adduxere, haud ita obscura et barbara fuisse ea saecula ac depinguntur, cum, exceptis singulis vocibus vel phrasibus, fere ad genuinam latinitatem accedant. Quod non de soluta solum oratione, sed de versibus etiam dictum sit, non puris solum, sed poeticis saepe et romanis. Adeo iniurium est, universum saeculum damnare velle, quorum quodque fere genium suum habet, nec laudandum forte in omnibus, sed neque contemnendum. Nos vero ad singula iam sueta brevitate accedamus, (nam excerpere vel hoc volumen impleret.) et strictim de singulorum vitis quaedam subiiciamus, nempe de uberioribus, reliqua relinquamus lectori.

Sic in vita Piati varia inveniuntur, quibus illustrari Diocletiana persecutio possit. De Remigio, Francorum Apostolo et Remensium Episcopo, aliquae vitae extant quarum quae prolixior est Clodovei victoriam, et e voto susceptum baptismum, valde illustrat, ac fons in huius temporis historia potest haberi. Bavonis, qui relictis muniis vitae sanctae se dedit, vitae aliquot sunt, quae multis miraculis scatent,

ſcatent, verisne an fictis nihil moramur. Metrica inter eas eſt valde bonae poeſeos, et licentiae forſan in fingendo dedita; ſed pictoribus atque poetis — Serenus nobis placuit, tam piam et tranquillam vitam egit, et aequali flumine decurrentem. Philoſophum ſaltem bonum fuiſſe putamus, qui vela in altum noluerit dare, procellasque evitaverit cautus. Contraria omnia occurrunt in Leodegario et Gerino, quos domi felices, tandem fluctus aulici rapuerunt, ut triſtiſſima morte obirent. Adeo periculoſum eſt Epiſcopis ἀλλοτριοεπισκοπεῖν; et eruditus, philoſophus, ac theologus, non poteſt fere maius vitium committere quam μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος, quod tamen iis adhaeret neſcimus quomodo. Ipſa autem vita magnam lucem accendit hiſtoriae Francicae illorum temporum. Tranquilliorem vitam egerunt Beregiſus, Gothofredus, et Berengarius, qui procellis mundi ſapienter evitatis, propius littora legerunt. Quorum ad exemplum, currant utiliter mei nullo cum ſtrepitu dies! Nobilis eſt tandem vita Sti Thomae de Cantilupe, Epiſcopi Herefordienſis, qui Deo ſibique vixit, docendo et benefaciendo aliis. Nulli reges nec tetrarchae, non ambitioſa dignitas aut invidendi theſauri, ſed, quantum iudicare licet, animus vere Evangelicus, vita nec dominationis, nec excellentiae cupida. *Sed eſt inde eo magis memorabilis,* quia integrum proceſſum exhibet, quo ſolent Pontificii examinare, teſtesque interrogare, aut ſcriptum poſtulare, antequam beatum vel ſanctum aliquem pronuncient. In quo noſtri, qui fines patriae non exceſſerunt, mire errant, putantque ſtulta et credula eſſe adverſariorum iudicia; quod non eſt ita. Diligenter inquiritur in vitam, mores, facta, doctrinam et miracula ſanctorum, antequam in coelum recipiantur; adhibentur teſtes idonei, ſunt qui argumenta in contrarium afferant, eſt qui candidatum ſuum defendat. Curiae vero Romanae perinde eſt, repulſamne ferat vel ſuffragia divus ille, nam pecunia ſat larga in anteceſſum numerata eſt. Aiunt, noſtros Proteſtantes, ubi Romae haecce viderint tam ſerio agi, praeter opinionem ſuam facile inclinari in Romanenſium partes. Cuius ſpecimen ſat

 anti-

quum hoc volumen claudit, ubi ultra sexaginta testes examinati sunt de vita, doctrina, moribus, factis dictisque Thomae huius, iique iurati, publice, praesentibus summis Theologis. Nec hoc nostro forsan tempore, sed initio saeculi decimi quarti. O utinam nostri paullo accuratius inquirerent in alienarum ecclesiarum instituta!

De miraculis pari curiositate investigatis, difficile est in universum quidquam pronunciare, quorum magna farrago in Thomae vita subiungitur. Credere omnia promiscue, petita ex remotissimis saeculis, et credere suspecto testimonio narrantium vel scribentium, vix a sapiente expectari potest, cui Epicharmus insusurrat,

Νῆφε, καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν· Ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.

omnium minime a nobis: nam Pontificii ab his miraculis, si vera sunt, libenter ulterius concludunt. At omnia imposturas, fraudes, mendacia putare, est facile quidem, sed nimis forsan invidiosum, atque iniurium in bonos forsan viros, et beatos. Imaginationi et viribus naturalibus multa attribui possunt, soletque gens humana sibi in omnibus libenter blandiri, et gratulari θεῖον quoddam, ut veteres poetae atque historici solent. Ulteriora decernere non audemus, quia numquam satis caute hodie disputari contra miracula potest, cum profani argumentis his ipsis libenter contra miracula sacri codicis utantur, quibuscum iam etiam nonnulli Theologorum aut sentiunt, aut etiam aperte fatentur, quod nollemus ita esse. Suffocati in aquis etiamnum in Anglia vel citra miraculum Sti Thomae restituuntur, et sic alia similia quaedam, non tamen omnia. Fervidiores olim nostri Diabolum e machina advocabant, et huic deinceps, ut mendaciorum et glaucomatum, architecto omnia miracula adiudicari volebant. Sed haec ratio disputandi coepit in desuetudinem abire.

Haec

Digitized by Google

Haec dicta sint de libro laborioso, locuplete, et si sectae placita exceperis, utili et bono? Adiiciuntur indices uberrimi in hunc et praecedentes Tomos, de quibus nihil iam attinet dicere.

Σειρα ἑνος και πεντηκοντα Υπομνηματιστων

εἰς την Οκταλευχον και τα των Βασιλειων ἠδη πρωτον τυποις ἐκδοθεντα; Ἀξιωσει μεν του εὐσεβεστατου και γαληνοτατου ἡγεμονος πασης Οὐγκροβλαχιας Κυριου Κυριου Γρηγοριου Αλεξανδρου Γκικα, ἐπιμελειᾳ δε Νικηφορου Ἱερομοναχου του Θεοτοκου. Τομος πρωτος, την πενταλευχον περιεχων. Εν Λειψιᾳ της Σαξονιας, ἐν τῃ τυπογραφιᾳ του Βρειτκοπφ. Ετει αψοβ.

Inter adiumenta Sacrorum Librorum recte, hoc est ut eruditum et doctum interpretem decet, interpretandorum, cum alia ponuntur multa et gravia, quae commemorare alienum esset, tum etiam hoc, si non maximum, certe non ultimum, aut quo aequo animo sibi carendum putet is, qui iustam ad hoc negotium diligentiam afferat, quod ab veteris Ecclesiae Christianae doctorum et antistitum, quos Patres appellamus commentariis repetitur. Quorum comparatio, et lectio, cum fere habeatur operosa et impedita ut ex paucitate eorum apparet, quorum in animis studium inspiciendi atque consulendi Theologorum veterum libros viget, quod extinctum paene nunc et deletum dolet optimus quisque: magna profecto gratia habenda est iis, qui multas multorum verborum, multarum formularum, praeclaras illas elegantesque, quae in horum virorum libris reperiuntur, interpretationes, coactas quasi et collectas exstare voluerint, in eorum voluminum genere, quod Catenarum nomen est conse-

consequutum. Proximus vero honor illis debetur, qui huius generis libros adhuc in Bibliothecis delitescentes protrahunt, excutiunt, expoliunt, et novo ornamento auctos, lectorum liberalis gravisque doctrinae cupidorum usibus tradunt. Quare magnum et memorabile nomen sibi paravit, Vir doctrina et diligentia praestantissimus, nostraque laude maior, Editor Operis quod indicavimus, cuius de consilio et ratione, quae instituto nostro conveniant, commemoranda sunt.

Namque is cum Constantinopoli commoraretur, in Bibliotheca Principis Wallachiae Hungaricae, Gregorii Alexandri Gkika, manuscriptum reperit, in quo quinque Mosis libri Josuae, Judicum, Ruthae, commentarii Samuelis, Regumque libri, excerptis Patrum Graecorum explicationibus ita illustrati essent, ut textus verba medium cuiusque plagulae tenerent, adnotationes autem ad marginem collocatae essent. Codex est in membrana scriptus, sed manu non una, sed atramento et litterarum ductu diversa. Quo conscriptus sit annus adiectus non reperitur, nisi quod in extremo haec verba leguntur: *Ὕξαιο τῷ ξύσαντι ταύτην καὶ σὺ ἄλλως· ἐπεὶ τάδ' ἔτευξε Ρωμανὸς, καλογράφος ἀλιτήμων ἀνδράσι πόλεως Ἀτταλείας.* Huius operis, cuius edendi consilium, simulac inventum fuisset, statim coepit Nicephorus, universae rei Christianae et doctorum commodis studiosissimus, voluntate et iussu domini ac possessoris typis exscribendum traditi, primum nunc volumen prodiit. Sed operam is sibi dandam esse putavit, ut sibi compararet adiumenta et opes, quibus, quae perfectioni huius operis deessent, ea adderentur. Non solum in publicis et privatis, quas Constantinopolis urbs habet, Bibliothecis, huius generis manuscriptos libros indagavit; sed etiam in Monasterii Chalcensis Bibliotheca, apud Metropolitanum Smyrnensem, et septem Monasteriorum quae Atho mons servat curatoribus, cuiusmodi librum quaesivit, et, an alicubi exstaret, studuit

duit explorare, ſed labore irrito, et nihil in his locis reperto, ſpem eventus deſtituit. Interea, dum iſta ſollicitudo animum tenet, ab Alexandro Conſtantini Aulico et Amico Principis Primario, [μεγαλοσπατάριος,] ſcriptum in membranis huiusce inſtituti ac generis librum, nullo rogante et appellante, ſed ſua ſponte oblatum accepit. Non eſt tam antiquus quam ille ſuperior, quod ex litteris, earumque effingendarum modo colligi poteſt, continetque tantum tertium et quartum Moſis librum, cum Joſuae, Judicum, et Ruthæ libello; nihilo tamen minus in ſubſcriptione Octateuchus vocatur, quod argumento eſſe debet, quae deſiderantur ſcripta, alio in volumine quondam, ab hoc avulſo et fortaſſis deperdito, comprehenſa fuiſſe. Verba autem adſcripſimus: *ἐτελειώθη ἡ ἱερὰ αὕτη βίβλος σὺν Θεῷ τῆς Ὀκτατεύχου ἐπὶ βασιλέως μεγάλου ἐν Χριστῷ πιστοῦ καὶ ὀρθοδόξου αὐτοκράτορος Ῥωμαίων Ἀλεξίου τοῦ Κομνηνοῦ καὶ Ἰωάννου μεγάλου βασιλέως τοῦ Πορφυρογεννήτου μηνὸς ιβ, ὥρᾳ θ, ἔτους ἀπὸ κτίσεως κόσμου ϛχιβ, ἰνδικτιῶνος ιβ, προστάξει Λέοντος τοῦ μεγαλεπιφανεστάτου πρωτονοβελλισίμου, καὶ οἰκείου ἀνθρώπου τοῦ κραταιοῦ καὶ ἁγίου ἡμῶν βασιλέως νικαρίτου, διὰ χειρὸς Ἰωάννου τοῦ εὐτελοῦς καὶ ξένου τοῦ Κύλικος· καὶ οἱ ἀναγινώσκοντες εὔχεσθε ὑπὲρ ἡμῶν διὰ τὸν Κύριον.*

Secundum haec, a liberalitate Procerum Reipublicae Auguſtanae, Procopii Gazaei commentarios in membranis eleganter ſcriptos, quos iſtius civitatis Bibliotheca ſervat, ut ex Reiſeri catalogo Bibl. Auguſt. pag. 13. cognoſci poteſt, impetravit; quorum commentariorum deſcriptio, cum ſit operi edendo ſimillima, ſi quidem pauca continet ab ipſo Procopio profecta, pleraque ex aliorum interpretum ſcriptis collecta, quod niſi Photius Cod. 206. iam iudicaſſet, vel ipſius auctoris teſtimonium, initio operis ingenue editum, ſatis declararet, in illo expoliendo et conſtituendo ad uſum optime accommodari potuit. Curaviſſe autem, ut iis donis atque opibus, quae vel ornamenti, vel praeſtantiae laudem habe-

 rent,

rent, librum instrueret, ex his quae nunc referemus, intelligetur. Cum totum opus constet e connexis et constipatis variorum Ecclesiae doctorum commentariis faciendum sibi putavit, ut in Prolegomenis quidem de auctorum omnium quae commemorentur vita, scriptis, iisque vel editis, vel adhuc in scripto latentibus, vel genuinis, vel suppositis, vel denique plane in perditorum numerum referendis, accurate exponeret, addito simul optimarum cuiusque auctoris editionum indicio, et interposita de scribendi cuiusque ratione, sive ut appelles licet stilo, Photii auctoritate. Haec excipit tabula locos singulorum librorum explicatos referens: subiiciuntur quaedam de versionibus librorum sacrorum antiquis Graecis, quaeque vel auctores earum, vel temporis quo confectae sint ordinem, spectant. Quamquam autem verba Scripturae sacrae ex editione quae Franequerae prodiit, sive Bosiana, quoad lectionem et interpunctionem constituere placuit, quod consilium fortasse aliquis minus probet: tamen interpretationes e Patrum scriptis in hoc corpus relatae, cum ex editis horum auctorum libris, tum ex coniectura, locis innumerabilibus supplentur constituuntur, emendantur; multae, quae sine nomine fuissent positae, suo auctori vindicantur, quae autem Procopii sunt, e codice illo quem retulimus manuscripto, plurimis locis et amplificantur, et sanantur. Accessiones ipsae, quarum ex illorum virorum libris insertae sunt non paucae, divisionum quibusdam signis a caeteris seiunctae notantur. Quae quidem omnia, cum ad diligentiae et laboris suscepti laudem plurimum valent, tum ad doctrinae probandae testimonium certissima deprehenduntur. Ac ista quidem in universum commemorasse ad commendandam operis praestantiam, non alienum esse duximus: sed immorari in singulis, et specimina quaedam proferre eorum, quibus instructum esse huius libri apparatum memoravimus, et in eligendo difficile, et in iudicio nostro qualicunque interponendo putidiusculum fuerit: cum praesertim, simulac alterum

Volumen

Volumen, quod adhuc expectatur, prodierit, iterum huius libri mentio in his Commentariis facienda sit, et quae omiserimus repetere, interim de doctrina et diligentia Viri in his Commentariis expoliendis cummaxime occupati, certis esse liceat. Caeterum, cum in librorum bonis atque dotibus enumerandis praedicandisqae etiam Indicum ratio haberi debeat, dissimulare noluimus, locorum explicatorum rerumque tractatarum Indices copiosissimos, et laboriosissime confectos, accessisse. Cum autem huius operis usus Graecae potissimum Nationis emolumento sit attributus, in integro eo conficiendo Graecum retinere sermonem placuit: cumque ea contineat, quae sibi universa res Christiana vindicet, praemissa Dedicatione cum omni Christianorum coetu recte communicatum esse videtur.

C. CORNELII TACITI OPERA, iterum recensuit, notas integras Iusti Lipsii, I. Fr. Gronovii, Nic. Heinsii, et suas, addidit IOANNES AUGUSTUS ERNESTI. Editio Secunda.

Lipsiae apud Weidmani heredes et Reichium, MDCCLXXII. Vol. 2. octonis.

Virtutes eximiae, quibus Taciti, Historici veteris, scripta instructa et exornata constat, elegantes generum scribendi ingeniorumque existimatores, omni, ex quo bonis artibus honos rediit tempore, ad magnam necessario admirationem commoverunt. Sed ista quidem voluntas et sententia multorum, quam de sua dignitate auctoritateque optimus scriptor sibi parasset, nisi obsolescere et deminui, sed certe ad pauciores, quam par erat ex iis, qui ad humanitatis et elegantiae sensum formandi essent, transmitti et diffundi videbatur paucitate exemplarium, quibus scriptorum eius

legendorum studium vel incitari, vel adiuvari posse videretur. Quo animadverso in re libraria defectu, cum dolerent omnes, quibus rei litterariae salus et incolumitas curae esset, incommodoque inde venturo iure metuerent, circumspicerentque, qui ei occurrere et resistere auderet; ecce huic officio iusto atque pio se obtulit *Ernestius*, Vir summus, in litterarum incrementis amplificandis et ornandis, et dignitate huius Academiae tuenda propagandaque alacer et indefessus, suscepta ante aliquot annos, cum amicorum hortatu sollicitatus, tum suo quodam impetu commotus, librorum Auctoris recensendorum cura.

Ac munus ipsum, vel ab librorum manuscriptorum editorumque, quorum iusta copia, tanquam subsidiis, critici conatus sustentari volunt, penuria, vel ab ipsius Operis mole, difficultatibus nec paucis, nec levibus, laborare videbatur. Neque enim exemplaria tantum scriptorum Taciti augendo, communiaque magis et vulgaria reddendo, defungi volebat Vir sapientissimus, sed, si quid maius et praestantius moliretur et laborantes passim scriptoris locos ad sanitatem revocasse agnosceretur, hoc demum peritorum laudem consecuturum, et recte facti certissimo testimonio futurum, putabat. At fortunae coepta nonnumquam spe celerius et opinione altius provehentis, munere et beneficio accidit, ut tantam brevi tempore antiquarum, primarum ac principum pariter ac earum, quae hinc ductae fuissent editionum copiam undique allatam nancisceretur quantam priorum editorum in Tacito recensendo ad manum habuisse sciamus neminem. Quo effectum est, ut salva unius cuiusque meritorum laude, tamen plus unus, quod sine adulatione verissime praedicare licet, quam reliqui omnes praestaret, verba scriptoris constituendo, et ad optimorum librorum auctoritatem revocando, corrupta integritati reddendo, recta confirmando, vitiorum origines et fontes monstrando, interpolata ab genuinis secernendo. Hinc copiam quoque et facultatem nactus est,

Editio-

Editionum veterum feriem nectendi, five, ut quaeque ex alia orta fuiffet quid vel boni vel vitii unaquaeque habeat, quibusve modis altera cum altera confentiat aut quid interfit diferiminis exponendi, multa fimul, quae ab Fabricio et Mettario vel auditu percepta, vel aliunde parum cognita perperam fuiffent litteris confignata, oculorum fide et ufu rerum, certius, plenius, et explicatius docendi. monita denique et praecepta fubiiciendi quibus rei Criticae cupidi et iudicandi facultatem, et agendi officium conforment. Cui quidem argumento, prolixae Praefationis, quae de cauffis quas diximus lectu prorfus digna eft, loco, abunde fatisfactum nemo negaverit. Accepta funt, quo decuit favore, bona quibus fuam hanc editionem Vir praeftantiffimus inftruxiffet. Nam quum animadverfum fuiffet, non levi eam cura atque induftria expolitam effe, non folum nacta eft emtores plurimos et cupidos, verum etiam aemulos huius cuius via oftenfa et munita fuiffet gloriae, affertoresque et vindices acerrimos. Nam fciendum eft qui poft emiffae huius editionis tempus in Taciti fcriptis conftituendis interpretandisque elaborarunt Francici editores, Alemanus [Lalemant] et Nic Broterius, utrumque operae fuae hanc legem pofuiffe, ut hac editione tanquam fundamento, cui fua quifque fuperftrueret, firmiffimo uterentur. Reliquus eorum labor, minime tamen ille fpernendus, conferendis aliquot Parifinae Bibliothecae regiae recentoribus plerifque manufcriptis libris, confumtus eft.

Prodiit iam nunc renovatum huius ante aliquot annos confectae editionis opus. Servat virtutes, quibus fe quondam probaffet aliorum iudiciis, quin etiam auctas amplificatafque refert, et vel ab internae praeftantiae incremento, vel ab externi nitoris commendatione, inftructiffima reperitur. Nam praeter auctam in corrigendis typothetarum aberrationibus diligentiam, in Graecis potiffimum, quae Lipfianis adnotationibus admixta funt, non leves cel. Edito-

ris obſervationum acceſſiones factae, vel temporis multa ſubinde docentis admonitu, vel eorum quae ab illis, quos diximus Taciti editoribus, obſervata et ſcripta fuiſſent, ratione. Nicolai vero Heinſii Adnotationes in libros Taciti omnes a P. Burmanno et Batavis olim, ſed paullo ſerius, quam ut ſuperiori editioni accedere poſſent, tranſmiſſae, nunc primum integrae ad alterius Voluminis finem adiectae exhibentur. Indices denique, Latinitatis potiſſimum, quanquam et priores ſatis uberes, aliena quondam diligentia confecti, nunc demum ipſius Editoris cura inpenſe locupletati et copioſiſſimi redditi ſunt, raris quibusque, novis et exquiſitis opportune ac loco inſertis.

Typorum autem elegantia, chartaeque ſplendor, longe ſuperat ſuperioris apparatus mediocritatem. Reliqua operis deſcriptione commemoranda, et excerptorum ſpeciminibus proponendis, non eſt quod immoremur; tum quod de ea iam olim, nos quae lectorum cognitioni profutura crederemus, dicere meminimus, tum quod huiusmodi opera non faſtidioſis et excerptorum paucitate contentis lectoribus proponuntur, ſed liberalis doctrinae auida cupidaque mente pernoſcenda ſunt.

Quam autem ſuperiore tempore, ex alienis bibliothecis maximam partem collegerat antiquorum librorum Taciti editorum, ſuae editioni adornandae profuturam criticam ſilvam, eorum nunc omnium, ac nonnullorum etiam pulcerrima et ſplendidiſſima, favente fortuna undique et vel transmarinis terris coemta exemplaria, in ſuam Vir celebratiſſimus inſtructiſſimam bibliothecam intulit. Quarum quidem copiarum uſum, evulgata hac ſcriptori praeſtita opera, cum ingenuarum ex doctrina utilitatum et oblectationum ſtudioſis communicatum, vehementer, ut par eſt, laetamur.

SIMONIS

SIMONIS SIMONIDAE BENDONSKI, Leopolitani, Magni Io. Zamoscii a secretioribus consiliis, Pindari Latini, Opera omnia quae reperiri potuerunt, olim sparsim edita, nunc in unum collecta, ac denuo typis consignata. Procurante ANGELO MARIA DURINI, e Comitibus Modoetiae, Patritio Mediolanensi, Archiepiscopo Ancyrano, per utramque Poloniam et Mag. Lithu. Ducatum, cum facultatibus Legati a Latere, Nuncio Apostolico.

Varsaviae, e Typographia Mitzleriana, 1772. pagg. omnino 348. Accedit Carminum *Durinianorum* Corolla, pagg. 47. in 4. mai.

Si quod Plinius ait, *Pulcrum inprimis videtur, non pati occidere, quibus aeternitas debetur*, verum omnino est, uti certe est, non minorem gratiam ineunt, qui aliorum aeternitate digna scripta e scriniorum periculosa angustia in lucem emittunt, quam qui sua. Quo in genere meritorum si maiores nostri diligentiores fuissent, non desiderarentur tot scripta Philosophorum, Historicorum, Poetarum, antiquorum non minus ac recentiorum quae nunc optamus superessent, eorumque iacturam libenter redimeremus farragine illa voluminum, quae nunc incassum bibliothecas aut tabernas saltem onerant. Altera itaque post auctores ipsos, haud scio an par, gloria debetur editoribus diligentiae, ingenii, eruditionis. Sed tenuis editor, quales sunt plerique, auctoritatem, qua ipse iniuria forte temporum caret, auctori suo conciliare tamen haud potest, poteratque videri gloriolae vel lucello laborem suum impendisse. Sed tantus vir, *Durinius*, gravissimis suis negotiis tantum temporis decerpit, ut poetam edat, ut

ut insigni praefatione et illum, et studia poetica commendet, poetam, quem nulla nisi ingenii nobilitas insignivit.

Continet ergo hic liber Carminum Simonidis huius latini varia, quae, quia occasionibus tantum inservierunt, epithalamia, genethliaca, funebria, ideo vix indigent latiore commemoratione, veluti etiam ille campus raro magna ingenia ostendit. Sunt autem nonnulla inserta, in quibus summa vis poetica elucet. Quod ad genus referendum est Drama Josephus, in quo multa sunt egregia. Sic ubi statim initio malus genius ex inferis surgit, suamque in Josephum iram declarat, et uxoris Aegyptiacae animum facibus illiciti amoris exagitat. Colloquium dein Josephi cum reliquis servis, quibus ipse praeerat, quam humanum, quam moratum! Jempsarem inducit, post multas tergiversationes morbum suum nutrici indicantem, quae materne respondet, nec tamen vel deteriora abnuit consilia, ubi utrique cum choro consilia sociant. Hic praecipue placuit nobis lucta illa muliebris animi, virtuti mox, paullo post voluptati propior. Poeta castus ut evitaret, quod in *Londinensi mercatore* vitiose inducitur, muliebres illecebras spectatoribus coram ostendere, iubet nutricem redeuntem, summa cum admiratione, absentia illa facta enarrare, et Josephi iuventuti optat similiter olim vixisse. Prodit in scenam furia illa Jempsar, quae Potipharis coniux est, et contemtam se ac repulsam frendet, suaeque libidinis ausa in eum, qui amantem fastidierat, confert, vario et vehementi affectu. Ira heri, et constantia euntis in carcerem Josephi, egregie sunt expressa. Varia sequuntur carmina, acerba vel iucunda, versibus et vi Pindarica, quem feliciter imitatus est, non, quod Horatius ait *vitreo daturus nomina ponto*. Quo in genere eminet poema, quod Aelinopaeana vocat, in quo praeclare canit, quas in calamitates inciderit Polonia suo tempore, (fere ut nunc,) cum melioribus consiliis locum non daret; et pacis tempore muniri armis et castellis negligens, patuerit Tatarorum

tarorum et Turcarum rapinis, quorum crudelitas et rapacitas quasi cernenda lectori proponitnr, ac quomodo unius consilio, paucorum virtute, barbaris caesis, pax sit restituta. Atque utinam talis laboranti Poloniae vindex quasi redivivus existeret, quo certe nunc indiget. In Hercule Prodicio plane Xenophontem expressit, et utramque hortatricem voluptatem ac virtutem ita loquentes induxit, ut et assequeretur Xenephonteas Veneres, et multas novas adderet. Ioelem, grandisonum illum Hebraeorum prophetam, in Jambos Senarios coegit, magnifico dicendi genere, et quod hebraeam maiestatem aequaret. Quod Theologis legendum putamus, ut discant, quanta res sit, vim dictionis divinae non atterere culpa ingenii. Fide bona, circumscriptione eleganti, verborum selectu, gavisi sumus, dum illa legeremus. Tragoediam meminimus summa cum voluptate legere, quibus in duobus, et Joele et Pentesilea, videtur auctor se ipsum superasse. Surgit Pentesilea, et commemorat, quo virtutis incensa stimulo venerit ad Trojam liberandam, cui dein Amazones spondent, sibi quidvis facere aut pati tali sub duce iucundum fore. Colloquium dein Priami senis cum fervida iuvene, quo tuta potius pro splendidis suadet, rogatque, moderetur generosos impetus, donec reliqui auxiliares accesserint. Andromache procedit, quae parum prospere de audacia foeminea augurata, luget suum Hectora, Troiaeque cum illo exitium. Erumpit in Graecos Pentisilea, et initio feliciter omnia succedunt, cuius nuncius ad Aeneam affertur, qui providi ducis modo, nimis prosperis auditu fidem denegat. Deidamia Troianas uxores incitat ad arma pro patria in Graecos sumenda, quas prudentior Theano salutaribus monitis ab imbelli fortitudine revocat. Interim male res ab Amazone geritur. Venit saucius miles, et cum gemitu damnat bella, et extinguitur. Venit alter vulneratus, sed constanti pectore grates agit, quod hactenus incolumem dii servassent. Tertius gaudet, se in patria saltem nunc reliquum spiritum effundere posse. Tandem nuncius cla-

dis, quem solum irati Graeci salvum dimiserant, Aeneae narrat, quomodo Pentesilea, sine ordine, sine acie in palantes Graecos invaserit, magnaque strage edita, ubi ad ipsas legiones deventum sit, repressa primum ac dein circumducta a tergo fuerit, ceciderit ipsa, mulieres, Troiani. Ipsa manu Achillea, reliqui vel praelio, vel captivi, in quos contra ius belli post deditionem saevitum fuerit.

Chori excellentes, inventio apta, elocutio tragica, sententiae crebrae. Quo solo dramate nos nihil meminimus iucundius legere. Descripsit caedem d. Stanislai Oda Pindarica, et crudelem animum Boleslai regis, a quo ille periit, corpore etiam defuncti laniato. Cui subiunctum est Royzii, Hispani, et Professoris Cracoviensis, heroicum de eodem martyre carmen, in quo est et caussa caedis, castigatus, a Stanislao ob crudelitatem Boleslaus rex, et caedes in templo, cunctantibus in id satellitibus, ab ipso rege facta, et odia ac contemtus insequens civium, a quibus in exilium tandem actus Boleslaus, qui animi morsus per silvas fugiens, periit tandem canibus praeda relictus suis? Εὖ καὶ καλῶς. Unam poterat omittere invectivam in nos Saxones, quod alienam religionem essemus secuti, pag. 281. Hispanicum agnoscimus ingenium, sed ita ut virtus poetica sit in hoste etiam laudanda. Ultimum est invectiva in Invidiam, quam flagellum Livoris appellavit, generibus odarum Horatianarum expressa. Mirati sumus poetam, tot in generibus alterum quasi Flaccum, et decem octo, iisque diversi metri Odis, diversa ex parte ubique invidiae imaginem. Inventio, sententiae, vis, copia insignis.

Insigne decus accessit, et huic editioni, et manibus Simonidae, per Odas et Epigrammata larga ipsius Illustris Editoris, qui Bendonskium laudans, alter est Bendonskius, ostenditque, poetam a nemine melius et laetius,

quam

Digitized by Google

quam a magno Poeta laudari. Tales Editores si defuncti, tales fautores si vivi Poetae nanciscantur, aurea videmus litteris saecula redire, cum purpurati Maecenates et ipsi erunt Flacci, et Flaccos facile aut invenient, aut facient.

IO. SALOM. SEMLERI, TH. D. ET PROF. PRIM. in Acad. Halensi, de cavenda molesta sedulitate sacra, Commentatio.

Quemadmodum ingenuae et probae mentis exempla, recte repetimus, inde ex prisca illa aetate, quae primam complectitur Christianorum historiam: ita illud etiam nos studiosius observare decet, ut ne iudiciorum nostrorum perfectam quasi regulam ex istis antiquiorum temporum cunctis scriptionibus desumamus. Etsi enim iure meritoque illa bonae mentis studia et documenta adamamus, nobisque et aliis exempli atque incitamenti loco proponimus: facile tamen perspicere possumus, intelligendi et arbitrandi iustis exercitiis istorum temporum tirocinia nos non solum ipsos assequi, sed etiam saepe superare posse; cum certum sit, bonos etiam *istos scriptores*, aut *ipsos* adhuc abfuisse a perfectiori cognitione Christianismi, aut *dedisse illud* aliorum tenuiori atque rudiori modulo, ut tractarent non raro argumentum susceptum minus diligenter et minus accurate, quia putabant lectores nondum pares esse admittendae copiosiori et castiori explicationi. Huius diversae disciplinae uti non desunt vel illa exempla, quae repetuntur ex sapienti institutione, qua praecipuus Christianorum doctor Jesus ipse uti solebat, quamque in Pauli praecipue epistolis informatam reperimus: ita etiam eruditiores et diligentiores multi doctores, inde ab ultima aetate, similem in docendis aliis curam diligentiamque adhibuerunt, ut rudioribus atque imperitioribus aliter darent operam, aliter vero iis, qui

intelligendi facultate istos non parum vincerent. Multus est in commendanda hac diligentia et γνωσει *Clemens* ille Alexandrinus, eruditus et probus scriptor; et post eum longa illa Alexandrinorum διαδοχη, atque, quod audemus affirmare, eruditissimi quique tractatores ecclesiastici, qui κηρυγμα, seu doctrinam illam ecclesiasticam publicam, et δογματα, Episcoporum et sacrorum interpretum domestica intelligendi exercitia et sollemnia documenta, semper solent distinguere. Neque satis iusta est aut gravis auctoritas eorum qui solent contrarium praecipere, atque istam prudentiam reprehendere; quos inter primi fere sunt *Irenaeus* atque *Tertullianus*, qui, ut solent in multis sententiis et rebus mirifice convenire, communi quasi studio ad graecos latinosque Christianos, convellunt et exagitant *Gnosticorum*, ut dici vulgo solent, illam admonitionem: vel ipsos Apostolos aliter peritioribus praeiuisse cognitionis christianae formam atque indolem; aliter vero imperitioribus exposuisse. Nostrum iam non est, copiosius de hac re tractare, atque illam declamandi malignitatem refutare, qua praecipue ille Tertullianus abuti solet; non deerit autem alia opportunitas, excutiendae huius universae caussae, quae tam ad hunc negligentem docendi modum atque impetum quasi, (cui *traditionis* illam illiberalem debemus auctoritatem,) pertinet praecipitem, quo plerique postea scriptores maxime duce aut agi solent; quam ad istam satis suspectam harmoniam et contesserationem quasi quorumdam scriptorum istius temporis, quae a viris eruditis nondum satis observata esse videtur, eximio autem momento non caret, ad varia capita historica et dogmatica Seculi secundi et tertii christiani accuratius atque utilius explicanda.

Ut igitur propius accedamus ad propositum, breviter iam illustrabimus eum locum, qui describit Mariam, satis celebrem et honoratam matrem praestantissimi inter omnes homines, Jesu, quem scimus, maximorum beneficiorum, dei numine

numine atque iussu, auctorem ad nos pariter esse ac ministrum, si vel maxime aberat omnis illa exilis atque tenuis laudatorum et praeconum sedulitas quae varia opinionum miracula sensim et reperit et ad alios gravissime sanxit; nullo sane vero atque certo ad rem christianam commodo atque emolumento. Nisi potius, ut dicamus quod res postulat, multum impedimenti atque pravitatis sacrae talibus studiis, minus probis, sensim subnatum fuisse a nobis statuendum est. Nempe, satis mediocria putamus esse illorum studia, qui nomini illi παρθενος iam olim sic solebant inhaerere, ut maximi ad religionem informandam momenti esse decreverint diligentius aliquem repetere universam physicae virginitatis formulam atque imaginem. Primus qui tam mediocrem locum, iusto diligentius, tractavit videtur ille *Irenaeus* esse, quem solemus *Lugdunensem* designare episcopum, auctorem *quinque librorum adversus Haereses*, quorum tenuem atque exilem indolem hic iam non licet copiosius describere. Is igitur, cum istud carmen Iesaiae VII, 14. tractaret *), arrepto isto nomine *virginis*, signum illud quod Iesaias isto tempore portendebat ita omnino interpretatur, ut non solum reprehendat translationem illam aliam *Theodotionis* et *Aquilae*, qui non παρθενος, sed νεανις scribere ausi fuerint; sed etiam verbosius *de terra virgine* commentetur, e qua et primus homo conditus fuerit, et Jesus similiter ex *virgine* natus. Atque istam quidem primam partem, παρθενος unice transferri debere, omni ratione studet confirmare, longa narratione adiecta, de *divina inspiratione* eius translationis graecae, quae solet dici LXX. *seniorum*, a qua alios discedere fas esse negat. Liceat hic quedam et nos superaddere, quae, ex diligenti consideratione celebratissimae huius caussae aut fabulae, nobis videmur observasse, ut porro contingat plus tandem lucis litterariae colligere.

*) Libro III, cap. 21.

Hanc igitur narrationem *Irenaei* dicimus omnem descriptam atque desumtam esse ex *Clemente* Alexandrino *), ut facile omnes perspicient, qui verba et sententias utriusque scriptoris voluerint conferre atque comparare paulo diligentius. Mirari licet, cum fuerit haec caussa, quae istam translationem complectitur, a tam multis viris, tam diligenter tamque frequenter inde ab aliquo tempore tractata, hanc tamen rem, de qua admonemus, nondum fuisse observatam. Illi certe meliores et diligentiores scriptores, *van Dalen*, et *Humfredus Hodius*, poterant iam iam hoc idem oculis quasi vidisse, qui toties istas veterum narrationes de hac translatione manibus suis versarunt. Ne vero rem novam et parum verosimilem esse putent alii, admonemus porro, hunc eumdem *Irenaeum* etiam alibi magnas quasi partes et longam tractationem desumsisse ex hoc *Clemente* Alexandrino, licet eius nomen numquam prodiderit; quod quidem et parum liberale est, et quadam suspicione vix caret. Nobis autem hic iam obstat illa brevitas, qua maxime utendum est, quo minus *utramque scriptionem*, in duabus quasi tabulis divisam, hic exhibere luculentissime possimus; quod alium in locum differimus. Sufficit, nos accurate designasse libros et folia ipsa **), cum de animalium διχηλευτων mysterio, quod fingunt, hi scriptores exponunt. Longa hic oratio per omnes sententias, et per omnes phrases, sic convenit: ut facile nobis persuadeamus, ne Scepticos quidem atque Pyrrhonicos porro de ea re, quam indicavimus, dubitaturos esse. Sed, ut trium testium auctoritate locupletiori utamur, addimus documentum tertium, quod vel solum possit eius rei fidem facere; siquidem huius caveae scriptor, ac est ille *Irenaeus*, vix videri potest Graeco-

rum

*) Stromat. libro I, pag. 341, edit. Col. Edit. Potteri, pag. 409.

**) *Irenaeus*,

rum auctorum eruditorum adiumentis usus fuisse. Ille igitur *Irenaeus* aliquot tamen sententias *Platonis* descripsit libro III, cap. ultimo; atque annotarunt iam viri eruditi, priorem illum locum esse ex *Platonis* libro IV. de *legibus*; alterum vero esse ex *Timaeo*. Nempe Irenaeus ille legit Platonis tot scriptiones, atque nihil aliud ex eo didicit? Descripsit autem priorem locum ex *Clemente* Alexandrino *), alterum vero aliunde **).

Hic et illud breviter tantum indicamus, istius *Justini* illam *cohortationem* ad Graecos p. 24. edit. Coloniensis, non solum istum Platonis locum ex libro IV. de legibus recitare, cum illa eadem explicatione, *vetus verbum* designare *Mosis scripta*, sicut exposuit et scripsit *Clemens* ille libro II. sed etiam multa alia, similiter ex Clemente esse in hanc compilationem derivata. Ut vero redeamus ad *Irenaeum*, ille ibidem studiosissime id agit, ut *divina auctoritas* tribuatur his *senioribus* interpretibus, ut adeo nomen παρθενος retinendum sit. Hanc exilem sedulitatem solent postea et alii sequi, quos inter etiam *Tertullianus* iste est, qui et ipse magnam partem scriptionum illarum, quas eius nomine legere solemus, descripsit tantum ex *Irenaeo*, addita hic ibi verbositate ancipiti, licet numquam eius nomen recenseat. Illa certe adeo sententia *Tertulliani* ***), quam verbose explicat, *de virgine terra*, desumta est ex Irenaeo, sicut alia multa; atque aliam Judaeorum interpretationem loci Iesaiae VII. quam Irenaeus hic reprehendit, non obscure similiter tangit.

*) Stromat. lib. II. pag. 418. edit. Coloniensis, pag. 499. edit. *Potteri*.

**) Nos, quia brevitas non sinit, designamus tantum leviter; *Clemens* lib. VII. pag. 703. edit. Colon. edit. Potteri. p. 900.

***) De carne Christi, cap. XVII.

git *): „Signum autem a deo, nisi novitas aliqua monstruo„sa, (nos abstinebimus a monstruosa regula illa,) tam dig„num non fuisset. Denique et Judaei, si quando ad nos deii„ciendos mentiri audent, quasi non *virginem* (παρθενος „ex 70) sed *iuvenculam,* (νεανις Theodotionis et Aquilae,) „concepturam et parituram Scriptura contineat: hinc re„vincuntur, quod nihil signi videri possit res quotidiana, iu„venculae scilicet praegnatus et partus &c." Haec sunt satis aperte eadem illa, quae Irenaeus in oculis habet, licet latinus scriptor taceat nomen *Theodotionis* atque *Aquilae*, de quo Latini nihil quicquam fando adhuc inaudiisse poterant. Sed nos iam hic non id praecipue agimus, ut suspectam illam duorum scriptorum harmoniam omnino in lucem apertam protrahamus; sed ut exemplo quodam luculento illustremus illam regulam nostram: diligenter nobis hodie distinguendam esse veterum scriptorum mediocrem facultatem atque indolem parum ingenuam, qui solent pro ingenii sui modulo, et pro temporis illa malignitate, non raro doctrinae suae adiumentum facere, quod nos impedimentum esse intelligimus. Adeo sequuntur μικρολογιας, et molestam sedulitatem *in rebus parvis* adferunt. Non iam studiosius hic colligemus universam illam humilioris atque infrugiferae doctrinae, quae Mariae virginitatem, et ex illa derivatum, si placet, beneficium, maxime commendabat, omnem historiam; satis turpem atque foedam certe, succrescente per plurima secula sacro quodam stupore, qui religionis praestantiam praecipue spectari statuebat, *monstruosis*, ut Tertulliani verbo utamur, ideis et sententiis talibus, quae aliquid τερατωδες atque inusitatum menti obiicerent, cuius confirmatio Christianae fidei quasi ipsam praestantiam constitueret. Idem ille Irenaeus *physicam* aliquam redemtionis hominum et σωτηριας caussam atque viam informare solet, quae universam Christianismi vim atque dotem sensim sic

*) Lib. III. adversus Marcionem, cap. XIII.

ſic corrupit, ut falſam tandem atque perverſam religionis formulam ſubnatam eſſe, mirari nemo harum rerum ſtudioſus poſſit. Ita e. c. *Irenaeus* comminiſcitur *): „Quemadmodum illa (Eva) virum quidem habens Adam, virgo „tamen adhuc exſiſtens (erant enim utrique nudi in paradi„ſo, et non confundebantur; quoniam paulo ante facti, non „intellectum habebant filiorum generationis; oportebat „enim illos primo adoleſcere **), dehinc ſic multiplicari;) „inobediens facta, et ſibi et univerſo generi humano cauſa „facta eſt mortis: *ſic et Maria* habens praedeſtinatum vi„rum, et tamen virgo, *obediens*, et ſibi et univerſo generi „humano *cauſa facta eſt ſalutis*. — — Sic autem et Evae „inobedientiae nodus ſolutionem accepit *per obedientiam* „*Mariae*. Quod enim alligavit virgo Eva per incredulita„tem, *hoc virgo Maria* [illegible] *per fidem*, ſcil. *ſuam*.“ *Tertullianus*, qui, ut iam monuimus, multa ex Irenaeo deſumſit, et declamationis beneficio copioſius exornavit, ſimillime hunc ipſum locum tractavit ***): „Chriſtus, — dei imaginem et ſimilitudinem ſuam a diabolo captam aemula opera„tione recuperavit. In *virginem* enim adhuc Evam, irrepſe„rat

*) Lib. III. cap. 22. §. 4.

**) Admonet *Maſſuetus* hoc loco: „peculiaris Irenaeo „ſententia; primos ſcilicet parentes in adulta aetate „haud creatos, coniugio ſtatim maturos non exſtitiſſe.“ Huius generis peculiares ſententiae multae reperiuntur in illis ſcriptoribus, quos ſolent *Patres* dicere. Atqui tales ſententias ſedulas debebant omnes doctores examini ſuo ſubiicere, atque meliores et certiores aliis praeire; ſaltim ius fas non erat, tales ſententias inter *doctrinas chriſtianas* ideo referre, earumque divinam auctoritatem ſancire, quia *Patres* illi aut traditiones ita ferrent.

***) De carne Chriſti, cap. XVII.

„rat verbum aedificatorium mortis. In *virginem* aeque in-„troducendum erat dei verbum, exstructorium vitae; ut, „quod per eiusmodi sexum abierat in perditionem, per „eundem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eva „serpenti; *credidit Maria* Gabrieli; quod illa credendo de-„liquit, *haec credendo delevit*. Sed et Eva nihil tunc conce-„pit, in utero, ex diaboli verbo. Imo concepit. Nam ex-„inde ut abiecte pareret, et in doloribus pareret, verbum dia-„boli semen illi fuit. Enixa est denique diabolum fratrici-„dam. Contra Maria eum edidit, qui carnalem fratrem „Israel, interemtorem suum, salvum quandoque praestaret. „In vulvam ergo deus verbum suum detulit, bonum fra-„trem, ut memoriam mali fratris eraderet. Inde prodeun-„dum fuit Christo, ad salutem hominis, quo homo *iam* „*damnatus* intraverat."

Non excutiemus hic severius istam declamationem et molestam sedulitatem, utriusque scriptoris; qui suo ex ingenio depromunt tam inusitatae tamque funestae doctrinae severam formulam, quam Africani postea et Latini alii segniores auctores oraculorum quasi in loco habuerunt. Sufficit paucis admonuisse, nobis, si quidem casti sumus doctrinae sacrae interpretes atque amatores, hodie abstinendum esse ab istis parum iustis et commodis sententiis, nisi porro Mariae beneficium, quod et sibi et humano generi praestitit, collaudare velimus, et hominum, quantumvis improborum, pravam illam indolem et vitiorum continuam consuetudinem, per naturae illam malignitatem, quam Eva, tamquam diaboli frugiferum semen, ad omnes propagaverit, excusatum eamus. Scimus, et discimus ex sacra doctrina illa genuina, opus fuisse hominibus divino ad recuperandam veram salutem ordine, atque novo beneficio; scimus, Iesu Christo id nos debere, quod felici experientia novarum rerum et divina vera benevolentia fruimur: sed et illud scimus, nec Iesum, nec Apostolos docuisse, virginem Mariam sic ad societa-

tem

Digitized by Google

tem beneficii nobis impertiti pertinere, quia virgo, *physice*, manserit. Nec illud *signum* hi optimi doctores in isto miraculo constituerunt, quo Maria virginitatem servaverit physicam, licet Iesum ediderit partum. His sacris στοιχείοις et crepundiis quasi quod quidam olim delectabantur, patimur et ferimus; sed nos non imitamur tam imperitos doctores. Abiicimus omnia illa rudimenta antiquiorum scriptorum, qui ipsi abfuerunt a perfectiori illa Christianismi formula atque experientia. Numquam ergo, his et multis aliis doctoribus, tantum auctoritatis tribuimus, ut eos secuti, hodieque illam sententiam, tam ancipitem, tamque inusitatam, repetamus: Mariam, obedientia sua, caussam factam esse salutis hominum. Pueris atque imperitioribus adhuc dabimus *illam veniam*, quam, si in nostram aetatem incidissent, forte ultro rogarent. Quanta enim fuerit eius *obedientiae* laus aut virtus? Nos profecto longe minorem eius fructum esse credimus, quam ut ad Mariam, atque ad omnes homines pertinere potuerit. Peperit filium, etiam sine thalamo sponsi, ut describitur; sed ecquis hic locus collaudandae obedientiae tam salubriis? Latissime patet hic locus ut solet, veteris sententiae iure, dici: absurdum unum si admittatur, secum ferre absurda alia multa: itaque opus fuerat *mysteriorum* nova quadam tutela, ne probi et pii homines horrerent et timerent universae historiae, ob talia opinionum miracula. Bone deus! quantum pudendae malignitatis depravationisque funestae per omnia Secula illi doctores in rem doctrinamque Christianam intulerunt, qui sibi licere putabant, aliorum hominum loco, reperire inusitatas eius historie formulas, quae pertinebat ad Iesum e Maria natum! Testis est illa historia ecclesiastica, si quis scilicet intra adyta eius, strenua atque liberali diligentia, penetraverit, quantum sacrae obscoenitatis locum habuerit, hominum illorum negligentia et improbitate, qui doctrinae sacrae informandae praeesse dicebantur. Tacemus *quaestiones* illas Seculo adhuc nono agitatas, *quomodo* Maria pepererit? Quasi suo

quodam novo iure id fibi fumferunt, ut aeternis et novis femper defcriptionibus hiftoriam Mariae illuftrarent, et modum aliquem fatis monftruofum *reperirent*, quo Iefum illa filium pepererit. His igitur ftudiis ipfam illam divinam vim doctrinae falubris, et verae θεογνωσιας illud Evangelium, (fic veteres multi eximie defcripferunt illam provinciam Chrifti,) filentio quafi et tenebris involuerunt, atque ex hominibus, loco Chriftianorum, qui vitae fuae nova indole divinam doctrinae faluberrimae auctoritatem ipfi facillime commendarent, fecerunt admiratores et fpectatores hiftoricarum picturarum. Qui enim quotidie novis declamationibus iftam hiftoriam Mariae et nati Iefu Chrifti exornatum picturnque ibant, quomodo tandem otium atque opportunitatem nacti fuiffent, informandae doctrinae illius, cuius tradendae et perfuadendae caufa univerfam illam Iefu Chrifti provinciam Deus nobis profpexerat! Hic facile agnofcimus illorum merita et beneficia, qui aliam quafi doctorum fidelium et proborum claffem conftituunt; qui foli infrugiferis quæftionibus et miraculis, de θεοτοκω, de reliquiis, imaginibus &c. fe opponere aufi funt, et falubrem doctrinam Chriftianae inftaurationis et veri Chriftianifmi diligenter commendarunt.

JO. GERHARDI, THEOLOGI QUONDAM Jenenfis celeberrimi, Locorum Theologicorum, Tom. IX. et X. Denuo edidit, variisque obfervationibus adauxit JOHANN. FRIDER. COTTA, *Theologus Tubingenfis.*

Sumtibus Ioh. Georg. Cottae, MDCCLXIX. et LXX.

Refumimus nunc laborem, lectoribus haud ut opinamur iniucundum, in pertractandis Tomis Gerhardianis, quorum totus nonus in circumcifione, agno pafchali, et baptifmo verfa-

verſatur, nobili argumento, et digno attentione, tam ob vitam quam fidem confirmandam.

Agit ergo primum de convenientia et diverſitate Sacramentorum V. et N. Teſtamenti: quae diverſitas praecipue in eo eſt, quod illa praenunciaverint Servatorem, quem illa nobis exhibent. Alia eſt quaeſtio an in integritate primorum hominum locus fuerit iam Sacramentis? in quo videtur nobis, de rebus, et voce et facto ambiguis, melius taceri. In loco de circumciſione multa digna invenimus, ubi omiſſis tralatitiis et ſaepe incertis, placuit nobis vehementer annotatio editoris, de controverſia quam Marshamus, Spencerus, Clericus, et alii antiquitatum peritiſſimi viri moverunt, annon circumciſio, et forte aliae caerimoniae, ab Aegyptiis ad Judaeos traductae, numine vero iuſſuque divino liberatae a ſuperſtitione et ſanctificatae ſint. Nihil indignum Deo: ſed tamen difficile eſt probare, Patriarchalibus ritibus antiquiores eſſe Aegyptiacos. De ritu ipſo modoque amputationis, de tempore et duratione multa legimus ex antiquitate et philologia bene explicata, quibus novam lucem notae affundunt.

Id ipſum annotamus de altero V. T. Sacramento, Agno paſchali. Nam et ex philologia et hiſtoria antiqua, de agno, de tempore modoque mactationis et aſſationis, et iis qui ad hanc comeſtionem admittebantur, variae ſunt hic annotationes pereruditae ſumme Ven. Editoris. Prima, an Chriſtus una cum Judaeis, vel diem ante, Paſcha comederit, quod vir Cel. affirmat, et Karaitas ſecutum Chriſtum ait. Qua in quaeſtione hoc unicum remanet, an in Phariſaica urbe, tanta et publica quidem libertas fuerit. Duas veſperas quod attinet, Aben-Ezrae ſententia nobis maxime propria textui videtur. Alia nota Editor Spencerum refutat, qui putabat, Zabiis et Aegyptiis obviam ſic ire Deum voluiſſe, de quo pariter, uti ſupra de circumciſione, iudicamus. In hac moderatione divina nihil abſurdi videmus; ſed nimis

 prona

prona est inversio argumenti, Aegyptios accepisse a Judaeis. Nam convenientia facile apparet. Subtilissima est quaestio de agno paschali, an sacrificium dici possit? quod affirmant Pontificii, non rationibus solum, sed locis etiam quibusdam biblicis adducti, quibus ita appellatur, sed latiore significatione. At nostri dudum responderunt, stricta ratione id fieri non posse; neque enim immolatum Deo vel accensum esse. Ferri possent dissentientes, modo ne ad S. Coenam applicarent, quam Sacrificium pariter esse volunt. Cui parti magnum attulit lumen optimus editor.

De numero Sacramentorum, quem, ut omnes norunt, septenarium adversarii faciunt, e sententia ex Scholasticis petita multa disputantur. Tota res fluit ex definitione, quae latior plura, accuratior pauciora admittit, in qua nec ipsi Romani satis inter se conveniunt, ut a duumviris nostris ostenditur, nec omnia Sacramenta eiusdem dignitatis statuunt. Multum inde est in usu verborum, quod ipsa Apologia nostra optime urget. Proh, quam bene cum Ecclesia actum esset, si antiquum illud obtinuisset: *Omnis disputatio a definitione ordiri debet, ut sciamus quid sit id de quo agatur.*

Accedamus ad Baptismnm. Ubi de voce ipsa postquam actum esset, quam negari non potest populariter in N. T. usurpari saepe, vaticinia et typos enarrat Gerhardus, pie satis, sed ingeniosius interdum quam verius. Solebant veteres typos, Christum, Antichristum, et quid non? ubique invenire. Pars illa quae agit de administratione huius mysterii, et a quo fieri possit, praecipue an haereticorum baptismus valeat; et quibus conditionibus, quod iam a Cypriani tempore agitari coepit, an a Laicis, an a mulierculis quoque, quod Reformatis adeo displicuit, recte fiat valde utilis est futuro sacerdoti. Plus eruditionis adhuc, sed minus necessitatis habet illud, an baptismus Joanneus cum Christi baptismo *idem* sit. Nostri fortiter affirmant, Romani et Sociniani negant,

gant, quo Christum novum legislatorem nobis faciant; utraque pars satis acute, sed in simplicissima vocula non simplex est fallacia. *Idem* quid est? Essentiane, an accidentibus, an gradu, an numero. Satis nota haec distinctio e metaphysicis, atque utinam esset nota nostro tempore, ubi nimis intelligendo facimus ut parum intelligamus.

Annectuntur scrupuli quidam praxeos sacerdotalis, eleganter remoti. Materiam baptismi aquam dicimus verbo connexam: qui locus optima nonnulla philologica ex antiq. sacris tenet, sicut etiam ille alter de forma ipsa, actione circa aquam, verbo Dei conveniente, i. e. verbis institutionis, quae presse sequenda sunt, nec addito quoquam, nec demto, sed nec immutato, quae via facillima et tutissima est. De fine baptismi, qui partim ad regenerationem, partim etiam ad sanctificationem spectat, integro capite agitur, contra Calvinianos, et qui eorum vestigia libenter sequuntur Socinianos, qui signum merum esse volunt, non δοτικὸν, ut nos, sed mere σημαντικὸν. Pontificii contra, opere operato prodesse baptismum, imprimere characterem indelebilem, aiunt et varia obiiciunt Luthero, quae non statuit; quanquam fervidi vir ingenii disputando interdum ultra evectus est, quam aut pati adversarii, aut nos concedere queamus. De obiecto baptismi monetur, nec mortuos, nec infantes nondum plane editos, nec monstra, nisi sint capite humano, id esse posse, sed nec campanas aut alia. Qualis baptismus olim Pontificiis obiiciebaur, sed nostro tempore satis transactum est, meram consecrationem eum esse. Quo in genere nos valde oblectarunt observationes adiectae tam Gehardi, quam Cottae. Esse autem baptizandos non adultos solum, verum etiam infantes. Quo de paedobaptismo primum historice actum est, eiusque oppugnatores sive antiquiores, sive recentiores, recensiti, et usque nostra tempora accurate deducti, ab sollertissimo Editore. Res ipsa confirmatur tam Scripturae, quam antiquitatis testimonio. Anabaptistae contra, et quot-

quot

quot cum illis ſentiunt, ampliſſime refutati. Variae dein quaeſtiones diſcutiuntur, quae futuro paſtori eccleſiae apprime utiles eſſe debent, quibus multa poſſunt occurrere, ubi non ſtatim praeſenti in periculo recurri ad Ephoros poteſt. Erit paedobaptiſmus ſemper exagitatus uti fuit iam omni tempore, quem ſi nihil aliud, ſaltem argumentum ab innocuo et tuto facile tuebitur. Tota ea res optime proponitur, adverſarii refutantur, interdum ſubtili interdum pingui Minerva pugnantes, et varia alia de parvulorum baptiſmo monentur. In quo eſt intricata ſatis quaeſtio, an parvuli vere fidem habeant; quam diſputationem legat cui volupe eſt ardua metiri. Quorum de ſalute digna ſunt lectu, quae auctor editorque habent.

Deſinit vero haec pars in adiunctis baptiſmi, tempore quo ſit ille faciendus, an repetendus ſit, item de caerimoniis additis ab ſequentibus temporibus, quas modicas noſtra eccleſia habet, Pontificia multo plures; quo in loco multa ex antiquitate obſervantur, iucunda pariter ac fructuoſa.

Decimus Tomus totus in S Coena verſatur, quae, cum Chriſtus amoris et concordiae cauſſa inſtituiſſet, nunc litium et perſecutionum cauſſa facta eſt, ne forte lateat, quantum a magiſtro defecerimus, obtrudentes nobis invicem quae nullus plane intelligit. Incipit ab onomatologia, uti ubique, ita et hic, quod etiam multo optimum. Tota noſtra Theologia grammatica debet eſſe, ut Melanchthon recte dicebat. O bone Melanchthon, ſi nunc redires! De typis S. Coenae ex V. T. dein agit, ubi multi ſunt typi accerſiti et invecti, homiletice potius, quam acroamatice. Sed id genio ſaeculi tribuamus. De auctore S. Coenae nihil difficultatis, de miniſtris bene multa, ubi in primis quaeritur, an laicus diſpenſare eam queat, cuius quaeſtionis hiſtoriam luculenter auctor deducit. Nos quidem concedimus, contra Scripturam hoc non fore, ſed eſt contra praxin eccleſiae, quae tamen

men in rebus externis audienda omnino eſt, praecipue propter abuſum et infirmiores. Qualis etiam altera eſt, an paſtor ſibi ipſi porrigere queat, de quo eodem modo decidimus. Meminimus ante aliquot annos paſtorem hoc faecre, cum eius confeſſarius non veniſſet, praeſente populo. Sed id Senatus Sacer non probaverat. In externis ſymbolis notantur potiſſimum haeretici, qui res peregrinas ſaepe et dictu nefandas adhibuerunt, ſi quidem vera narrantur. Sed ſi ſic licet accuſaſſe, quis erit innocens. De pane fermentato, item orbiculis, uti commiſtione aquae cum vino, multa ſunt quae curioſum lectorem valde detinebunt in attentione. Gravior quaeſtio eſt de communione ſub una, quae olim propter quasdam difficultates in vino miniſtrando cum irrepſiſſet, in legem poſtea, ut ſolent abuſus, diſceſſit. Quam cum Gerhardus, partim ex verbo Dei, partim ex uſu et teſtimonio antiquae eccleſiae, confutaſſet, dein late et accurate contra pontificios diſputat, Bellarminum in primis, cuius argumenta valde, ſunt debilia, ut ingenium viri laudes, cauſſam laudare non poſſis,

Si Pergama dextra Defendi poſſent, certe hac defenſa fuiſſent.

Atque utinam moderatio, vel ſenſim et facile inter religiones contrarias induceretur, quod Pontificiae inprimis difficile eſt, pereunte dehinc multum iactata infallibilitate. Haberemus tamen conſilium, ut abuſus, qui pedetentim venerunt in conſuetudinem, ſinant paullatim obſcurari deſuetudine, quamquam etiam videntur id moliri, quod laudamus. Nec poſtulamus ut nobis victas manus dent, palamve confiteantur ſe erraſſe; ſufficit nobis libertas, quam petimusque damusque viciſſim. Nec multo melior eſt altera controverſia de Transſubſtantiatione, quae ex male intellectis Patrum ſententiis, μεταμορφώσεως, commutationis, phraſibusque minus accurate dictis, et oratorie intellectis, ſuperſtitioſe et metaphyſice orta, ita repugnat verbo Dei, omnique

 ſenſui

ſenſui, ut, quid velint adverſarii, ne ipſi quidem intelligant, et populares errores ut defendant viri meliora edocti ingenium torquent ita, ut aut ſenſus, aut fides videatur iis deeſſe. O Philologia et Philoſophia, quantum vindicatis contemtum veſtrum in eccleſia. Haruſpicem Cato dicebat ridere debere quoties alteri occurreret; quid iſti ſacerdotes faciant qui creatorem ſuum creant, immolant, et tandem phyſice comedunt. Meminimus, aliquem qui inter Turcas fuerat nobis narrare, id ab infidelibus ſuaviter rideri. Vae illi, quem avita religio abſurdis familiarem reddidit! Utiliſſima eſt obſervatio Gerhardi de ῥητῷ quam obſervantiſſime retinendo, ubi adverſarii ſignificationis propriae in claſſes deducuntur, cum detorſionibus voculae *hoc eſt*; qui locus nobis valde ſe probavit, praecipue vero ſupplementa, quae Cel. Editor adiecit. Sequitur de praeſentia corporis Chriſti reali, non verbali; ſubſtantiae, non ſolius efficaciae, quae eſt ſcaturigo aeternorum diſſidiorum inter nos et Reformatos, quorum ſententia facilior eſt, ſed minus cum Theologia conveniens. Nititur enim fundamento metaphyſico, corpus in pluribus locis ſimul eſſe non poſſe. Argumenta vero ſunt ea, quae facile probent, ne ſubſtantiam, ne ſpiritum quidem, tandem nec Deum ipſum, pluribus ſimul locis adeſſe poſſe. Quos facile ſequuntur deinceps Arminiani et Sociniani, et quo via facta ruunt, quibus male reſiſti a Reformatis poteſt, ſi propriis eos armis impugnaveint. Eruditiſſimum vero eſt illud caput de transſubſtantiatione contra Pontificios. Hiſtoriam copioſam huius mirabilis ſententiae, ſive inventae, ſive defenſae, ſive oppugnatae, dederunt Gerhardus, ac ubi ille deficit Cotta, magna uterque ubertate lectionis. Transſubſtantiatio, obſcuriſſimorum ſaeculorum partim ſuperſtitione, partim ignorantia, per Scholaſticos invecta, nunc libenter deſereretur ab eruditis, niſi plebeios rumores, (quam eccleſiam dicunt) reformidarent. Nam nihil fingi poteſt abſurdius, quam panem mutare in corpus perſonam deum, dein adorare, poſtmodum abſorbere, quod ridiculas quaeſtio-

quaestiones peperit, e. g. de mure, si forte hostiam comederit. De consecratione, quid efficiat, quid necessarium ei sit, quid adventitium, panis frangendusne, aut parvis buccellis coquendus, quomodo utraque elementa sint distribuenda, qua ratione dici possit manducari a nobis bibique carnem et sanguinem Christi, haec, ardua satis in se, bene explicantur. *In* repositione, circumgestatione, venerationeque sacramenti, itemque de iis qui admitti ad venerabile hoc mysterium possint, multa invenimus annotata, partim, ex polemica, partim ex historia sacra, quae memoratu sint dignissima, et nihil putamus dignius Theologo, quam dogmata et ceremonias ecclesiae vel suae, vel etiam alienarum, a prima inde origine, usque ad tempora quibus vivit ipse, deducere posse. Magna res, ideoque paullo rarior. Item de tempore et loco, multa, ex intima antiquitate, petita sunt, veluti etiam de caerimoniis, quibus Editor varia memorabili a ex antiquis liturgiis adiecit. Addidit diligentissimus Vir iste supplementum, in quo primum Heumannianae confessionis de S. Coena, quae post eius mortem edita est, historiam et refutationes recensuit. Pertinet haec res ad labes religionis, quae multae nostro tempore factae sunt et tot sunt nostrorum, qui partim hanc, partim aliam religionis partem vellunt carpuntque, ut ex tota parum maneat integrum. Quid tandem credendum erit, aut quis finis? Sed in rebus adeo invidiosis libenter tacemus. Videant Theologi, ne quid respublica detrimenti capiat. De transsubstantiatione, deque consecratione, quasi de integro tractavit Cotta, eaque contexuit, quae forte erant antea omissa, bonamque apud lectores gratiam iniit. Sed se ipsum videtur ille superasse in tractatu de Sacrificio Missatico, ut et quid nos contra dicamus, quave ratione eludere nos Romani satagant, ostenderet, historiamque et quasi genealogiam huius abusus deduceret per saecula obscura, cum melioribus tota ratio illa fuerit ignota. Unum addimus, εὖ καὶ καλῶς.

VITA ET MEMORIA VIRI ILLUSTRIS, CHRISTIANI ADOLPHI KLOTZII, Regis Borussorum a consiliis intimis, Professoris Philosophiae et Eloquentiae Ordinarii, Bibliothecae Academ. Praef. Poetae Laureati, Rev. Capitul. Wurz. Canon. Academ. Caes. Scient. Roboretanae, Chalcograph. Caes. Vindobon. Soc. Altorf. Elector. Mogunt. Scient. Instit. Histor. Goetting. Soc. Lat. Jenens. Marchico - Badens. Physicae Lusaticae Collegae, die ultimo Decembris anni MDCCLXXI. beate defuncti, nomine Academiae Fridericianae scripta a CAROLO EHREGOTT MANGELSDORFIO, Philosophiae doctore.

Halae, typis Curtianis, 8. mai. for. plag. 6.

Dum ipsi in contexendo elogio *Klotzii* elaboramus, affertur nobis copiosissima haec vitae *Klotzianae* enarratio. Quae eo gratior nobis fuit, quo diutius scimus Cl. *Mangelsdorfium* in contubernio *Klotzii* vixisse, arctissimaque illius usum fuisse familiaritate. Quid? quod ipse *Klotzius* inter oscula et amplexus amici huius animam exspiravit? Multam certe gratiam Cl. auctor libello hoc a viris doctis, cum nostratibus, tum exteris iniit, quem laborem sponte eum suscepisse, nec sine hominum quorundam invidia perfecisse, scimus. Qui enim *Klotzium*, dum inter vivos esset, extimuerant, ii mortuo insultare volebant. Quis enim credat, plures Academiae Hallensis viros, omnem operam dedisse, ne publicum hoc animi gratissimi monumentum in honorem *Klotzii* erigeretur: vicit tamen bona causa, scriptaque fuit haec memoria iussu illustrissimi Academiae

illius

illius Curatoris, qui singulari hoc animi sui documento publice testatus est, quanti fecerit *Klotzium* rex Borussorum augustissimus. Qui libellus cum a quamplurimis Klotziani nominis fautoribus legetur, brevem tantum de vita et ingenio Klotzii subiungimus narrationem. Celebramus ita viri memoriam, qui, sive ingenium spectes feracissimum, sive amplissimas, quae in eo fuerunt, lectionis et eruditionis divitias, sive iudicandi vim acutissimam, sive animum ab omni fraude alienum, sive mores humanissimos, quibus omnium sibi conciliabat animos, paucos habuit pares. Natus erat anno huius seculi tricesimo octavo. Patriam habuit *Insulam Episcopi*, urbem prope *Dresdam* in Lusatiae Misniaeque confinio sitam, nunc *Bischofswerdan* nominatam. Pater, *Ioannes Christianus*, sacrorum per illum tractum antistes, superstes, tam chari capitis interitum luget. Hem! mirum naturae lusum! quem natura in insigne literarum ornamentum nasci voluerat, ille ad septimum usque aetatis animum ne minima quidem indicia naturalis docilitatis ostendit. Hoc vero egresso, tanto ardore, tantaque animi alacritate ad addiscenda literarum rudimenta advolavit, ut magis devorare, quam arripere videretur magistrorum praecepta. Iam pueri decennis ingenium abhorrebat prorsus ab aequalium studiis, suasque sibi poscebat deliciolas. Miro enim tum vernaculi sermonis studio abreptus fuit, ita ut omnes horas subsecivas, quas alii lusu perdere solent, in componendis et recitandis versiculis consumeret. Paullulum adultus, delatus fuit in Scholam provincialem Misenensem, ibique operam dedit legendis optimis, quos Germania tulit, poetis. Post *Gorlicium* abiit, qua in urbe multa et eruditionis et virtutis laude florebat Cl. *Baumeisterus*. Hic totum sese tradidit literis graecis et latinis, quarum e studio fructus uberrimos retulit. *Gorlicio* relicto *Lipsiam* se contulit, ubi in familiam illustris *Belii* fuit receptus. Hic deseruit prorsus literarum sacrarum studium, cui ante se addixerat, totusque literis, quae ab humanita-

te nomen traxerunt, et iurisprudentiae elegantiori vacavit. Scholas doctissimorum virorum invisit magis, quam frequentavit. Neque tamen egit haec, ut αὐτοδιδάκτου gloriolam aucuparetur, sed ut expleret plenis haustibus insatiabilem discendi sitim, ut vero pulchritudinis atque elegantiarum sensu animum pasceret, eumque nullis praeconceptis opinionibus corrumpi pateretur. Multum igitur delectatus fuit Horatio, quem aemulari, cuiusque ad similitudinem sese comparare studuit. Quem quam feliciter immitatus esset, clarissime testabantur, quae eo tempore edidit, carmina. Tum enim dignus Horatio magistro discipulus,

monstrabatur digito praetereuntium

Romanae fidicen lyrae.

Scripsit quoque, dum Lipsiae moraretur, famigeratas illas Satyras, quibus innumeras sibi contraxit molestias. Notus est *Genius seculi*, noti sunt *mores eruditorum*, nota *ridicula literaria*, et libellus *de minutiarum studio et rixandi libidine Grammaticorum quorundam*. Quantas turbas *Anti-Burmannus* excitaverit, et quam strenuum bellatorem sese exhibuerit *Klotzius* adversus hunc Pyrgopolynicem, multis hic repetere nolumus. Lipsiam, propter horrendos belli tumultus, quibus tum omnis Germania vastabatur, reliquit, et Jenam adiit. Qua in urbe cum Scholas publicas vix aperuisset, innotuit *Münchhusio*, Academiae Goettingensis olim curatore, a quo Goettingam vocatur, ad capiendam Professionem Philosophiae et eloquentiae. Qua salutata appulit animum ad rem numariam, gemmariam, et pictoriam, quarum in studio quantum profecerit pluribus scriptis docuit, quorum catalogum infra dabimus. Hic quum, remotus ab omni ambitionis specie, sibi et literis, vitae suae altricibus suavissimis, viveret, uno die a Serenissimo Principe Darmstadiensi, in Academiam Giessensem, a rege Borussorum autem Halam vocatur. Neutram tamen conditionem accipere, sed Goettin-

gae

Digitized by Google

gae manere constituit. Post tamen, cum multorum clandestinam experiretur invidiam, indignabundus urbem eam reliquit Halamque concessit, oblato sibi publico Professoris eloquenticae munere. Qua in urbe ad mortem usque literarum incrementa, et docendo et scribendo impiger promovit. Honoratus ab omnibus, praemiisque munificentissimis a rege suo exornatus, eo tempore supremum diem obiit, quo, spretis rixis et altercationibus doctorum virorum, novum literarum genus erat aggressurus.

Quid vero et quantum literis universis praestiterit *Klotzius*, neminem credo latere potest, qui literarum vicissitudines et fata in Germania habet cognita. Praecox et varium in eo fuit ingenium, mirusque artium elegantiorum amor. Primus ille fuit, qui docuit, cur et quomodo coniungenda sit veterum scriptorum lectio cum recentiorum auctorum studio. Graeciae Latiique monumenta impigra manu non ideo tractavit, ut immensam dictionis et verborum copiam, sed ut rerum scientiam utilem, pulchrique sensum rectissimum sibi compararet. Docuit nos plorare cum Sophocle; moerere cum Euripide; amare et ludere cum Anacreonte; rusticari cum Theocrito; terra relicta coelum petere cum Pindaro; praelia inire cum Homero, et mores hominum observare cum Terentio. Ubi vel legendum, vel scribendum librum aliquem sibi sumserat, pertinacissima assiduitate opus inchoatum perfecit. nec *dicto* fuit *affabilis ullo*. In legendo plurima ei fuit celeritas, et naturale illud ingenii acumen, quo, quid cuique rei veri insit, quid falsi, facile, primoque quasi adspectu consequimur. Philosophiae nullam partem magis adamavit quam eam, quae de emendando animo praecipit, eamque omni eruditionis e laudi praetulit. Quamvis ipse criticum semper egit, atque Acta literaria scripsit, plurimorum tamen e manibus eripiendos censuit hos libellos. Nimia enim actorum literariorum copia, alios ab ipsis libris legendis retineri putabat, multosque inani eruditionis specie contentos, immo opinio-

opinionum varietate deceptos, nolle ſevera lege proficere. Dicendi genere uſus fuit puro, eleganti, perſpicuo, et urbano. Omnia, quae ſcripſit, venuſtatem aliquam praeferunt, quae ſentiri, non deſcribi poteſt. Poteſt de eo idem praedicari, quod Plinius de Apelle, pictore, dixit: praecipua, Apellis, in arte venuſtas fuit; cum eadem aetate maximi pictores eſſent; quorum opera cum admiraretur, collandatis omnibus, deeſſe iis unam illam Venerem, quam Graeci χαριτα vocant; caetera omnibus contigiſſe, ſed hac ſoli ſibi neminem parem. Amabiliſſimo fuit animo, ſi iracundiam, quae tamen quam celerrime evaneſcebat, credulitatem, nimiam liberalitatem, et levitatem aliquam animi virtutum e numero eximis. Dicendi et ſcribendi libertatem numquam eripi ſibi patiebatur. Plurimum apud nos valere debere iudicabat veram rationem, quam opinionem vulgi, ex qua cui ſpes, ratio, cogitatio, animi tranquillitas penderet, quomodo illum virum bonum appellaret neſcire ſeſe fatebatur. Emortuali tamen anno miram perpeſſus fuit animi immutationem. Triſtis erat, moroſus, difficilis, omnibus a rixis, quantum fieri poſſet, alienus, et ad avaritiam paene in re familiari parcus. Qui animus tam ſubito mutatus inſtantem mortem nuntiare videbatur. Qua appropinquante, non triſtis aut querebundus, ſed hilaris, et ut ſatur conviva, contentus exacto vitae tempore, e vita exceſſit. Scripta, quibus nomen ſuum perenne fecit et charum poſteritati, haec ſunt:

Carmen de excidio Zittaviae, Gorlici a. ſ. LVIII.

Pro M. T. Cicerone adverſus Dionem Caſſium et Plutarchum, Gorlicii LVIII.

De quibusdam ad Homerum pertinentibus, epiſtola, Lipſ. LVIII.

Carminum liber unus, Lipſ. LVIII.

Mores eruditorum, Altenb. LX.

Genius

Genius seculi, Altenb. eod.

Opuscula poetico, Altenb. LXI.

Pro Lipsii latinitate, oratio.

De minutiarum studio, et rixandi libidine Grammaticorum quorundam, Jenae, LXII.

Animadversiones in Theophrasti characteres ethicos.

De dignitate, iucunditate, et utilitate studiorum humanitatis, oratio.

Anti-Burmannus, Jenae, LXI.

De felici audacia Horatii, Jenae, LXI.

De nemoribus in tectis aedium Romanarum, Jenae, LXII.

Elegiae, Jenae, LXIII.

Funus Burmanni, Altenb. LXII.

Ridicula literaria, Alt. LXII.

Epistola ad viros doctos in Germania.

De populari dicendi genere.

De Verecundia Virgilii.

Miscellanea critica, Traiecti Batav. LXIII.

Tyrtaei, quae supersunt, omnia, cum commentario, Bremae, LXIV. *recus. Altenb.* LXVII.

Vindiciae Horatii, Bremae, LXIV.

Acta literaria, Altenb. LXIV.

Epistolae Homericae, ibid. LXV.

Auctarium Jurisprudentiae numismaticae, a C. F. Hommelio editae, Lips. LXV.

Historia numorum contumeliosorum et Satyricorum, Altenb. LXV.

Historia numorum obsidionalium, Altenb.

De meritis Friderici Magni.

De Friderico M. postgenitis charo, oratio.

Hallische gelehrte Zeitungen.

Ueber das Studium des Alterthums, 1766.

Elogium Burgii, Halae, LXVI.

Deutsche Bibliothek der schönen Wissenschaften, Halle, 24 Theile.

Ueber den Nutzen und Gebrauch der alten geschnittenen Steine und ihrer Abdrücke, Altenb. 1768.

Lectiones Venusinae, Lips. LXVIII.

Opuscula numaria, quibus iuris antiqui historiaeque nonnulla capita explicantur, Halae, LXXI.

Opuscula Philologica et Oratoria, Halae, LXXII.

Libri autem, quos vel primus edidit, vel addita praefatione recudendos curavit, neminem fugiunt.

Qui tamen scriptorum Klotzianorum cognitionem uberiorem expetit, legat hanc vitam Klotzii, cui praemissa est disputatiuncula, qua ostendit Cl. auctor, omnes illas notiones, quas et veteres et recentiores, de beatis post mortem sedibus, conceperunt, multum debere nativo coeli terraeque temperamento.

CORPUS

Digitized by Google

CORPUS JURIS CIVILIS RECONCINNATUM, in tres partes distributum. Cum praefatione HENRICI CHRISTIANI *L. B. de* SENCKENBERG, *&c. Auctore* EUSEBIO BEGERO, *J. U. Lic. et S. R. I. lib. reipubl. Ulmensis Consiliario.*

Francofurti et Lipsiae, apud Aug. Leb. Stettin, PARS I. 1767. 360 pag. excepta praefatione. PARS II. 1767. 579 pag. indice excepta. PARS III. 1768. Sect. I. 515 pag. Sect. II. 504 pag. in 4to.

Annis quatuor iam praeter lapsis *Begerus*, in libello quodam propositum exposuerat, omnes quae corpore iuris Justinianei continentur, constitutiones et iura ordine materiarum colligendi et typis exprimendi, quod manuum aut oculorum sane non est, sed iudicii exercitati opus, quod tamen praesenti opere exhibuit. Pro quo *Begerus* omnino dignus est qui laudetur, quam laudem quoque ei nemo negabit iudicio expendens, quae patientia, quae diligentia, quod denique studium requiratur, omnia ea, quae ad unam materiam ex toto corpore iuris pertinent, variisque in locis leguntur, accurate et in iustum congerendi locum. Quum enim partes corporis iuris Justinianei, ut notum est, diversis temporibus, diversis e fontibus, et diversis rationibus compositae sint, non est mirandum, in eo ordinem inconstantem, nonnullas materias tantum in una, neque in altera inveniri parte, denique de una materia constitutiones alias in hac contra ea in illa alias reperiri. Quibus rebus sine dubio illud incommodi exoritur, ut ad materiam ex ipsis fontibus cognoscendam, legesque novas ab obsoletis et abrogatis iuribus distinguendas, cogamur titulos eo spectantes, constitutionesque singulas, e variis corporis iuris partibus, dispersas conquirere prius, quam inter se comparare

parare possimus. Et hoc permovit *Begerum* ut honestum illud, praeeunte *Senckenbergio*, caperet consilium. Finem autem ut propositum consequeretur, institutionum elegit ordinem. Utilitas talis diligentiae luculenter apparet, molestam enim perquisitionem evitare, unamquamque materiam toto ambitu, mutationibus et circumstantiis, intelligere discimus, in fontibus simul optimus et accuratissimus in quamlibet legem commentarius ad manus est; quid plura? longe facilior talis operis usu interpretatio legum redditur. Optandum autem est ut nemini in mentem veniat, quod fere *Begero* accidisse videtur, legum interpretem non tantum observatum in qualibet materia corporis iuris ordinem attendere debere, sed contentum facta hic dispositione esse posse. Saepissime vero sensus constitutionis alicuius verus, a connexione titulorum et materiarum pendet, quae auctoribus codicis Justinianei probata, quamquam non semper accurata, neque naturalis, contra ea cum proprius unius legis sensus, aut etiam totius tituli, nexu naturali neglecto, obscuraretur. *Noodtus*, omnibus numeris absoluto in Pandectas commentario, multa adduxit exempla. Magnam, si hunc abusum vitemus, propositum editoris adferre utilitatem potest, et in universum laudi ei id ducitur. Quanquam tractatio et ordo, in nonnullis, non satis accurate voluntati editoris respondere videatur. Omne enim opus in partes tres divisum, quorum una totum ius publicum Romanum, e Codice et Novellis collectum, cum iure feudali Longobardorum, præmittitur: et quidem sic procedit ordine, ut primo leges de honoribus et muneribus ponantur, deinde de magistratibus, et institutiones ad politicam constitutionem pertinentes, post iura aerarii et redituum, ius ecclesiasticum, ius tandem belli claudat agmen. Contra ea ius feudale ordine Institutionum dispositum: primo enim constitutiones generales de iure feudali, deinde iura personarum, post rerum iura, denique iura actionum et processus. Pars

altera

altera omnes Codicis et Novellarum constitutiones, quae ad ius priuatum pertinent, ordine appositi textus Institutionum continet: v. c. in titulo Institutionum de nuptiis e Codice et Novellis materiae de desponsatione, de arrha, de donatione propter nuptias, de sponsalitia largitate, de gradibus prohibitis, de secundo matrimonio de dote, de divortiis, de concubinatu sunt additae. Novellas et Justiniani et Leonis, aliorumque nonnullorum Imperatorum constitutiones, sed tantum latinas, non neglexit. Tertia pars Pandectas, eodem modo atque ordine Institutionum continet, sic dispositas, ut ad unumquemque earum titulum omnes illi tituli Pandectarum adscripti sint, qui ad materias ibi tractatas spectant. Hac in parte neque ius privatum neque pars ea Pandectarum, quae ad ius publicum pertinet, desideratur. Et sic dispositio praesentis operis se habet. Dubii autem id nobis in mentem venit, quod palam et sine omni reprehendendi libidine proferemus. Omne opus multo utilius, ut opinamur, foret, et ad editoris consilia propius accessisset, si Pandectas a Codice et Novellis non seiunxisset, sed ad unumquemque titulum Institutionum, omnia quae eo referri possint loca Pandectarum Codicis et Novellarum, una serie essent posita. Quo enim modo, de unaquaque materia, omnes iuris Romani constitutiones invenire liceat dum hac praesenti dispositione duabus in partibus diversis quaerendae sunt. Attamen finis *Begeri* is tantum fuit molestae, evolutionis labore eximere lectorem. Praeterea interpres multum in eo consequeretur si temporis ordinem legum quasi uno intuitu perlustrare posset, dum semper textui Institutionum loca Pandectarum primo posita, deinde convenientes leges Codicis, denique constitutiones Novellarum, reperirent. Ceterum *Begerus*, de codice optime meritus, ut suasu celeberrimi *Maiani*, inscriptiones et subscriptiones constitutionum duce *Vidania*, (qui latet nomine Adiniva Granánesio conficiat, rogatur. Voluptate magna *Begeri* promissum legimus, codicem Theodo-

 sianum

ſianum, et ius canonicum, eodem modo edendi, quem in corpore iuris obſervavit, in illo enim Juſtiniani in hoc autem Lancelloti ordinem ſecuturum ſe promiſit. Praefatione lectu dignisſima, nuper iurisprudentiae praematura morte ereptus ill. *Senckenberg*, et de utilitate, quam talis diſpoſitio adferre poſſet, et de ſimili nonullorum antiquae et recentioris aetatis iureconſultorum labore egit; quibus tamen omnibus palmam praeripuit *Begerus*.

TABLES DE LOGARITHMES &c.

h. e.

LOGARITHMORUM TABULÆ, NUMERORUM,

ab unitate ad 102100. Sinuum et tangentium ad dena Secunda, cum aliis tabulis. Olim in Anglia edidit dom. Gardiner. Novae huic editioni acceſſerunt logarithmi Sinuum et Tangentium per ſingula Secunda primorum quatuor graduum.

Avenione, apud Io. Aubert, 1770. fol. parvo, Alphab. 3. plagul. 5.

Gardineri et Shervinii tabulae, etſi plus una vice editae, diu, vel oblato ſatis magno pretio, haberi non potuerunt. Igitur, in diario eruditorum (Journal des Savans) 1769. indicatum fuit, P. Pezeras, ex Soc. Jeſu, qui variis ſcriptis mathematicis inclaruit, novam editionem curaturum. Ea haec eſt, ſed editor non nominatur, praefatio ſaltim habet, ad illam contuliſſe operam ſuam peritos Mathematicos, tanto numero, quanto rarius in urbe provinciali coniuncti reperiantur; hos et calculos neceſſarios repetiiſſe, et de erroribus typographicis cavendis ita fuiſſe ſollicitos, ut quamlibet plagulam ad minimum duo illorum examinaverint. Figurae numericae maiores ſunt, egregie expreſſae, charta ſpiſſior

Digitized by Google

ſpiſſior et firmior, quae duo, in libro ſaepiſſime manibus terendo, maximi ſunt momenti. Cum efficere vellent editores, ut nihil editionis Anglicae deſideraretur, etiam praecepta de uſu tabularum gallice verterunt etſi poterant illa concinnius ſcribi, et abſque tanta ſignorum analyticorum farragine. Ordo huius editionis, leviter ab Anglicis diverſus, hic eſt. Numerorum primorum mille logarithmi, in figuris decimalibus octo. Chiliades 101'' 102''' hoc eſt logarithmi numerorum ab 100000 ad 102000. Logarithmi numerorum 10000 ad 100000' quibus ut patet continentur logarithmi numerorum minorum. Diſpoſitio eſt ut in tabulis Anglicis, omiſſa characteriſtica, figuris primis, quae multis logarithmis communes ſunt, poſitis, ad latus columnarum, in quas diſtribuuntur reliquae et adiectis partibus proportionalibus. Sequuntur ſinuum et tangentium logarithmi. Eos per ſingula ſecunda minutorum primorum 72 habebant anglicae tabulae, hic habentur per ſingula ſecunda graduum primorum quatuor, Dom Mouton computavit illas, et Academiae regiae Scientiarum Pariſinae legavit, communicavit vero cum editoribus, pro ardore quo fertur ad Aſtronomiam quibusvis modis promovendam dom. de la Lande: Quaevis pagina columnas 12 habet pro totidem minutis, lineas transverſas 60, pro totidem Secundis. Sequuntur pro primis quatuor gradibus coſinuum et cotangentium logarithmi per dena ſecunda; et deinde ab initio gradus quarti, ſinuum et tangentium logarithmi per dena ſecunda. Differentiae, ut fieri ſolet, ad latus poſitae ſunt. Quoniam exiguorum angulorum coſinus logarithmici, (hoc eſt recto proximorum ſinus,) niſi in tabulis reperiantur, non ſatis commode per partes proportionales computantur ſubiecere editores Praefationi ſuae formulas, quibus evitari poſſint. Eas ſumſiſſe ſe profitentur ex Transact. Phil. 1758. ſed non nominant auctorem, Patricium Murdoch Abſolutis arcubus ſequuntur logarithmi logiſtici, deinde tabulae, logarithmum numeri et numerum logarithmi, ad 20 figuras inveniendi. Harum

prima

prima, logarithmos in figuris 20 continens, in Anglica editione tribus paginis coercetur, hic quatuor occupat, ob typos paulo maiores. Sed triginta etiam circiter logarithmis auctior est et iis summo studio computatis: ultimi sunt logarithmi hyperbolici, ab 1 ad 10 per singulas partes centesimas, Simpsoniani illi, quos iam edidit dom Lambert, *Zusaetze zu den logarithmischen und trigonometrischen Tabellen*, Tab. 15. quo in libro, tabulis aliis, regulis et formulis, egregia compendia circa usum logarithmorum hyperbolicorum docuit illas vero logarithmorum Briggianorum ad 20 figuras extensorum tabulas non admodum probat, Introd. §. 58. Sed revertamur ad nostras tabulas, quarum editoribus, quod operam taedii plenissimam, publicae utilitatis maxime caussa exantlare voluerint, grates agendae sunt. Felicissimi etiam fuisse videntur eliminandis typi erroribus. Eorum pauculos, (quinque numero in logarithmis 101204 . . . 101208.) indicavit dom. de la Lande dom. I. Bernoulli, Berolini Astronomo Regio; v. hujus Recueil pour les Astronomes Tom. II. pag. 317.



NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Martii Anno MDCCLXXII.

NOVI COMMENTARII SOCIETATIS Regiae Scientiarum Goettingensis, TOMVS I. *ad A. 1769. et 1770.*

Goettingae et Gothae, apud Ioann. Christ. Dieterich, 1771. 4to. cum fig.

Quo maiorem utilitatem studia praestantissimorum virorum, ingenio et doctrina excellentium, communi consilio ad illustrandas ornandasque disciplinas suscepta, illustrissimorum Maecenatum auctoritate sublevata, universo generi humano adferre; quoque maius detrimentum res humanae et divinae exinde capere solent si eiusmodi saluberrima instituta, ex aliquo tempore iam bene constituta, variis infelicibus casibus et bellorum calamitatibus vel prorsus interrumpuntur, vel ita reprimuntur, ut quasi prostrata et inculta iacere videantur: eo maiori laude prosequenda celebrandaque est Societas, cuius novas Commentarios nunc recensendos suscipimus. Etenim ea fuit sodalium constantia et virtus, etsi gravissimis casibus satis diu vexarentur, ut eorum studia refrigerari quidem, at non extingui potuerint. Sedecim quippe annorum interiectu non efficere valuerunt, ut

 suas

ſuas Commentationes publici iuris facerent; quartus enim tomus, qui anni LIV. Commentationes continebat, iam anno LV. exierat: excepturus autem hunc, tomus quintus, infelici et poenitenda lite cum librario enata, nondum clauſtra, ſub quibus tenetur, refingere potuit. Interim tamen ſodales, etiamſi tali iniquitate premerentur, iuſta nimirum ſpe publicandorum Commentariorum ſublata, non deſtiterunt conventus habere et Commentationes recitare; donec, ſeu belli, ſeu aliarum calamitatum iniuria coacti, communi conſilio habito neglecta legum ratione, ne plane deficere viderentur, inter ſe convenirent, ut ſuis quisque rationibus conſuleret, ſuasque Commentationes ſeorſim vulgaret. Incredibilibus tandem Munchhuſii, immortalis viri, curis et ſtudiis, anno LXX. iterum excitata et reſtaurata eſt ſocietas, priſtinumque decus ſuum ab Octobri inde menſe recuperavit. Cum porro a ſeptem inde annis, contra leges Societatis, claſſis phyſica cultore caruiſſet ſuo, huic quoque deſiderio ut ſatisfieret ſodales curarunt. Sodalis enim et Collegae ordinarii in claſſe phyſica vicem ac locum ſuſcepit Vogelius Viri illuſtr. Med. D. et P. P. O. Regis M. Brit. Archiater, isque inprimis Chemiam novis experimentis illuſtrabit. E numero ſodalium extraordinariorum claſſi phyſicae adſcripti ſunt Viri doctrinae laude conſpicui, Wrisberg, Murray, Richter, et Beemann, quorum induſtria et ſolertia anatomicis et obſtetriciis, botanicis, chirurgicis, et oeconomicis hiſtoriaeque naturalis ſtudiis, ſocietas egregie proſpectum eſſe confidit. Secretarii munus, negotiorumque ſocietatis curam, nec non moderationem novorum librorum recenſus, qui ſub Societatis auſpiciis evulgantur, ſuſcepit V. Cel. Chr. Gottl. Heyne, cuius opera iam hic primus prodiit tomus, ornatus praefatione hiſtorica, quae ſequitur Dedicationem. S et P. Georgio III. M Brit. Regi, Protectori Societatis, factam, ex qua, quæ hactenus et poſtea referemus quaeque ad mutatam Societatis formam et habitum ſpectant, deſumſimus. Eius quoque in poſterum

Digitized by Google

rum cura fiet, ut vernis nundinis Lipsiensibus, quotannis novus Commentariorum tomus typis excusus prostet. Quin imo et patrio sermone alii conduntur Commentarii, quibus missae a familiaribus et amicis, aut a sodalibus oblatae scriptiones et Commentationes, evulgabuntur. Sed vix recreata Societas, acerbissime afflicta est Munchhusii, Conditoris ac Conservatoris Societatis, ex hac vita discessu, cuius memoriam quam sanctam piamque habeat habituraque sit, indicio est oratio, quae in consessu publico ad d. VIII. Dec. a Cl. Heynio habita est. Iusserat Societas, ut testatum esset posteritati de luctu et pietate, tomo huic eam subiungi; sed nimium protracta opera, nundinisque instantibus seponenda et in tomum sequentem reservanda fuit; et extat illa seorsim typis expressa. Intra breve tamen tempus refecti sunt sodalium animi, accepto laetissimo nuntio, de dato reip. academicae adeoque ipsi Societati Curatore, Viro Illustri, Burcardo Christiano de Behr, Regi M. Brit. in regendis terris Brunsuic. a sanctioribus consiliis, et Collegii fisco regio curando Praeses, quique nominis sui decore praescripto sodalitium illustrare non dedignatus est. Caeterum quaestiones physicas, historicas, philologicas et oeconomicas, in annos 69. 70. et 71. cum certis praemiis propositas, quae huic praefationi insertae sunt, ne diu nota praedicemus, aeque ac indicem exhibitarum Societati Commentationum, omittimus. Commentationes vero superiorum annorum, nondum sigillatim ab auctoribus suis editas, quotquot asservat Societas, in eo volumine, quod extra ordinem in lucem emittere constituit, publici iuris faci t; in quo simul omnia ea, quae ad fata et acta societatis spectant, copiosius exponentur.

Nunc ad Commentationes ipsas hoc tomo exhibitas accedimus, carum contenta breviter indicaturi. Inter Commentationes physicas et mathematicas, quae sectionem primam operis constituunt, primo loco est principis viri et veterani, *Alberti de Haller, Commentatio de Plantis pabulari-*

N 2 *bus*

bus Nuperorum. Poſt ingenioſum alloquium Cel. A. cauſſam adfert, cur ſibi hanc potiſſimum materiam ſumſerit tractandam. Animadvertit nimirum, diſſidium eſſe inter botanices cultores, eosque uti nominibus, quae proximus vicinorum vix intelligat: curandum vero eſſe, addit, ut cuique utili plantae nomen ſuum utrumque adfigatur, quo alia ab alia diſcerni, et intelligi poſſit quaenam coli debeant. Partem vero iſtius laboris eo lubentius, ait, ſe ſuſcepiſſe, quod ipſe per aliquot annos arator, ruſtica opera pari pene cum botanicae amore complexus ſit. Agit igitur §. 2. et 3. de modo ac ratione, quam pratorum cultores adhibuerunt, ut iis ſummam fertilitatem conciliarent. Laudat igitur irrigationis et laetaminis pratis illati vim pabulis augendis.

Hanc tamen rationem non ſatis ex ſententia, pro numero animalium, proceſſiſſe confirmat: cogitatum igitur eſſe de unica ſtirpe, quam ſolam arator coleret, quae vulgare gramen ſuperaret ſapore et vi altrice et pondere foeni, quod repetito ſecaretur. Pergit itaque §. 4. enarrare, duas fere plantarum claſſes adhuc homines coluiſſe, papilionaceam et gramineam; quarum vim et naturam, antequam ad uberiorem explicationem earum adgreditur, in univerſum deſcribit. Has enim ſibi inprimis explicandas ſumſit, earumque hiſtoriam tum botanicam, tum oeconomicam reddere ſtuduit omni cura adhibita, ut efficeret, quo facile et certo quisque poſſit intelligere, quae ſint plantae quas colere debeat. His promiſſis diligenter ſatisfaciens §§ 5 – 8. quatuor profert gramina: 1) *Phleum*, caule recto, ſpicis longiſſimis, calycibus ciliatis, oblique truncatis. 2) *Birdgraſs*, ſ. *Fowl Meadowgraſs*, de Poae genere. 3) *Lolium* radice perenni, locuſtis contiguis octifloris; et 4) *Frommental* Gallorum. De ſingulis docet, e quibus terris ſint allata; quae ſit eorum cultura; quibus terris maxime conveniant; quo tempore debeant ſeri; quibus animalibus placeant; quae ſit eorum natura et vis altrix. Et ne cum adfini-

Digitized by Google

adfinibus confundantur, sollicite figuram et formam describit, variaque eorum nomina adnotat. His expositis, §. 10. pergit alterius classis pabula, papilionacea, explicare. In hanc vero refert: 1) Medicam, caule erecto, foliis oblongis serratis, racemis erectis, siliquis planis iterato contortis. 2) Trifolium caule obliquo, foliis ovatis hirsutis, supremis coniugatis vaginis aristatis. 3) Trifolium caulibus subrectis, spicis depressis, siliquis dispermis. 4) Trifolium caule repente, spicis glabris, calycibus sericeis, ampullescentibus. 5) Trifolium spicis strepentibus, ovatis, densissimis, caulibus diffusis. 6) Medicam caule diffuso, capitulis hemisphaericis, siliculis reniformibus. 7) His adiungit plantam quandam, quae ad Pyrenaeorum montium pedes, sub nomine *Faronché* colitur. Semen in horto satum, dedit Trifolium spicis pilosis, calycibus patentibus, caule diffuso, foliis obcordatis, subrotundis. Verum videtur Auctori planta sumtus in alienis terris aegre restitutura. 8) Adnumeratur denique his Medica, sine dubio nondum artificiose culta, satis tamen celebris, foliis oblongis, serratis, siliquis falcatis, racemosis. Sed non videtur Auctori unquam bono cum eventu coli posse.

His quoque absolutis §. 18. incipit A. de Papilionaceis, quae sunt foliis pinnatis, disserere. Inter has eminet *Onobrychis*, caule erecto, ramoso, floribus spicatis. Alpina est planta, cultus facilis, et magni lucri. Nec minorem fructum praebiturum, putat §. 19. si coleretur Hedysarum, caule erecto, ramoso, foliis pinnatis, ovatis, siliquis pendulis, levissimis, venosis. Aliam quoque §. 20 refert speciem Hedysari, quae colitur in regno Neapolitano inter plantas coronarias. Planta, qua vix ulla lucrosior. Sed addubitare licet, an in alienis frigidioribus regionibus simili eventu coli possit. Inter Vicias §. 21. sylvaticam piso similem prae caeteris laudat. Magnam quoque spem habet de *Coronilla*, caule angulato, brachiato, foliis vigenis, aristatis, floribus

umbellatis. E contra §. 22. dissuadet cultum Pseudo Acaciae, a Cl. Viro Bohadsch peculiari libello commendatum, ob longiorem laborem in tali copia pabuli, quam equus aut vacca desiderat. Omnino vero ex classe papilionacea pinnata *Oribi*, caule ramoso, erecto, foliis ovato lanceolatis cultum commendat, et §. 23. alias laudat plantas quae foenus promittunt. Denique §§. 24 et 25. duas commendat plantas, vulgo leves aestimatas, *Alsinen* et *Pimpinellam* sanguisorbam; prioris utilitatem Flandria, posterioris Anglia iam expertam habet. Cavendum tamen esse, monet, ne quis Pimpinellae diversis speciebus decipiatur. Postremo loco ex plantas varii generis quasdam nominat, quae gratissimum pabulum praestare animantibus videntur.

Ex campis amoenissimis deducimur in vallem, ventis impetuosis sanitatique infestis obnoxiam, quare non diu in ea commorabimur. Altera scilicet quae sequitur *Commentatio Alberti de Haller* agit *de Vento Rupensi*. Rupes, (Roche) pagus est vallis modicae, quae a lacus Lemani fine orientali in Valesiam ducit. Ibi Cel. A. sex integris annis vitam agens, curiosius coepit indagare caussam venti quotidiani, quem popularis sermo communi consensu Rupensem vocat, et qui quotidie statis horis per aulam eius praefecturae magno impetu ferri vulgo creditur. Incredibile vero ei videbatur, posse eiusmodi ventum perpetuo statas horas tenere, et perinde cum pluvia tempestate dominari, uti cum serena viget. Itaque totis octodecim mensibus tempestates ventique ductum in adversaria retulit, et plurium mensium tabulas confecit easque Societati, ut rationes observationum suarum constarent, et Commentariis insererentur, exhibuit. Omnibus igitur quae ad rem facere possent sollicite observatis, diligenterque perpensis, caussas phaenomeni ex conditione vallis, quam statim ab initio descriptam dedit, et solis respectu vallis situ, eiusque vi calefactiva et legibus aequilibrii, explicat, argumentis idoneis confir-

confirmat, exemplisque illuſtrat. His adiicit quaedam de conditione et natura aeris Valeſiae: aeſtuoſiſſimum ibi eſſe aerem, et valde infeſtum ſanitati hominum; e contra ſegetes et vineas in ea pulcherrime matureſcere.

Tertia quae ſequitur Commentatio, eſt polemica. Pugnat enim *Abr. Gotth. Kaeſtner* V. Cel. *pro Io. Bernoullii Hydraulica, contra Dom. d'Alembert obiectiones.* Ex quo coeptum eſt, primum in Italia, poſt etiam in Gallia aquae motus ad menſuram revocare, omnes, qui ſtudiis ſuis hanc doctrinam illuſtrare conati ſunt, nihil aliud egerunt, quam ut perplurimis experimentis eam fulcire quidem non intermitterent, fundamenti autem ſatis firmi curam prorſus negligerent. Inter eos, qui leges motus fluidorum certius et generalius, quam experimenta illas docent, ratiociniis ex natura fluidi deductis eruere moliti ſunt, primus omnium Dan. Bernoullius, in egregio opere, Hydrodynamicam appellat, uſus eſt fundamento, licet indirecto, ſatis tamen tuto, principio nimirum conſervationis virium vivarum. At non defuerunt, qui contra illud pugnarent. Maluit igitur Ioan. Bernoullius motus fluidorum ex primis mechanicae adſertis, et de quibus inter omnes conveniret, deducere. Cum vero hanc theoriam in Hydraulica ſua quae reperitur in Operibus eius T. IV. n. 186. et in Comment. Acad. Imp. Sc. Petropol. T. IX. X. doctis proponeret, ecce illi magnus ille et illuſtris Adverſarius, Dom. d'Alembert, qui et in tractatu gallice Pariſiis 1744. edito, de Aequilibrio motuque fluidorum, aliam computandi inivit viam, et in Bernoullio multa reprehendit, nec non mediocribus e vitiis unum alterumve ineſſe eius Hydraulicae contendit. Hac deinde Ioan. Bernoullii theoria cum Ill Kaeſtnerus in Hydrodynamicae elementis, quae paucos ante annos germanice edidit, uti conſtituiſſet, fieri non potuit, quin d'Alembertii obiectiones curatius examinaret. Iis autem perſpectis, vidit, multa quidem eſſe in Bernoullii doctrina magis explicanda,

at

at nec emendanda, nec reprehendenda. Diutius ergo tum veritati, tum pietati deesse noluit, sed Bernouillium tueri, vanitatemque d' Alemberti ostendere constituit; in quo tamen officio non tam defensoris, quam fidi interpretis partes suscipere consultum duxit. Libere enim fatetur, in Hydraulica Bernoullii desiderari illum ordinem, illam perspicuitatem, illam ingenii elegantiam quibus in aliis omnibus operibus lectores tum facilius docere, tum delectare consueverit. Ut autem in omnibus Dom. d'Alembert perspicue respondere, eiusque obiectiones eo confidentius aggredi posset, summam theoriae Bernoullii praemittit, eamque maiori in luce collocare studet. Dilucidiorem itaque reddit sensum amborum Bernoullii adsertorum, quibus quidem omnis eius theoria innititur: de translatione virium motricium in stratum supremum, ad analogiam centri gravitatis; et de successivo incremento velocitatis aquae ad effluxum properantis. Deinde quaedam Dom. d'Alembert dubia examinat eorumque vim nullam esse ostendit. Praemonitis his absolutis, ad uberiorem explicationem theoriae B. accedit. Lectores tamen curiosiores ad Hydrodynamicam suam delegat. Ope Lemmatis propositi n. 1 – 6. veram rationem translationis Bernoullianae docet, et quomodo redeat haec translatio ad notas leges hydrostaticas; n. 7 – 17. in rationas vis acceleratricis et motricis inquirit; n. 18. pergit mutationem velocitatis eruere, et imagine apta, qua licet salva veritate animum ratiocinantem adiuvare, docet: quas mutationes subeant velocitates aquae in vase et in orificio per quod effluit; n. 35. Problematis, aequationem inter tempus et velocitatem reperire, Solutio datur, et n. 40. proposita exemplo addito illustrantur. N. 43. de gurgite usuque imaginis eius lectores admonens, quaedam praecipit; n. 44 – 48. methodum computandi exponit, vasi si tubus adiungatur. N. 49. definit, aqua mota, quantum premat fundum vasis? N. 52 – 55. quaedam indicat, in quibus dissentit a Bernouillio. N. 56. vim acceleratricem reperire docet; adii-

ciuntur-

Digitized by Google

ciunturque quaedam, quorum nihil habet Bernouillius. N. 57 – 96. motus aquae per canalee datos considerat, et n. 97 – 116 de pressione, aquae per canalem fluentis in latera canalis disputat. Denique n. 120 – 146. monita Alemberti sigillatim proponit, expendit, et ad illa respondet. Nobis vero satis erit referre, Dom. d'Alembert figmentorum, logomachiae, et fallaciarum accusari; multa quoque in eius theoria obscuriora et errori proxima inesse, quaedam etiam recte negari, ita tamen, ut appareat, illum principia Bernoullii non ita tenere, ut iudex de illis sedere possit.

Excipit hanc altera *Kaestneri* dissertatio, *de Differentia inter ascensiones rectas Solis mediam et veram in tempus convertenda.* Medius dies, quem appellant, interdum brevior, interdum longior est die vero; quantum differat, pendet a quantitate arcus aequatoris, qui exhibet discrimen inter ascensiones rectas solis veri et solis ficti. Quodsi enim quaeratur tempus, quod impendit hic arcus aequatoris, ut per meridianum transeat, colligitur, quanto tempore sol fictus meridianum ingrediatur ante vel post solem verum, hoc est, quantum differat meridies medius a vero. Atque hic dubium natum est A. ad quod spectat omnis dissertatio, cuiusque summa haec est. Tempus, quo arcus hic aequatoris meridianum transit, antiquiores Astronomi sic computarunt, ac si esset tempus primi mobilis, cuius hora respondet gradibus XV. Itaque, si verbi caussa solis ficti ascensio recta superet ascensionem rectam solis veri gradibus quatuor, quod circa diem sextam Novembris contingit, ex eorum calculo meridies medius evenit post verum elapsis minutis primis horae XVI. At vero Dom. de la Caille in Solar. Tab. XIV. not. 2. animadvertit, nullum esse locum tempori primi mobilis, ubi de comparatione temporis veri et medii agatur. Itaque in exemplo supra prolato quaesivit, quot partibus temporis medii opus habeat arcus ille quatuor

tuor graduum, ut per meridianum transeat, et sic meridiem medium tribus fere secundis minus a vera removit, quam antiquior calculus fecerat. Verum, quanquam A. noster in eo adsentitur D. de la Caille, arcum quatuor graduum transire meridianum temporis medii minutis XV, et secundis circiter LVII; hinc tamen non concludi debere, tanto tempore post meridiem verum meridiem ingredi solem fictum; contingeret enim id, si Sol ille fixae ad modum haereret in eo puncto coeli, in quo est momento meridiei verae, soloque sphaerae motu deferretur. Iam vero ipse perpetuo versus orientem motu proprio progreditur, itaque dum ad meridianum appellit punctum illud, in quo erat momento meridiei verae, ipse Sol fictus a meridiano distat versus orientem, et paulo tardius illo puncto meridianum ingreditur. Ex his autem conficitur, emendationem dom. de la Caille non recte se habere posse, tabulasque eius correctione quadam indigere. Et dubitavit iam dom. de la Lande de iusta ratione emendationis Dom. de la Caille, caussasque exposuit in Astronom. Paris. 1764. edita, §. 669; demonstrationem vero addere illi non placuit. Cum autem A. noster, sententiam dom. de la Lande non ita planam intelligeret, ut nullus dubitationi relinquatur sit locus, haud supervacuum duxit, universali argumento eam confirmare, et extra omnem dubitationem ponere. In quo negotio simul calculi compendia, inprimis quae a logarithmis pendent, aliaque signa apta adhibuit, quorum ope tum expeditior, tum etiam magis perspicua redditur ratio. Rem vero omnem, problematis propositi solutione concludit et absoluit. Quaerit nempe, si pro data meridie vera, detur in partibus circuli differentia inter ascensiones rectas solis veri, et solis medii, eandem differentiam in tempore medio. Ad inveniendum autem tempus, quo meridies media insequitur veram, hanc scripsit regulam: momento meridiei veri detur in gradibus expressus arcus, quo adscensio recta solis ficti superat adscensionem rectam solis veri: numerus graduum arcui illi respondens dividatur

dividatur per 15. habetur numerus horarum mediarum, quibus meridies media sequitur veram. Ultimo tandem loco exhibet regulam, secundum quam correctio tabularum dom. de la Caille commode, ope logarithmorum, confici queat. Porro subiunctum est huic commentationi *Additamentum de computando transitu Astrorum per meridianum.* Adhibuit, ut iam diximus, Cel. A. in priori commentatione calculi compendia, quorum ope non solum animi attentio in computando sublevatur, sed etiam errores facilius evitantur, et ratio ipsa sine prolixitate magis perspicua redditur. Eius compendii igitur ut magis constaret ratio, exhibere voluit specimen, non omnino a priori negotio alienum. Delegit nimirum sequens problema: Pro data meridie vera dentur adscensiones rectae solis et planetae alicuius; dentur praeterea incrementa adscensionum illarum inter datam meridiem et proximam: quaeritur momentum, quo transit Planeta per meridianum. Praeter regulam, quam absoluta solutionis serie ita expressam dedit: differentia adscensionum rectarum ducatur in 24; Productum dividatur per summam peripheriae et incrementi diurni adscensionis rectae solis, imminutam incremento diurno adscensionis rectae planetae, quotiens est numerus horarum verarum qui quaeritur; pluribus exemplis prolatis usum adhibitorum signorum, inprimis, quam facilis et brevis calculus ope logarithmorum evadat, commonstravit, et nonnulla alia adiunxit, quae computi rationem commodiorem reddere possint.

In Commentatione quae sequitur exhibentur ab Illust. *Kaestnero ad motum solis circa axem suum computandum formulae analyticae.* Quaestio illa, de solis revolutione ex macularum phaenomenis definienda, ob rerum simul disceptandarum multitudinem, inter difficiliores Astronomiæ relata est. Hinc doctissimi, et harum rerum peritissimi viri, summo studio laborarunt, ut eam magis magisque perspicuam redderent,

rent, obſervationibus ſuis illuſtrarent, cauſſasque difficultatum removerent. Unus e primis *Schemerus* multum deſudavit in ea conſtituenda, ſed parum proficere poterat vis ingenii eius, quod Syſtemate Copernicano uti prohibebatur. Felicius deinde in iſto negotio verſatus eſt *Gallilaeus*, in Syſtemate cosmico, cuius ideas evolvit, et quomodo theoria revolutionis ſolis ex obſervationibus condi queat, oſtendit *Chr. Aug. Hauſen*, in diſſertatione academica de Theoria motus ſolis circa proprium axem, anno 1726. exhibita. Poſt eum duo Aſtronomi Galli, Dominici Caſſini filius et dom. de l' Isle, doctrinam et operam ſuam huic rei impenderunt. Uſi vero ſunt, ut appellant, methodo graphica, quae, niſi ſumma et pene immenſa cura in deſcribendis et menſurandis figuris adhibetur, multis obnoxia eſt vitiis. Cogitarunt itaque noſtra aetate Viri ſummi de calculi in hac re uſu quo omnia tutius et accuratius perfici poſſunt Spem fecit quoque dom. de la Lande in Aſtron. art. 2516. methodi algebraicae, a dom. de Silvabellae compoſitae, cuius vero nihil adhuc Germania vidit. Unde denique factum eſt, ut auctor noſter hunc laborem ſibi imponeret, animumque ad formularum eruendarum negotium applicaret, in quo quidem, quomodo verſatus ſit, paucis dicemus.

Primo, ut caveret ſibi ab erroribus, qui ex proprio terrae motu irrepere potuiſſent, uſus eſt in determinandis macularum locis longitudine et latitudine heliocentrica; deinde omne adhibuit ſtudium, ut calculi formam quam fieri poteſt commodiſſimam redderet. Oſtendit itaque locorum heliocentricorum, ſi tria habeantur, ex tribus eiusdem maculae obſervationibus, dari tranſiens per illa tria puncta planum circuli, quem macula in ſuperficie ſolis deſcribit, et hinc poſitionem axis, circa quem oportet ſolem revolvi, ut hic circulus deſcribatur, et denique tempus revolutionis. Haec vero ut commode ad calculum revocaret, tria inveſtiganda ſibi propoſuit: Angulum, quo axis ſolis ad eclipticae planum

planum inclinatur; situm rectae, in qua planum eclipticae secatur, a plano axi solis per centrum recto, aequatorem solarem appellat; denique maculae, quae observatur, ab uno polorum solis distantiam. Formulas obtinere illi contigit valde simplices, et quarum calculus logarithmis adhibitis tutus aeque fiat ac facilis, ut non credat, post illas quempiam rediturum ad constructiones illas geometricas. Applicavit quoque illas formulas observationibus, quibus dom. de l'Isle ad suam methodum usus est, ut pateret, quanto commodius et accuratius omnia computando, quam in figuris descriptis mensurando, perficerentur. Sic aequatoris solaris positionem novem fere gradibus computavit, diversam ab illa quam dom. de l' Isle metitus erat. Vitium tamen non observationum, sed constructionis id esse, ex eo colligit, quod in reliquis satis inter se convenirent. Inseruit dom. de la Lande Astronomiae suae art 2530, methodum P Boscovich, resolutionibus plurium triangulorum absolvendam, sed operosissimam, et ambiguitatibus quas monet dom. de la Lande, obnoxiam, qua certe nemo utatur, qui simplicem formularum auctoris nostri rationem cognoverit.

Restat ultima *Kaestneri* Commentatio, quae est *Additio ad Theoriam suam Proiectionis Stereographicae horizontalis, Coordinatarum proiectionis formulas calculo aptiores exhibens.* Edidit Cel. Auctor Theoriam proiectionis Stereographicae horizontalis, quae reperitur in dissertationibus mathematicis et physicis, quas Soc. Reg. Sc. Goetting. annis 1756–1766. exhibuit, num XII. Prodierunt Altenburgi ex officina Richteria, 1771. In illo scripto id potissimum egit, ut meridianorum parallelorum, et reliquorum Sphaerae circulorum proiectiones describere doceret; sed tempus et animus deerat, ad illas coordinatarum proiectionis formulas, quas eius Scripti §§. 23. 24. exhibent, calculo, quo ipsae illae coordinatae reperiri possent, aptiores reddendas. Illas tamen formulas, prout repererat, licet

minus commode §. 95. adiecit. Cum vero alia occasione de hac re cogitaret, obtulit se illi methodus, formulas, his non multum dissimiles, facilioris calculo aptandi. Hanc methodum itaque cum doctis communicare voluit, confidens, et supplementi loco ad proiectionem stereographicam futuram, et alias non inutilem. Quemadmodum etiam in fine eleganter ostendit, qua ratione methodus haec etiam ad alia possit referri.

Sequitur *M. Alb. Lud. Frid. Meisteri, de Genesi figurarum planarum, et inde pendentibus earum affectionibus,* dissertatio. Ex praefatione qua ornata est, summam Commentationis decerptam dabimus. Ideam figurae planae ex motu lineae in aliquo plano concipere licet. In tractatione elementaris geometriae raro omnes figurarum planarum species, etsi, quae de figuris praecipi solent, non ex aliqua specie, verum ex toto genere definiantur, in censum referre doctores consueverunt. Describendis quidem unius speciei figuris sufficit motus parallelus lineae rectae, modo crescentis, modo decrescentis, interdum in plures partes abeuntis, nisi sigillatim evanuerint, mox iterum coalituras. Non complectitur vero haec species longe diversae indolis figuras, utpote plane inhabiles constituendis naturalium corporum limitibus, quae motu rectae viam retro carpentis, vel in spatiorum partes, quas iam emensa esset, per ambages iterum delatae, aut ita decrescentis, ut ex affirmativo valore transeat in negativum, generari possunt. Quodsi enim motum rectae, figuram describentis, nullis adstringamus legibus, nisi ut in eodem plano fiat, decrementa autem ipsius rectae, et partium in illa assumtarum, eo sensu accipiamus, quo quantitates, quarum positivus valor evanuit, porro decrescere in negativum dicuntur; figurae orientur, quarum longe dispar est natura, comparandi motus, computus et dividendi ratio. Haec cum in scholis iam geometricis animo Auctoris identidem obversarentur, tandem effecerunt, ut oculos

oculos attentius defigeret in nonnullas figurarum ſpecies, quas ſublimior geometria, ad declarandam et quaſi ob oculos ponendam calculorum naturam, analyſi ſubminiſtrat; et ut circumſpiceret, quae inde in uſus elementaris geometriae depromeret. Nam depromi quaedam poſſe vix dubitabat, qui recordaretur, iamdum uſurpari magno cum fructu circulum aliquoties, quin infinities, in ſe redeuntem; rectas, quae planum ſuum in oppoſitas plagas dirimant; et quae ſunt ſimilia. Inde nata eſt commentatio, in qua primum hoc egit, ut primarias aliquot elementaris geometriae propoſitiones cum univerſali figurae planae idea conferret, ſpectaretque, numquid illis mutationis allaturae ſint figurae ex partibus ſive oppoſitis, ſive multiplicibus conflatae, verbo, figurae complicatae. Huc pertinet inter caetera, theorema *Maupertuiſii*, in Comment. Acad. Sc. Pariſ. anni 1727. de figuris, ex revolutione regularium ſecundum lineam rectam facta, oriundis, quod de complicatis etiam figuris verum eſſe, Cl. A. deprehendit. Deinde in naturam huius ſpeciei porro inquirendo, nova quaedam figurarum attributa elicere conatus eſt. Poſtremo ut ſpecimine aliquo oſtenderet, conſiderationem harum figurarum neque in nexu cum reliquis veritatibus ſterilem, neque reſpectu ad ipſam geometriae praxin habito otioſam eſſe, concinavit inde demonſtrationem Mayeriani problematis, de geometrica figurarum in triangula transfiguratione. Quo facilius autem methodum pro omnibus figuris probaret, et conſtructionem in arctius cogeret, ut ex ſpatio et conditione loci, qui deſcriptionibus concedatur, ordinari poſſit, primum Problema ipſum in ſenſu univerſali propoſuit, nullis limitatum conditionibus, niſi quae ſua natura ſolutionem impoſſibilem reddant; ita ut omnes omnino figuras planas rectilineas complectatur. Conſtructionem porro ita inſtituit, ut vertici quodcunque plani punctum, baſi quicunque ſitus, hinc triangulo quaelibet altitudo praefiniatur. His ita comparatis, confidit, ſe non modo limites problematis aliquantum propagaſſe, ſed etiam

etiam terminis multo arctioribus conclusisse, quibus continentur, quae de figurarum reductione primo Wilkenius, ab ore docentis Mayeri excepta, evulgavit, et deinde Boehmius in scripta sua retulit. Etenim non de eo laborari contendit, ut datae figurae area qualicunque methodo per triangulum exhibeatur, verum hoc quaeri, ut id fiat methodo quam maxime plana, facili, brevi, in omnibus figuris prorsus eadem, quae nulla meditatione, nullo monitore egeat.

Subsequitur hanc altera ***M. Meisteri Commentatio, de Aberratione Attritus a lege inertiae.*** Attritum ab asperitate superficierum oriri, omni dubio carere videtur. Minuitur enim effectus politura. Tria vero simul in corporum attritu fieri, partium eminentium nempe, et propter mutuum implexum impingentium, aut inflexionem, aut fractionem, aut denique sublevando retractionem, et ratione intelligitur, et experimentis comprobatum est. Attamen calculo, qui in effectu frictionis, secundum velocitates corporum aestimando, usi sunt, ad unam tantum ex his tribus caussam respexerunt. Ita frictionem omnem, in firmiori saltem materia, solam per vim, quae ad sublevandas ex lacunis, mox in alias descensuras, partes eminentas requiritur, superari aut tolli contendunt. Habito igitur respectu ad pondus corporis, et ad leges plani inclinati, angulorum salebrarum magnitudinem definiunt, et deinde ad modum, quem motus velocitas frictioni factura sit, iudicio procedunt. Ipse Eulerus, calculum suum adhuc illorum experimentis et conclusionibus accomodare non dubitavit. Modus tamen ab eo constitutus, Auctori nostro magis acute excogitatus, quam veritati consentaneus videtur. Plures quoque, easque graves refert caussas, quibus adductus calculo eius haud assentiri possit. Qui vero ex tribus istis impendimentorum generibus, natura ita iubente, compositam frictionem calculo subiicere tentant, his labor, propter obstaculorum multitudinem, et rerum simul disceptandarum subtilitatem

Digitized by Google

tem ita crescit, ut verendum sit, ne nunquam superetur. Igitur viri ingeniosissimi de hypothesi aliqua cogitarunt, quae nudo et apto experimento niteretur, neque illis in constituendo frictionis genere et modo litibus sese immisceret, et qua calculo succurri posset. Coniuncta ergo est vi inertiae frictio, et quasi in augmentum inertiae cessit, ac secundum easdem, quibus haec, leges, motui, pro diverso celeritatis gradu resistere creditur. Legem aliquam generaliorem, qua frictio censeatur, admittendam esse, auctor noster facile concedit, nec reiicit hanc promulgatam, cum simplicitatis et facilitatis commendationem habeat; verum quaerit et dubitat, an natura ita iubente sit lata. Dubia, quae ei ex sola meditatione subnata sunt, ita fere exponit: 1) Verisimile non est, impedimenta diversi plane generis, in eandem quasi legis formulam conspirare. 2) Difficile est rationem aliquam reperire, unde fieret, ut quae ab initio tam diversa sequuntur, (mensuram virium, quibus frictionis vis et materiae inertia superatur, innuit,) paululum invalescente motu eodem iure uterentur. 3) Materia, ex quo moveri coepit, eadem velocitate progredi pergit, etsi caussa motus cesset; quae si pergat sollicitare materiam, hoc ipso motus velocitatem auget. At frictionis dispar est ratio. Inflexa enim vel abrupta in aspera superficie prima offensacula non hoc efficiunt, ut reliqua inflectantur vel abrumpantur. Neque his intercedit auctor, qui frictionem puram in materia summe elastica excipiunt. Concipi enim posse, ait, vim primam compensari per reverberationem et repulsum celeritatis, qua decidat corpus; hinc adminicula vecturae in primo ascensu in subsidium vocata, iam mitti posse, aut si porro adessent, in celeritatis incrementa profutura esse. 4) Denique addit: ex hoc velocitatis incremento consequi, ut corpus tandem valles transsiliat.

Inde fieri posse putat, ut frictio velocitatis incrementa vel promtius admittat, quam ipsa materiae inertia. His

ſubiungit porro dubia, quae ab experimentis ei oblata ſunt; et primo quidem contra experimenta quaedam rationibus pugnat, deinde contra quorundam argumenta experimentis. 1) Primo loco itaque monet, in nota iſta et ſimpliciſſima methodo frictionis, vires in ipſo motu experiendi, prout quidem inſtitui ſoleat experimentum, motum parallelum turbari. Frictionis enim vim in baſi reſidere, et ex hac tantum parte appendicem fieri inertiae. Filum igitur infra centrum gravitatis applicari debere, ex puncto aliquo quod inertiam inter et frictionem momentorum aequilibrium conſtituat; hoc eſt, in eo puncto, quod niſi prius cognita frictionis menſura, et ad inertiae momentum ratione definiri poſſit. 2) Incommoda recenſet, quibus incerta redditur eorum methodus, qui in plano inclinato per deſcenſum corporis frictionis vires accuratius definire tentarunt. Art. 3 et 4. de machinis tribometricis Muſchenbroeckii et Deſaguilerii, in hunc uſum excogitatis, diſſerit, et tum praeſtantiam, tum vitia earum arguit. Art. 5. de experimentis, quae quidem non attritus, ſed ſuperpondii potius aeſtimandi cauſſa inſtituta ſunt, diſputat, et quae ad frictionis vires exinde definiendas cogi poſſint in uſum ſuum convertit.

Poſtremo experimentorum ſuorum rationes reddit. Quae cum unice dirigeret ad arguendum, ſi quis inter frictionis et inertiae leges intercedat, diſſenſum, omnia vitare conſilii fuit, quae ſcrupulum iniicere ſolent inquirentibus in ipſam legem, et in frictionis valorem vel abſolutum, vel relatum ad baſis magnitudinem et figuram, ad corporis pondus, et materiae peculiarem indolem. Itaque conſtruxit quatuor machinas indole diverſas, ſed omnes ſatis ſimplices, quarum motum obſervavit, et ad vibrationes horologii exegit. Deſcriptionem harum machinarum ab auctore traditam huc transſcribere haud noſtri eſt conſilii; lubet potius, experimentorum, quorum rationem Vir ill. pluribus

in

in hunc finem tabulis confectis exhibet, quaeque ex comparatione earum deducit corollaria, tanquam summam totius Commentationis addere. Sunt vero haec: non sequi videtur attritus legem inertiae, nisi, quod raro fiet, aliae caussae concurrant, quae illum in hunc quasi ordinem cogant. Nonnunquam motui accelerando magis favet attritus, quam inertia; saepius ab ipsa motus velocitate difficilior fit. Prius obtinere videtur in metallis, saltim durioribus, vel speciatim in ferro, cui atteritur aurichalcum. Posterius contingit in materia striata, scissili, ex ramentis et foliis, intercedente aliquo glutine, compacta, ut ligni, filorum, cornuum. Frictio pura, seu mechanica, quae fingitur, ut a sola plani inclinati actione pendeat, inertiam imitari videtur; mixta, seu physica, ita in diversum niti, ut vel asperior sit, vel mitior quam pura, prout materia vel cedendo sensim exaequat et ascensui faciliores reddit superficierum clivos, vel spinis quoque excitatis exasperat.

Progredimur nunc ad alteram Sectionem, quae Commentationes historicas et philologicas continet. Primo loco est *Io. Dav. Michaelis dissertatio de Judaeis, Salomonis tempore, Architecturae parum peritis*, quam per occasionem controversiae, Voltarium inter et quosdam coetui Christiano addictos nuper exortae, conscripsit. Hi enim indigne ferentes dictum, quod ille, ut solet, infesto revelationi animo effuderat, templum Salomonis, aliis collatum templis, valde deprimi nec se recordari alius ex antiquitate templi nobilioris, aut aedificii publici, tam mediocri mensura: omni studio annisi sunt, illud, tanquam argumentum iniquum et doctrinae Christianae periculosum, infringere, et amplitudinem pulchritudinemque illius aedificii quibuscunque argumentis defendere. Verum nostro iudicio, quamvis pietate et studio rei Christianae tuendae nulli cedit, res ea pro ratione istorum temporum, longe secus habet. Lubenter enim Voltario concedimus, templum istud, fastu, ornatu, et pulchritudine,

 Graecis

Graecis, Romanis, aut aliorum populorum templis, nequaquam aequiparari posse; verum illam ipsam mediocritatem insigne esse summae rerum antiquitatis argumentum, concludit, de qua merito addubitaremus, si tale templum, quale Augustus condere potuisset, iam tunc conditum traderetur. Historici autem Iudaeorum, quod serio magnitudinem et ornatum templi admirantur, id indicio esse, ipsos quoque eo tempore vixisse, quod augustioris aedificii exemplum nondum viderat. Nec id mirum cuiquam videri posse, qui recordari velit, istud templum extructum fuisse antiquissimis temporibus, et a populo eo tempore rudi adhuc et imperito Architecturae Id quod pluribus docere, et multis e tota narratione historica deductis argumentis A. comprobare studuit: Ingens auri et argenti profusio, sed praeter cherubicas figuras parietibus insculptas parum ornatus deprehenditur: Columnarum, quibus alia templa serioris aevi maxime superbiunt, duae tantum laudantur, quarum ornatus quam copiosissime et diligentissime, tanquam res nova et admirabilis, describitur. Opus habuit Salomon aedificandi peritos a Tyri rege petere. Ne Tyrios quidem eo tempore ita aedificandi peritos fuisse, verisimile esse, ut eorum Architectura comparari cum graeca aut romana queat; quamvis e fragmentis Dii et Menandri Ephesii, a Josepho contra Apionem lib. I. §. 17, 18 edit. Haverc. servatis, appareat, Hiramum regem aedificandi studiosiorem fuisse. Denique hanc sententiam, variis e conditione populi per tot annos servili ductis argumentis, et ratione vitae rusticae comprobat, ambiguaque ad Davidis usque tempora regni fortuna confirmat.

Hanc excipit dissertationem *Christ. Guilielmi Franc. Walchii Decreti Nicaeni de Paschate Explicatio*, in qua omnem ille diligentiam et studium adhibuit, ut, quid de Paschate celebrando a patribus Nicaenis vere constitutum fuerit, ex historiarum monimentis iusta cura erueret et investigaret.

Digitized by Google

ret. Conſtat enim, et a multis viris doctis iam ſaepe obſervatum fuit, multa, pro legibus Nicaenis, a ſcriptoribus mediae et recentioris aetatis, inprimisque faſtorum magiſtris, habita et propoſita fuiſſe, quorum modo dubia, modo nulla eſt memoria in actis Concilii Nicaeni librisque hiſtoricorum. Quare viſum fuit V. Cl. ad fontes redire, ex quibus ſolis omnia, quae Nicaeae de Paſchate ſint conſtituta, recte hauriri oportet. In quo quidem negotio ita verſatus eſt, ut decreta Concilii vera, ab his quae modo recta certaque, modo probabili coniectura, eorum conſectaria eſſe dicuntur, aut per errorem illis adnumeranda finguntur, adcurate diſcernerentur. Monimentorum igitur, quibus de Paſchate Decreti continetur memoria, triplex conſtituit genus. Primum eſt tabularum quaſi publicarum, quae caetera exiſtimatione et auctoritate vincunt. In his principem locum tenet epiſtola illa Synodica, quam Nicaeni ad Aegyptios dederunt, Socrates autem H. E. I. c. 9. Theodoretus, H. E. I. c. 9. et Gelaſius Cyzicenus hiſtor. Conc. Nic. lib. II. c. 34. apud Manſium Tom. II. p. 913. ſervarunt ab interitu. Secundo loco eſt Epiſtola Conſtantini, quam ad eccleſias earumque praeſules, qui a Concilio Nicaeno abfuerant, de rebus ibi actis et conſtitutis, amandavit. Recitavit eam Euſebius in vita Conſtant. lib. III. c 17. Theodoretus H. E. I. c. 20. et Gelaſius l. c. cap. 36. Tertio loco commemorat nobilem illum de Paſchate canonem in concilio Antiocheno anno CCCXXXXI cui multi interfuerunt. qui Nicaeae etiam praeſentes fuerant, promulgatum. Reperitur apud Manſium, Tom. II. p. 1307. Altera claſſis hiſtoricorum aliorumque ſcriptorum teſtimonia comprehendit, quibus de his rebus fides haberi poteſt. Huc pertinent: Euſebii locus in vita Conſtantini lib. III. c. 5. coll. c. 14. Porro Athanaſii teſtimonia in Epiſtola ad Afros, §. 2. Tom. I Oper. part. 2. edit. Montefalc. et de Synodis Arim. et Seleuc. §. 5. eod. Tomo. Denique Sozomeni loca in H. E. lib. I. cap. 16. et 21. Tertium tandem genus

 ſcripto-

ſcriptores modo ob aetatem, modo ob alias cauſſas, iam citatis fide inferiores nec tamen ſpernendos continet. Huc refert A. primo difficillimum Ambroſii locum, Epiſt. XXIII. ad Epiſcopos Aemiliae §. 1. Tom. II. Oper. edit. Benedict. Deinde Epiphanii de Audianis narrationem, Haeres. LXX. §. 10. ſed et Cyrillum Alexandrinum in prologo §. 2. apud Bucherium de doctr. temp. p. 481. Denique Leonis Magni verba in Epiſt. XCIV. ad Marcian. §. 1. ex ordine Quesnelli. Ex his igitur propoſitis atque inter ſe collatis antiquitatis Chriſtianae documentis definit, quaenam Nicaenis de die, quo reſuſcitati Chriſti memoriam anniverſaria pietate colimus, fuerit ſententia. Nullum Nicaenos condidiſſe canonem poenae ſanctione munitum, nec Conſtantinum tunc legem civilem tuliſſe, ſed Patres inter ſe conveniſſe, ut συμφωνια aut ἑνωσις inter eccleſias diſſidentes inſtauraretur. Tria vero decreti de Paſchate eſſe capita: Primum voluiſſe patres Nicaenos, ſacra Paſchatis ab omnibus uno eodemque tempore, uno eodemque die celebrari; deinde mandaſſe, ut ne cum Judaeis eodem die perageretur; denique, ut eodem die haec ſacra in omnibus provinciis fierent, quem iſtis ab antiquiſſimo tempore Romani, Alexandrini, aliique occidentis populi, et nonnulli orientales, conſecrare conſueviſſent. Quia vero hae regulae, praeſertim ſecunda et tertia, noſtra certe aetate obſcurae ſunt et involutae, adhibitae ſunt explanationes. Explicat igitur A. qualis fuerit illa Judaeorum imitatio, quove die Romani, Alexandrini, caeteri, Paſcha ante concilium Nicaenum peregerint, et in diſſenſus cauſſam, et, quae ex illo nata fuit, Paſchalis ritus diſcrepantiam, inquirit. Quapropter iterum veterum teſtimonia proponit, atque ex Euſebii diſputatione H. E. V. c. 23. et Polycratis Epheſini Ep. ad Victorem Romanum, Epiſcoporum Palaeſtinae, Irenaei ad Victorem epiſtolarum fragmentis apud eundem cap. 24. et 25. nec non Epiphanii Haereſ. L. loco, varias inter partes diſſentientes controverſias eruit, ac tria illa decreti capita denuo

illuſtrat,

Digitized by Google

illustrat, novisque testimoniis confirmat. Primum scilicet caveri voluisse patres, ne cum Judaeis Pascha celebretur, hoc est, ne memoriae passionis et mortis Christi luna XIV. resurrectionis XVI, in quemcunque hebdomadis diem inciderint, adstringantur; deinde cum Romanis Alexandrinisque et aliis, unum eumdemque diem resurrectionis Christi memoriae consecrari, hoc est, nonnisi die Dominico eamdem religiose celebrari. Atque haec fere in priori particula exposita sunt. In *altera*, quae hanc sequitur, *eiusdem argumenti commentatione* pergit A. Cel. de dissidiis veterum Christianorum in Paschate celebrando disserere, quae Nicaenam Synodum antecesserunt, et praecipua, quae ad accuratam et perspicuam rerum actarum cognitionem pertinent, e monimentis repetere. Deinde eorundem lites Paschales, post Concil. Nicaenum seculo quarto et quinto, ad Dionysii Exigui usque tempora, exortas, ita persequitur, ut quaenam de re Paschali quaestiones ista aetate dubiae fuerint ac controversae, hoc est, nulla Nicaenorum lege decisae atque expeditae clarissime pateat: tum ex his invicem secum comparatis colligit argumenta, quibus effici queat, idem Nicaenum concilium decreta de cyclo, novilunio, plenilunio aequinoctio, terminis Paschalibus, quae vel nostra aetate a multis creduntur ab eo facta fuisse, neutiquam fecisse: caussas denique et origines erronearum opinionum sedulo investigat, et quantum fieri potuit probabiliter explicat. Postremo loco adiectum est Additamentum, quod brevem continet responsionem ad dubia quaedam, a. V. V. Chr. Fr. Schott, Theol. et Phil. Tubingensi, binis libellis proposita, quorum utrique haec est inscriptio: Dissertatio historico theologica, qua momentum constitutionis Nicaeae de tempore celebrandi Paschatis expenditur. Dubiis vero obiectis non eam inesse vim A. confirmat, ut ad mutandam sententiam commoveri possit. Itaque quaedam Commentationis suae loca, vel non satis accurate et plane dicta, vel minus recte intellecta, ita circum-

scripsit

ſcripſit et expreſſit, ut nihil ambiguitatis relinqueretur, et ſententia eius contra omnes dubitationes magis firmaretur.

Quae ſequitur *Chr. Gottl. Heynii Commentatio, ſuper Caſtoris Epochis Populorum* θαλαττοκρατησάντων, *h. e. qui imperium maris tenuiſſe dicuntur*, conſcripta eſt. Nomina populorum, qui mare obtinuiſſe dicuntur, ſub annis ſuis in Chronico Euſebiano notata, unde in chronographiam ſuam tranſtulit Georgius Taraſii Syncellus, et in latina interpretatione Hieronymus expreſſit, e Caſtore petita fuiſſe, ex eo ſatis probabile ſit, quod in aliis eum ſecutus eſt Euſebius, ſive is, quem exſcripſit, Julius Africanus, quodque nomine eum auctorem laudat eorum, quas in Aſſyricis, Atticis, et de regno Sicyonio tradit. Et ſcripſerat Caſtor, auctore Suida, ἀναγραφὴν τῶν θαλαττοκρατησάντων ἐν βιβλίοις β΄. Hunc recenſum repetere quidem, et accurate, quantum licuit, conſtituere ſummis viris curae cordique fuit, Scaligero, Salmaſio, Vallarſio, Caſaubono ad Polyb. I. c. 20. et Seldeno de mari clauſo I. c. 10. at nullus tamen ſingulari ſtudio iſtarum epocharum rationem proſequutus eſt. Itaque noſter, nonnullam veteri hiſtoriae lucem in tam memorabili et inſigni argumento affundi poſſe credens, ad eas illuſtrandas animum advertit, inque id praecipue intendit, an forte in fabulis et hiſtoricis, quae ad easdem aetates ſpectant, comparandis, cum his epochis, poſſit aliquid extricari, quo et hae imperii maritimi epochae, et ex his illi mythi mutuam aliquam lucem acciperent. Quae itaque illi in hoc ſtudio obſervata ſunt, quaeque cum aliqua probabilitate dici poſſe videbantur, ea in hac commentatione in medium protulit, inque tribus prioribus, Lydis ſcilicet, qui ei Cares vel Leleges ſunt, Pelaſgis, et Thracibus, h. e. Thynis, qui Bythiniam colonis frequentarunt, illuſtrandis, experiri voluit, operaene pretium ſit, in caeteris epochis dilucidandis operam conſumere. Epimetri loco adiecta ſunt, tanquam li-

neae

neae primae alicuius el boratioris diſputationis, fundamenta de variis ſtirpe tamen communi ortis, ac diverſis admodum temporibus ſibi in terrarum Europae rum Thraciae, Macedoniae, et Graeciae occupatione ſuccedentibus populis; cuius argumenti rationem ei, comparatis inter ſe antiquioribus Scriptoribus, eorumque fragmentis, Strabone inprimis, maturior aliqua et exactior rerum aeſtimatio ſuggeſſit.

Huic adnexae ſunt *duae* aliae *eiusdem Autoris* Commentationes, *ſuper veterum ebore eburneisque ſignis*. Ac in priori quidem de materia differens, cauſſas et rationes varii veterum iudicii, honoris atque dignationis, contemtus et vilitatis eboris, exigit, inquiritque qui factum ſit, ut ebori modo tribueretur, plurimum, modo pretium detraherentur. Atque ita eboris tanquam fata variaeque apud varias gentes fortunae cauſſas exponit; in altera autem formam ſpectans, veterum artificium, quale ac quantum illud in eburneis ſignis, maioribus inprimis, fuerit, laudat, artisque veſtigia ab antiquo inde aevo ſublegens, a quibus initiis ad quod faſtigium ipſa ars progreſſa ſit, demonſtrat; quibus interferuntur nonnulla alia, quae ad eboris naturam, mercatum, curam ac conſervationem pertinent.

Reſtat ut de *Ioan. Phil. Murray* binis Commentationibus breviter dicamus, quae *deſcriptionem terrarum ſeptemtrionalium Saeculis IX. X. et XI. ex idea Adami Bremenſis, aliorumque Scriptorum Germanicorum iſtius aevi*, continent. Secutus eſt C. A. uti ex inſcriptione patet, praecipue Adamum Saeculi XI Scriptorem, ex cuius hiſtoria eccleſiaſtica, et libello de ſitu Daniae, quae ad cognitionem geographicam iſtarum terrarum facerent, diligentiſſime collegit, et in meliorem ordinem redegit, tabulam quaſi conditurus ſyſtematicam. Cum his porro, quae ab aliis Scriptoribus germanicis, Adamo vel tempore ſupparibus, vel antiquioribus ipſo, annotata erant, contulit, atque ex eorum ſcriptis notitiam, quam de regionibus illis eo tempore habuerint Germani

mani nostri, conquisivit. Deinde ex scriptoribus indigenis quae peti possunt subsidia, ad eorum observationes applicavit, ut exinde absoluti quid, quantum fieri potest efficeret. Priusquam vero ad ipsam rei tractationem accedat, de fide, auctoritate et subsidiis Adami, atque de iis, qui in conscribendis historiis eum sequuti sunt, breviter disserit, habitumque annorum proponit. In notis autem de codicibus Adami quaedam tradit, eorumque laudat nomina, qui diligentiam doctrinamque suam ad emendanda et illustranda eius scripta contulerunt, Rem ipsam in quinque sectiones distributam, quarum duae priores primam, reliquae posteriorem constituunt Commentationem, hoc ordine pertractavit: prima Sectio maris baltici descriptionem in universum exhibet; secunda Daniae eiusque partium, Daniae cismarinae, insularum Danicarum, Scaniae Danicae et regionum extra Daniam. Tertia Succiae, quarta Nordmanniae, quinta maris germanici et oceani septemtrionalis meminit.

THESAURI DISSERTATIONUM JURIdicarum selectissimarum in Academicis Belgicis habitarum, Vol. I. Tom. I.

Bremae et Lipsiae, sumtibus Ioh. Henr. Crameri, 1768. 366 pagg. quaternis.

Tandem JCtorum voluntati *Oelrichus*, Bremensis, (cui hunc thesaurum debemus, quanquam nomen suum non indicaverit,) quem disciplinarum iuridicarum exquisita cognitione instructissimum, subtilem atque elegantem Iureconsultum, iam ex vita Aelii Marciani JCti. et Glossario ad Statuta Bremensia, esse novimus, satisfecit. Nam diu optatum est, ut cuidam viro docto in mentem veniret, ex multitudine disputationum iuridicarum, quae quotannis in

Digitized by Google

in Belgicis litterarum Universitatibus eduntur, in quibus sunt, bonas nonnullae singulari attentione dignae colligere; de fuit vero, ut opinamur, saepissime materia, quanquam voluntas adesset. Ex delectu autem dissertationum hoc Volumine exhibitarum potest cognosci, Oelrichum possidere selectum apparatum, quem, ut de eius prona in litterarum incrementum voluntate potest sperari, procedente tempore communicabit cum eruditis. Remotus a coeco in Batavos JCtos eorumque labores cultu, aut pruritu aliarum gentium merita laedendi, non vereor dicere, Belgium iam inde a fine superioris seculi, sedem et quasi domicilium elegantioris iurisprudentiae fuisse. Non dubito, quin plerique sint, qui hoc adulatione aut praeiudicio aliquo dictum iudicent; sed quoad nostri iudicii fines ferunt, iudicamus. Nam nos non fugit, in Batavis quoque multa usu carentia scribi, et inprimis multas, ex uno aut altero manuscripto pretio precibusque corrasas, aeque ac in Germania, dissertationes iuridicas edi. In universum tamen, pro nostra quidem sententia, (sed tantum de iure Romano loquimur,) Batavi primum obtinent locum, excepto uno vitio nempe iis propria ad luem criticam et mutationem proclivitate. Dolendum igitur est, nos multis in Germania eorum disputationibus optimis carere oportere, quae aut numquam, aut rarius ad nostros perveniunt homines. His paucis praemissis nunc ad propositum veniamus et iam exponamus dissertationes ab *Oelricho* collectas;

I.) *Joh. van Nispen*, Haga-Batavi, dissertatio inaug. iurid. ad fragmenta, quae in Digestis ex Herenii Modestini IX. libris differentiarum supersunt. Lugd. Bat. 1750 pag. 1. Additamentum perutile ad *Cuiacii* interpretationem eiusdem operis Modestini, quo partim a *Cuiacio* leviter tantum tactae, aut etiam praeteritae, pluribus amplificantur materiae, partim eius opiniones, partim quoque aliorum obiectiones contra eum motae, diligentius accuratiusque examinantur. Quaedam ad vitam Modestini pertinentia, ex anti-

 qua

qua *Fabrotti* inscriptione, accuratius quam ante factum exposita. Multa tamen, quae protulit auctor, lapidis Lydii examen non sustinebunt. Moleste tulimus: quum pag. 12. legeremus, textum descripsi, (ut ubique,) ex Gothofredi editione: cur? commoditate aut praeiudicio? In lectionis varietate legis 40. §. 1. D. de adopt. et ubique plenae pubertatis, id est decem et octo annis, (eum) praecedere debet, nullam nos, ut auctor existimat pag. 13. difficultatem grammaticam reperimus est enim nihil clarius. Jureconsultus sic dicit: plenae pubertatis (nempe annis,) id est decem et octo annis &c. Signum distinctionis nos non debet offendere, (colon dictum,) inter verba, pubertatis et id est, positum; hoc editorum pandectarum est defendendere. Lapis, in quo saepissime interpretes offendunt, quasi scriptores veteres et librarii haec signa distinctionis excogitassent; talium multa immaturae critices inveniuntur exempla. In universum tamen labor non contemnendus.

II.) *Guil. Pauw*, Haga-Batavi, disputatio iurid. inaug. ad varia iuris civilis capita, Traiecti ad Rhenum, 1704. pag. 107. Has eruditas annotationes postea multo auctiores *Pawius* edidit, quae 1737. Halae 8vo. sunt repetitae, quod sine dubio latuit editorem.

III.) *Matthiae Roeveri*, Delpho-Batavi, Specimen inaug. iurid. ad loca quaedam iuris civilis depravata, Lugd. Bat. 1739. pag. 137. Firmissimum argumentum de *Roeveri* egregia vi critices, nisi iam ex eius scriptis eluxisset divinis. Plures emendationes ad *Ulpiani* loca, et *Caii* scripta, inprimis vero ad collationem legum Mosaic. et Rom. pertinent, quæ posteriores eo graviores sunt, quo magis mutilus hic ad nos pervenit libellus. Nonnulla multis in locis dubia, praecipue contra necessitatem factarum lectionis mutationum, occurrerunt, quae vero locus non patitur proponere, igitur anticritico iuris civilis relinquimus. Praecipua vero a *Roevero* in hac disputatione praestita, sunt: 1) emendationes

Digitized by Google

tiones institutionum *Caii* in duodecim locis, ex antiquissimo manuscripto bibliothecae, quae Lugduni Batavorum est, quod *Caii* institutiones et Pauli sententias, tamen non locupletiores quam nos habemus, continet. Et ill. *Meermannus* deinceps, in animadversionibus criticis suis ad *Caium*, eodem usus est manuscripto, et ad hanc *Roeveri* provocavit commentationem, sed tamen nonnullas, quas *Roeverus* sumsit ex Msct. deflexiones a lectione recepta, (v. c. lib. I. tit. IV. §. 4. lib II. tit. III. §. 6.) praetermisit. 2) Triginta emendationes collationis Leg. Mosaic. et Rom. ex *Josephi Scaligeri* manuscripto, quod nunc in bibliotheca Leidensi aeque adservatur.

IV.) *Guil. Bestii*, Amisfortensis, disputatio iurid. inaug. exhibens coniecturas quosdam ex iure civili Traiecti ad Rhen. 1704. p. 193. Consult. *Neuhausius* hoc tractatu potiri non poterat, ut editioni suae *Bestii*, de ratione emendandi leges, insereret. Sequentes hic continet observationes. Caput I. est interpretatio legis 5. D. de imp. in rem dot. et legis 56. §. 3. de iure dot. propter hanc propositionem: impensas necessarias dotem ipso iure minuere. De qua re sic auctor pag. 200. iudicat: „ego voluisse veteres hoc loquendi modo „indicare arbitror, maritum, qui impensas necessarias iam „a nobis descriptas fecit, intelligi illas sumsisse, vel sibi sol-„visse ex ipsa dote, adeoque dotem necessario tanto mino-„rem factam, quanto maiores fiunt impensae, et hinc uxorem „non posse repetere dotem ultra id, quod deductis necessa-„riis impensis superest, sed maritum ipso iure tanto minus „debere." Quare et pro impensis necessariis compensari solere Ulpianus ait, l. V. §. 2. D. de imp. in res dot. Haec interpretatio valde naturalis est. Caput II. de quaestione agit: an praeses provinciae ius deportandi habuerit? respondetur negando, sed tantum ius in casibus iis, quos haec poena sequebatur, et de quibus imperatorem certiorem fieri oportebat. Caput III. loca quaedam Pandectarum et Co-

Digitized by Google

dicis, transpositione usitatorum distinctioni signorum explicantur, ut l 14 pr. D. de bon. poss. cont tab. l 65 pr D. ad Sct. Treb l. 24. C. de evict. l 1. C ne fil. p patre, l. 24. C. de pact. l. 2. C. qui pot. in pig l. 5. D fam. ercisc. — Caput IV. ad legem ultimam Codicis de adopt. pertinet.

V.) *Alardi Rud. van Waag*, Traiectini, Dissertatio iurid. inaug. ad L. XXVI. π. de Operis libert. Traiecti ad Rhen. 1729 pag. 225. Magnae curae fuit auctori, lectionem Florentinam huius loci ut defenderet.

VI.) *Ger. Christ. Ruckeri*, Windeshemio Franci dissertatio inaug. iurid. de leg. VI. §. 1. π. quemadmodum servit. amitt. L XLIX. π. de re iudic. et de effect. sentent. L. XXI. §. 1. π. de pact. Lugduni Bat. 1751. pag. 261. magnam critices indicat notitiam.

VII.) *Fridr. Gottfr. Houckii*, Steinfurto Westphali, dissertatio iurid. inaug de rationibus veterum JCtorum falso suspectis. Traiect. ad Rhen. 1734. pag. 315. Auctor argumenta decisionis veterum JCtorum Romanorum defendit, quae ab interpretibus recentioribus, quod ea saepe non intelligunt, non raro impugnantur, clarissime, magnoque subtilitatis iuris Romani iudicio. Exempla in medium prolatu sunt selectissima: propterea quoque nos hunc tractatum ad classicos iuridicae interpretationis libros putamus esse referendum. Volumen II. Part. I. huius collectionis etiam editum est, de quo alio tempore animum aperiemus. Vehementer optandum, diu illam collectionem continuare editor ut velit. Toti Germaniae esset opprobrio, si inopia emtorum, forte sumtus in hunc librum excudendum faciens deterreretur. Sed tamen ut sibi correctorem eligat accuratiorem praesente, suademus.

DE

Digitized by Google

DE CELSO NON MEDICO *practico Coniecturae:*

Auctore

MICH. CHRIST. JUSTO ESCHENBACH.

Celsi libros, ob praestantiam praeceptorum, ordinem rerum, elegantiam sermonis, brevitatem in dicendo cum maxima perspicuitate coniunctam, ob proprietatem verborum, et mirificam varietatem, omnibus, cum humaniorum litterarum studiosis, tum artis salutaris cupidis, diligentissime et assidue esse legendos relegendosque, certe, nemo elegantiorum hominum facile negaverit. Tamen auctoritatem recentiorum quorundam, qui vel ob virtutes illas, vel alias ob caussas, *Celsum ipsum medicinam professum esse, aut fecisse, contendunt*, non possum a me impetrare ut sequar. Namque illum *compilatorum* fere *fuisse*, nec ipsum morbos inspexisse et tractasse, cum ex ipsis libris, tum ex vitae genere quod secutus est, atque testimoniis veterum, clarum fieri videtur; praesertim cum adversariorum obiectiones, de quibus infra videbimus, non tam firmae sint, ut nostram sententiam evertant. Si Celsus usu et experientia, vel naturam morbosque, vel vim medicamentorum, curationisque efficaciam, in singulis morbis cognovisset, non adest satis idonea causa, quare nunquam praeceptum ullum suo ipsius experimento comprobet, cum tamen, ubi vel forte dissensum auctorum in aliqua re esse viderat, eos, quorum auctoritatem potissimum hoc in genere sequatur, nominet; vel ubi omnino nihil apud aliquem scriptum invenerat, ipsorum agrestium rationem usumque commemoret. Sic saepenumero Hippocratis, Megetis, Asclepiadis, Heraclidis Tarentini, aliorumque medicorum ad chirurgorum mentionem facit, ut pag. 310. lin 25. edit. Almel. ubi acetum efficacissimum remedium adversus ictum aspidis esse probat usu,

usu, non suo ipsius, sed alieno. Nam addit, *quod demonstrasse dicitur casus cuiusdam pueri, qui cum &c.* conf. pag. 248. lin. 28. p. 254. l. 5. p. 393. l. 5 p. 426. l. 16. p. 555. l. 24 ubi haud dubie fatetur, se ex aliis praecepta, quae tradat, compilasse, dictitans subinde, *Medici docent, a Medicis accepi, omnia quae salutaria accepi comprehendo, dicitur, plerique scripserunt*, ut omittamus alia loca sexcenta, ubi auctoritatem Medicorum affert. Quod si igitur quis, in compilandis praeceptis tam diligens reperitur, ut ne rusticorum quidem usum et traditionem negligat, uti a Celso factitatum esse constat, pag 210. lin. 16. p. 324 l. 16. p. 383. l. 10. is sane non prorsus suam ipsius experientiam, si qua ei fuerit, videtur omisisse. Praesertim cum Hippocratem, cuius auctoritas magna apud Celsum fuit, et quem in caeteris rebus tam diligenter secutus est ut ipse fatetur initio libri secundi, non semel vel cognitionem alicuius morbi, vel vim usumque medicamentorum et rationem curationis suo usu et experimento comprobasse satis constet.

Etsi a veteribus non traditum est, quod vitae genus et institutum noster secutus sit Celsus: ex multitudine tamen et varietate librorum, quos propemodum de universo doctrinae antiquae corpore reliquit, colligi potest, ei neque animum, neque otium fuisse, aegrotos inspiciendi, morbosque curandi. Nam praeter octo libros, qui de arte Medica ad nostram usque aetatem pervenerunt, idem, auctore Quinctiliano X, 1. scripsit non parum multa (de Philosophia) Scepticos secutus non sine cultu ac nitore. Eundem etiam totum corpus disciplinae de agricultura, quinque libris complexum esse, tradit Columella I, 1. De arte dicendi scripsisse Quinctilianus testatur, qui passim eius Institutiones oratorias laudat, v. c. IX, 1. 2. VII, 1. 2. VIII 3. &c. Celsum de aliis quoque disciplinis scripsisse, patet e loco classico Quinctiliani XII, 11. qui postquam laudavit Catonis Censorii amplam doctrinam, Varronis industriam, Ciceronisque inge-

Digitized by Google

ingenium divinum, cui nullum instrumentum dicendi defuerit, addit: *Quid plura? cum etiam Cornelius Celsus, mediocri vir ingenio,* (nimirum si cum ingenio plane divino Ciceronis aut aliorum comparaveris,) *non solum de his omnibus conscripserit artibus, sed amplius rei militaris et rusticae etiam, et medicinae praecepta reliquerit, dignus vel ipso proposito, ut eum scisse omnia illa credamus.* Igitur si quis ex eo, quod Celsus de Medicina scripserit, colligeret, ab eo quoque illam artem exercitam, sequeretur, ut idem quoque militum dux, Philosophiae doctor, Eloquentiae Professor, villarum reique rusticae Praefectus, caussarumque Patronus, (nam de iure quoque libros reliquisse Celsum, colligi videtur ex Quinctiliani l. c.) simul extiterit propterea, quod de his omnibus artibus scribere aggressus est. Eum vero inprimis operam dedisse eloquentiae, intelligitur non modo ex genere dicendi, quo usus est, sed etiam ex auctoritate Quinctiliani, qui illum inprimis ut Rhetorem laudat eiusque praecepta de arte dicendi passim affert. Igitur cum Celsus, subsidiis eloquentiae instructus, omnes artes complecti litterisque latinis illustrare sustineret: nec salutarem artem a suo studio alienam duxit, quam ultimo loco scriptam esse, cum ex Quinctiliani l. c. probabile fieri videtur, ubi medicinae praecepta ultimo loco commemorantur; tum ex aliquo Celsi loco ipsius, ubi Artium, de quibus scripserit, mentionem facit. Denique, cur Celsum medicinam fecisse negemus, monet auctoritas veterum, Columellae, Quinctiliani, Plinii aliorumque, qui eum ad scriptores quidem, at nunquam ad Medicinae professores referunt. Nam Plinius ne in illo celeberrimo loco quidem XXIX. 1. Celsi ut Medici mentionem facit, ubi et de origine Medicinae, et Medicis Romanis, qui quidem Romae medicinam fecerint, differit. Certe sagacitatem Plinii et diligentiam hic non effugisset Celsus Romanus, si eum Medicinae professorem cognovisset, cum et alibi eius meminerit, tanquam scriptoris de usu hibisci radicis, ex vino coctae, in articulorum doloribus, XX, 4. conf.

Celſus p. 238. l. 27. de appellatione herbae Perdicii, XXI, 30. conf. Celſus p. 109. l. 16. de nomine Solani XXVII, 13. conf. Celſus p. 109. l. 21. it. Scriptoris de re ruſtica, v. c. de natura gallinarum X, 53. de natura alicuius vini XIV, 2. Verum ne veterum ſilentio tantum, quod argumenti genus nimis lubricum et incertum eſſe nonnullis videtur, noſtram tueamur ſententiam, eiusdem Plinii liber primus, ubi elenchi librorum nominaque auctorum, e quibus hiſtoria naturalis potiſſimum ſit hauſta, continentur, magnam vim pondusque noſtrae rationi addit. Namque in elenchis librorum XX – XXIX, ubi *Auctores* ſemper diſtinguuntur a *Medicis*, noſter Celſus ubique in numero Auctorum ponitur. Quodſi igitur hi elenchi a manu Plinii ſunt, quos inde profectos eſſe nos nullo modo dubitare ſinit eius praefatio ad Imperatorem Veſpaſianum: profecto noſtra ſententia in dubium vocari non poteſt, niſi quis omnem fidem hiſtoricam ſublatam eſſe velit. Praeterea idem locus Quinctiliani, quem paullo ante laudavimus, aliquid momenti fidei Plinianae addere videtur. Etenim primum e Celſi libris praecepta Medicinae ultimum locum obtinent, quae ſi ab homine uſu et profeſſione Medico ſcripta putaſſet Quinctilianus, primo loco ea poſiturus videtur. Deinde verba, *dignus Celſo vel ipſo propoſito, ut eum ſciſſe omnia illa credamus*, haud obſcure ſignificare videntur, de ſcientia Celſi dubitaſſe Quinctilianum, quod fas non fuiſſet, ſi Celſum uſu comprobaſſe intellexiſſet cognitionem artis Medicae, quam tam egregie ſcriptis illuſtraverit.

Nolumus hic, ad noſtram ſententiam ſtabiliendam, quod quibusdam forte primo loco ponendum eſſe videatur, uti argumento ab erroribus Celſi petito, quos nonnulli e recentioribus, (nam veteres in noſtrum non tam ſunt iniurii,) paſſim in eius libris deprehendere ſe putarunt, ubi vel loca Hippocratis male ſit interpretatus, vel omnino a vero in praecipiendo aberraverit. Nam, praeterquam quod alia

vitia

vitia a culpa librariorum profecta sunt, quae diligente codicum inspectione, et veterum Medicorum comparatione, sunt tollenda; alia, recte explicatis Hippocratis locis, facile evanescunt, nec ullam omnino vim hoc in genere illud argumentum habere existimandum est. Nam semper fuerunt, et fortasse nostra quoque aetate reperiuntur, qui, naturae bonitate fortunaeque temeritate magis, an consilii ratione, nescio, satis probabiliter in morbis vitiisque corporis sanandis versentur, etiamsi, praeter communia quaedam praecepta formulasque, teneant nihil, nec primum quidem Hippocratis aphorismum recte explicare possint.

Propositis, quae ad nostram causam confirmandam pertinent, argumentis, restat ut breviter de adversariorum obiectionibus videamus. Quod fieri potuisse, ut Celsus tam subtiliter, eleganter, et perspicue de Medicina scripserit, nisi rem usu expertus esset, negant nonnulli, in his clarissimus van der Linden, in praefatione ad auctorem nostrum: *Putasne*, inquit, *secreta atque arcana artis, hoc est intimas et occultas ad salutem cuiusque pertinentes rationes, scire posse eum, qui in conclave nunquam penetraverit?* eius vanitas et natura rei, et exemplorum auctoritate satis intelligitur. Nam quamquam procul abest ut negemus, ut potius contendamus quam maxime, eas virtutes in Celso esse conspicuas: cum tamen aliquis alieno usu et experientia non minus, quam suo ipsius, rem aliquam et cognoscere recte possit, et aliis explicare, dummodo ingenium bonis litteris subactum attulerit; facile intelligitur, Celsum, in quo subtilitatem disserendi, studiumque elegantiae sermonis acerrimum fuisse nemo non concedat, sine ulla sua experientia et usu, ex lectione praestantissimorum auctorum, omnia aeque potuisse discere, et ex praeceptis artis dicendi explanare aliis probabiliter. Hoc vero fieri posse, et saepenumero factum esse, exempla omnis aetatis declarant. Illustre exemplum sane existimandum est Luculli, qui, auctore Cicerone, Acad.

Quaest. IV, 1. *ad Mithridaticum bellum missus a Senatu, non modo opinionem vicit omnium, quae de virtute eius erat, sed etiam gloriam superiorum. Idque eo fuit mirabilius, quod ab eo laus imperatoria non admodum expectabatur, qui adolescentiam in forensi opera, quaesturae diuturnum tempus, Muraena bellum in Ponto gerente, in Asiae pace consumserat. Sed incredibilis quaedam ingenii magnitudo,* (adde, et omnis liberalis percepta doctrina,) *non desideravit indocilem usus disciplinam. Itaque cum totum iter et navigationem consumsisset partim in rebus gestis legendis, in Asiam factus imperator venit, cum esset Roma profectus rei militaris rudis.* Atque tamen tantus imperator in omni genere belli extitit, ut Mithridates, qui, auctore Cicerone, post Alexandrum rex maximus fuit, hunc a se maiorem ducem cognitum, quam quemquam eorum, quos legisset, fateretur. Igitur Celsus idem fecit, quod quidam tactices professor, qui Annibale atque aliis praesentibus, quamquam nunquam hostem viderat, nec castra aciemque cognoverat, tamen tam subtiliter et eleganter de oppidis oppugnandis, castris ponendis, acieque instruenda disserere visus est, ut, praeter Annibalem, satis probaretur omnibus. Quae Plinius de natura morborum et curatione, de medicamentorum compositione nonnullorum, et usu tradidit, haud contemnenda ducuntur a rerum peritis, etiamsi nunquam medicinam facere aggressus est, sed omnia lectioni Medicorum, si de iudiciis quibusdam, quae proprie sunt philosophorum, recesseris, se debere ipse fatetur. Neque nostra aetas eiusmodi ingeniis caret, quae, ut ita dicam, alienum fundum satis feliciter ararunt. Quis enim est, qui Grotii ingenium divinum doctrinaeque amplitudinem ignoret? Hic, etiamsi summa reipublicae munera obibat, in omni tamen fere litterarum genere tantopere excelluit, ut nesciam, maior Theologus, an Iurisperitus, an Philosophus, an Poeta et Philologus fuerit. Ut alios taceamus quamplurimos, qui de disciplinis omnis generis, ad suam professionem non pertinentibus, egregie scripserunt.

At

At obiiciunt hic adversarii, esse non unum locum in libris Celsi, quo nostra refellatur opinio: veluti p. 200. l. 6. ubi Celsus fateatur, Asclepiadem multarum rerum, quas ipse (Celsus) *secutus sit*, esse auctorem bonum. Quodsi adversarii hinc ex verbo *sequi* effici volunt, a Celso ipsos morbos esse curatos, magnopere falluntur. Nam *sequi aliquam rem* alio sensu dicitur apud scriptorem qualis Celsus hic fuit, ubi significat *rem praecipere, proponere ad usum medicorum*; alio sensu apud medicum qui interrogatus, quanam ratione utatur in morbo aliquo sanando, respondet, *ego sequor rem* v. c. *quam praecepit Galenus*, h. e. *ego utor in sanando praeceptis Galeni*. Nec maiorem vim ad nostram rationem refutandam habent loca, ubi auctor ad usum provocare videtur: ut p. 204. l. 20. cum contendit adversus Asclepiadem, rationem Erasistrati, qui adversus sanguinem ex faucibus interioribusve partibus procedentem, crura et femora brachiaque pluribus locis deliganda esse praeceperit, *saepe commode respondere, experimenta testari*: it. p. 374. l. 4. ubi dicit, Asclepiadem commune auxilium adversus omnes aurium casus, et *iam usu comprobatum*, composuisse. Verum enim vero, primum non clarum hinc fit, de suo ipsius experimento Celsum loqui, quia aeque aliena intelligi possunt, quae vel fama et sermone hominum acceperit, vel in libris auctorum tradita repererit. Deinde, si vel tamen maxime, quod ob constantiam Celsi in loquendo vix concedi potest, suam intellexerit experientiam, hinc tamen nil sequetur, nisi ut aut expertus sit quicquam, quod quilibet homo de plebe cognoscere possit et saepe cognoverit aut observaverit, quod a nullius philosophi cognitione sit alienum. At ex loco certe p. 420. l. 4. cum Celsus dicat, *se tuberculis capitis adiicere quoque στεατώματα*, clarum fieri obiiciunt, hominem medicinae usum satis cognitum habuisse. Recte. Dummodo hinc non colligant, quod neutiquam sequitur. Nam primum hic locus non de inventione novi nominis est accipiendus,

piendus, sed de methodo qua στατώματα, quae ab aliis alio loco proponantur, ipse retulerit ad capitis tubercula. At hoc verbum, dicunt, apud nullum ante Celsi aetatem reperitur auctorem. Recte, si hoc intelligitur de libris qui ad tempora nostra pervenerunt, sed idem de Megetis, Erasistrati, Asclepiadis, et nonnullis Hippocratis libris affirmari non potest. alioqui sequeretur, quod minime volunt adversarii, ut Celso quoque inventio nominum γαγγλίων et ἀθερωμάτων sit tribuenda, quippe nec illa in libris Medicorum ante Galeni tempora extant. Deinde quid? si Celsus primus invenerit? Num ita medicum an philosophum egit? Certe illud satis constat, qui non nisi Medicinam faciunt, morbos medicamentis, non eloquentia se expellere existimare. Quae obiectiones ex aliis locis, ut pag. 435. lin. 8. ubi in loco de pituita oculorum auctor ait, *animadvertimus, quibusdam nunquam siccescere oculos, sed semper humore tenui madere*; et pag. 446. lin. 18. ubi, *ego*, inquit, *cognovi, qui succisa lingua, cum abunde super dentes eam promeret, non tamen loquendi facultatem consecutus est*, trahuntur, vix dignae sunt quibus refellendis tempus consumatur. Alium locum p. 118. l. 22. attingere non alienum putamus; unde iudicium quidem Celsi, cum Casaubono, colligimus; sed artis medicae professionem nullo modo. Hic enim Celsus, commemorata antiquorum Medicorum ratione, addit: *ego autem, medicamentorum dari potiones, et alvum duci, non nisi raro debere concedo.* At ea, quae sequuntur, satis ostendunt, illum ita iudicare ob rationes aliunde cognitas, non ex usu rerum, quem habuerit.

Reliquum est, ut obiectioni occurramus, quam vulgo sumunt ex epistolis, quae sub nomine Corn. Celsi libro Marcelli empirici de medicamentis praefiguntur; quarum prior ad Julium Callistum data, si quidem a Celso est, plane nostram sententiam refellit. Verum genus dicendi tam diversum

sum deprehenditur a Celsi ratione, ut magis Scribonii Largi austeritate; quam Celsi nostri elegantia dignum esse videatur. Nam plane a Celsi modestia et consuetudine abhorret, cum auctor iactat: *Ego certe aliquoties magnum scientiae consecutus sum titulum ex usu prospere datorum, medicamentorum.* Ut omittamus, quod auctor plus tribuit medicinae, quae medicamentis curat, quam a Celso factum esse scimus, id quod vero Scribonio Largo, qui de medicamentis scripsit, magis convenit. Pro formula, *quod etiam nunc plerique faciunt, nec dicam omnes,* Celsus dixisset, vel *plerique omnes,* vel *omnes fere*:- pro, *detegere imprudentiam suam,* dixisset vel *prodere* vel aliter: pro *conditore nostrae professionis* Celsus solet dicere *auctor*: in loco, *medicina, nisi omni parte sua plene excubat in auxilia laborantium, non praestat quam pollicetur hominibus misericordiam,* Celsi non sunt, *omni parte sua, excubare in aliquid,* et *polliceri de re inanimata* abhorret a proprietate Celsi. *Languere,* pro *aegrotare,* nunquam dicit Celsus. Particula iurandi, *non mediusfidius,* nunquam legitur apud Celsum; *medicinalia* verbum est barbarum; *consumare amicissimo affectu vota mea,* est formula dicendi quae posteriorum temporum redolet affectatam elegantiam; *incurrere* pro *occurrere,* vix Celsi est putandum; ut alia taceamus, quae spuriam epistolam esse satis produnt.

M. CHRISTOPHORI HIERONYMI ROSTII, Scholae Budissinensis Rectoris, de Sermonis tumultuario ac fortuito contextu, disquisitio.

De Pericle, Graeciae illo atque eloquentiae principe, Plutarchus scribit, se accepisse, eum vocatum aliquoties ad dicendam super re ardua ac gravi sententiam, non paruisse omnino, quod se negaret istam caussam esse meditatum, simulque addit, Demosthenem, Periclis cum in administranda republica, tum in orandi modo aemulum atque imitato-

imitatorem, fecisse similiter, et eandem ob rem, ne diceret in concio e, interdum recusasse. Quid autem? quid? nonne potuissent, summi illi perfectique oratores dicere ex tempore, et illam ita absolutissimam facultatem ostentare, quam diuturno usu, et crebra exercitatione consecuti essent? Potuisse, quis dubitat? Sed enim noluerunt, opinor, ne aut temere versari in gravissimis caussis viderentur, aut maximam dicendi gloriam, tot curis atque laboribus partam, in maximum periculum ac discrimen adducerent. Quo magis admirabile videri debebit, non deesse mediocris vel ingenii, vel exercitationis homines dicendi laude non ita multum progressos, certe cum Pericle atque Demosthene nequaquam comparandos, qui, etiamsi subita quaedam necessitas non urgeat, tamen gaudeant extemporalibus dictionibus, et nulla ratione ad dicendum accedant: de quorum tumultuario ac fortuito sermonis contextu, perpaucis, nostro more atque instituto, differere placet.

Ac sermonem eius formulae propterea cum Quinctiliano tumultuarium ac fortuitum appellamus, quod ibi casus atque fortuna prorsus dominatur, ubi dominari atque regnare minime debebat, resque geritur ita, ut cum in tumultu, et quoties coorta est populi seditio,

— — — *Furor arma ministrat.*

Quo genere sermonis usi sunt Staieni multi atque Autronii, ob pigritiam cogitandi laborem non ferentes, quippe quibus satis esset, si possent stantes loqui: usa est omnis turba Sophistarum, qui incitati prava ambitione, dum voluerunt stultis eruditi videri, merito ab eruditis stulti iudicati sunt.

Ac primo quidem dicentes ita, non omnino tueri possunt nomen oratoris, quod si locatum esset in fortuito sermonis contextu, quem iurgantibus adeo in foro mulierculis super-

Digitized by Google

superfluere saepe videmus, quotusquisque inveniretur vel ex indocta atque infanti plebecula, qui eum honorem non affectaret neque plane probabilium oratorum in numero poni nollet? Quid prodessent rhetorum praecepta, tam diligenter excogitata, et tanta subtilitate tradita atque descripta? Quin et ipsi utriusque populi clarissimi oratores videri deberent stulte fecisse quod maluissent, tantum curae, studii, atque temporis in dicendi rationem conferre, quam illa extemporali facultate promta omnibus atque proposita, sine ullo labore abuti. Enimvero salva res est: non itur ad eloquentiae laudem ea via, qua illi quidem arbitrantur. Lucernam olent ad hodiernum usque diem Demosthenis et Ciceronis orationes, quibus clamores et admirationes effecerunt, atque immortalem sibi gloriam pepererunt. Quam multa isti viri legerant, audiverant, cognoverant? Quam ne latum unguem a stylo unquam discesserant? Quoties autem oratio educenda erat ex umbra domestica, et in solem atque pulverem deducenda, quanto studio imitabantur bonum atque sapientem imperatorem, qui non modo aciem ante initum certamen recte instruit, verum etiam, cum ventum est ad pugnae discrimen, toto animo incumbit in hanc curam, ut potiatur victoria.

Neque vero non existimandum est, facere contra fidem, et discedere a boni viri officio, qui sese ita instituunt, ut dicant perfunctorie, et quicquid in buccam venerit. Aut enim ego mirifice fallor aut vis oratoris, professioque ipsa dicendi, hoc suscipere ac polliceri videtur, ut inprimis consulatur auditorum utilitati atque saluti, nihilque rerum omnium praetermittatur, quibus possint impelli, ut appetere honesta et profutura, fugere contra turpitudinem et quaecunque perniciem ferunt, animum inducant. Fac igitur, ut appareant promissa: da operam, ut audientes te lubenter audiant, ut doceantur, ut moveantur. Sed enim res est plenissima contentionis, et ingenii et corporis, cuius

aerumnas perpeti, et devorare molestias, propter mollitiem animi atque nequitiam non audes. Credo equidem, aliquanto magis iuvare spargere flores, obire circulos, tempestiva convivia celebrare, et omnino aliud quam hoc agere, quam meditari in loco solo, quibus argumentis animi tractentur, et voluntates commodissime excipiantur. Vellem, inquis, hoc esset laborare,

Haec ego procurare et idoneus imperor, et non

Invitus.

Audite mihi votum desidiae, perfidiaeque, nisi si et eum boni pastoris officio defungi putetis, qui gregem fidei suae commissum, aut plane neglexerit, aut temere eduxerit in pascua, parum solicitus, malene, an vero bene pascatur.

Enimvero illa consuetudo, fortuitu, inconsiderate, negligenterque orandi, habet tertio et hoc mali in sese, ut dicendi copiam, si qua fuerit ab initio, in dies et horas minuat, inscitiam contra, infantiam, atque temeritatem non nihil etiam augeat. Ecce tibi, cui nunc ex veto Nugipolyloquidae cognomen adhaeret, cum primum ad dicendum pro concione venisset, erat in aliquo numero, et orator minime contemnendus habebatur. Inciderat autem subitum aliquod tempus, quo extempore necessario dicendum esset: res praeter spem atque opinionem eveniebat. Hic casum vertit in consilium, facileque sibi persuadet, munus se suum vel extemporali temeritate sustinere posse. Iterum experitur: iterum bene procedit. Nunc iam dehinc multam salutem dicit commentationi et stylo, quo eloquentia non minus alitur, quam comparatur, et, quicquid in solum, prorsus decernit dicere: neque vero non sic fecit, et ad hunc diem facit. Ita perverse dicendo didicit valde perverse dicere, et per eos tanquam gradus descendit ad illam humi-

Digitized by Google

humilitatem, ieiunitatem, et obſcuritatem, verbo, ad illam loquentiam, in qua ſibi placet ſine aemulo. Hunccine tu Nugipolyloquiden audire, et crebro audire potes? Poſſum, ſed ut debitor aeris Druſonem ſcriptas recitantem peſſime hiſtorias. Malles ſane, ut optimus vir deſineret artem, tibique moleſtus eſſe porro ceſſaret? Ego vero neſcio: dic tu. ——

Reſtat quarta cauſſa, qua de cauſſa ſermonis iſte, de quo omnis haec ſuſcepta eſt diſputatio, tumultuarius atque fortuitus contextus utique vituperandus eſſe videatur. Ac plurimum quidem mea ſententia valet ad perſuadendum, probari mores, inſtituta, facta, et vitam eorum, qui dicunt: quae res conciliant benevolentiam, abalienantque ab iis, in quibus non ſunt. Extempore autem pronuntians omnia, ſatis declarat, ſuum ſibi munus cordi non eſſe, quod indiligenter, ſine cura, et ut debentes opus adminiſtret: et ſe, coram quibus dicat, nec vereri, nec diligere, cum eorum de ſe iudicium contemnat, ſalutem vero atque felicitatem ſusque deque habeat. Quotusquisque autem eſt, qui velit aequiſſimas aures dare ei, qui ipſe nullam det operam, ut cum voluptate et utiliter audiatur? Quis magni fecerit hominem arrogantem, ſuique plenum, auditores vero parvi, immo nihili putantem? Quis denique virum complexus fuerit, a quo intelligat ſe non amari? Quae mala tam manifeſta ſunt, ut et ipſi tumultuarii oratores ea videant, et vero cum ſuo incommodo atque dolore ſentiant; ſed dum debebant ſe maxime accuſare, ſua vitia, et ſuam culpam, conferunt in audientes, quorum faſtidium, ſocordiam, et tantum non impietatem, magno clamore accuſant.

Ne autem, dum iure illam perverſitatem reprehendimus temere contexendi ſermonem, omne genus extemporalitatis improbare videamur, atque ita ſummis quibusdam viris inſignem facere iniuriam, qui huiusmodi faculta-

tem, veluti maximum fructum studiorum, et longi laboris amplissimum praemium, assecuti sunt, age sane paucis admoneamus, quibus, et quando, et sub qua conditione dicere subito liceat. Ac copia ea nullo modo danda est incipientibus, et adolescentulis, cum munus ex tempore dicendi non possint obire tolerabiliter propter inscientiam, illaque ipsa exercitatio, quae nonnullas scholas invasit, nihil praeter inanem loquacitatem, et inverecundam confidentiam pariat. Oratoribus autem non vulgaribus, et satis iam exercitatis, dandum hoc est, ut etiam sine commentatione et scriptione orare possint, modo ne, vel inertiae praesidium, vel ostentationis instrumentum exinde petant; tum, ut ea commoditate nunquam, nisi coacti atque inviti, cum tempori cedendum, et necessitati parendum sit, omnino utantur. Quod si acciderit, accidere autem posse quis negat, inprimis versanti in republica, eiusque partem quandam amplam capessenti, omnis vis intendenda est rebus, non nihil remissa cura verborum: pronuntiandum tardius, ut in medio cursu orationis deliberare de oratione etiam queas. Sed quid ego instituere viros audeo, a quibus discere et velim, et vero etiam debeam? Hactenus de tumultuario ac fortuito sermonis contextu.

Quo minus autem eorum ratio mihi quidem placet, qui nullum sibi unquam spatium sumunt ad cogitandum, ut dicant paratius atque accuratius, eó magis laudare soleo altercationes scholasticas, et eas disputationes, quibus adolescentuli a praeceptoribus continentur: non, quo mihi persuadeam, ita verum investigari, et quaestiones difficiles atque obscuras explicari posse, quod ab eius aetatis hominibus expectandum non est; neque fortasse magis a grandioribus natu, si quidem non falsum est, quod dixisse ferunt Isaacum Casaubonum, qui, cum forte Lutetiae Parisiorum Sorbonam viseret basilicam, atque audiret narrantem sibi, in ea basilica iam per annos trecentos quotidie

die a sexta matutina usque ad sextam vespertinam acriter esse disputatum, respondit: ecqu d vero tandem ista trecentorum annorum disputatione profectum est? Sed quia istiuscemodi institutio mire subigit, atque acuit ingenia, et discentes ad latine loquendum promtiores atque alacriores reddit.

JACOBI MAKNIGHTI, S. T. D. COMMENTArius Harmonicus in quatuor Evangelia, secundum singulorum ordinem proprium dispositus. Ex Anglico latinum fecit, notas et alia nonnulla adiecit A. F. Ruckersfelder, S. Theol. D. eiusd. et Ling. Oriental. P. P. Daventr. TOMVS I. *Continens praecognoscenda et ipsam harmoniam.*

Bremae, sumtibus G. L. Foersteri, et Daventriae, typis I. de Lange clↄlↄcclxxii. 1 Alph. 16 plag in 8.

Tanta est Harmonicarum iam a patribus usque ad nostra saecula scriptarum in Evangelia, tamque dissentiens multitudo varietate sententiarum, ut non male quis fortasse nunc egerit, qui harmoniam harum harmoniarum inter se scripserit, si modo conciliari possent. Sed datur haec licentia ingenio humano, et praecipue litteratis, ut quisque pro facultate aliquid saltem in commune proferat. Recentissimus fere ex eo genere scriptor, post tot duces, ille est de quo nunc agemus Cel Macknightus, eiusque doctissimus interpres. Sunt igitur in hoc volumine duo: primum introductio quaedam in scriptores Evangelicos, dein ipsa harmonia. Quarum prior iterum tres partes in se continet. Prima habet observationes varias, easque ad conciliandum textum valde utiles. Et prima quidem ostendit, sermones Christi et aliorum non κατὰ πόδα, sed κατὰ τὴν διάνοιαν esse allegatos, quare in re conveniunt, expressio tamen variat; quod nobis videtur, praeter communem usum narrantium, eam praecipue caussam habuisse, quod hebraei coniunctivis carent, item constructione accusati-

vi cum infinitivo, quare eum, quem latini et graeci amant, Stylum relativum exprimere non possunt, sed indicativi eorum eandem vim potentialem habent, quod dein imitantur Scriptores graeco hebraei. Sic est altera observatio, pertinens magis ad res ipsas, quæ ostendit multa solere brevitatis caussa omitti, ac lectoribus subintelligenda relinqui, quae si alius narrator supplet, non ideo priori contradicit. Tertia in connexione narrationis ostendit, tempora interdum coniungi, omissis quæ interim accidere, ut minus memoratu dignis, qui optimorum scriptorum mos est, historiam non annales componentium. Quarta inscribitur de casibus similibus, et cautione docet opus esse, ne quando res dicta, facta, miracula præcipue et similia occurrunt, statim pro iisdem habeamus, cum sæpius eadem dici factitarique queant. Quae observatio variis exemplis collustrata, magnum usum habet non in Evangelus solum, sed et tota historia sacra, tolletque magnas discordias male inter se comparatorum textuum, si ostendi queat, nec esse idem, nec eodem loco ac tempore; quo ostenso, nec vera potest esse contradictio, secundum dialecticos. Alia observatio necessitatem antiquitatum in explicatione Evangelistarum ostendit exemplis, de quo studio non potest satis moneri, quo magis nostro aevo deferbuit. De ordine et scopo Evangeliorum multas coniecturas continet, et quomodo aliter in rebus tam obscuris? Duo capita de Evangeliorum auctoribus, et quod illa fidem mereantur, magna fide et industria sunt elaborata.

Secunda pars continet Dissertationes quasdam chronologicas: primam de censu Quirini Luc. II. 1. Vexatissimus est locus, et difficile rem cum Romana Historia conciliare, ubi placet coniectura auctoris, probata e Josepho, Augustum, amicitia erga Herodem ultimum in odium versa, ut ei ægre faceret, Palaestinam provinciae loco habuisse, censendo. Ceteræ difficultates tamen manent, quibus optime succurritur, si v. 2. ἄυτη ἡ ἀπογραφὴ Κυρηνίου pro glossa interpretis habeatur, quae propter asterismum male intellectum in textum irrepserit, ut alia plura. Sic nos saltem arbitramur. Illa de morte Herodis, docta est et elegans: tertia de a XV. Tiberii, i. e. primo

muneris

muneris Christi, plures nobis difficultates aperuit quam olim putavimus. Omissis minoribus, sequitur ultima huius partis, quando scilicet Christus ultimum Pascha comederit, cum Judaeis, an uno die prius, quo auctor inclinat; sed nobis non videtur Christus extraordinarium et inde invidiosum quid voluisse factitare.

Tertia pars continet suavissimas commentationes: primam de Sectis Judaeorum, notam quidem, sed hic magis ad historiam Evangeliorum, et characterem personarum ac rerum applicatam. Altera de Sichar, et tertia de Samaritanis ad Ioh. IV. valde bonæ sunt, et antiquitatis plenæ. Admodum elegans est excerptum ex itinerario Shawii, de aedibus orientalium, quae et svavitate et luce abundat; sicut et alia de vestibus: quo utroque sat intellecto, multa obscuritas ex codice tollitur. Alia excerpta nobilis illius itinerarii, solum Palaestinae, ingenium Syriae, mores Orientalium, ac tandem descriptiones animalium quorundam sistunt, quae nobis magnopere aestimanda videntur, et antiquitatem, ac per consequens veritatem ut Evangeliorum, ita et reliquae Scripturae, evidenter declarant. Laudamus diligentiam eorum, qui, quod non licet cuivis interpreti, ex itineribus propriis vel alienis scripturam nobis faciunt et clariorem, et probatiorem quoque. Fides enim sine argumentis nulla esse potest, sed nec debet.

Quarta pars praecognoscendorum habet dissertationem auctoris de Daemoniacis, qua non ita agit ut fere plerique, quos studium sectae hac vel illuc in transversa rapit, sed allegat rationes quibus utraque pars contra alteram disputat, sua confirmat, et quomodo illæ ipsæ soleant infirmari, dum aut daemonem, aut merum morbum adfuisse statuunt. Nobis modo in hanc, modo in illam partem inclinantibus, prout Semlerum V. Cel. legimus, vel eius Antagonistas, interdum sat feroces, tandem decisio auctoris nostri optima videtur, quae mediam viam secat: ait enim fuisse morbos, naturalibus etiam e caussis, sed tunc extra ordinem a malo quodam genio excitatis et gubernatis; quales affectiones arbitratur et adhuc adesse posse, etiamsi rarissime. Quod non ita alienum videtur,

videtur, posse spiritum in materiam sibi convenientem agere, cum iam anima nostra hoc faciat, sat infirmus spiritus. Videatur latius de his in subiecta dissertatione agens disertissimus Interpres, qua non facile quidquam legimus subtilius et elegantius, addimus et modestius. Hoc sane verum est, si morbos ut daemonas, sive ex ignorantia, sive simulatione, nobis scriptores sacri pingunt, quid serio de eorum fide statuendum sit nescimus; a quo facilis est descensus ad reliqua. Additur Tilliana scriptiuncula de anno, mense et die natali Servatoris, ab Editore in compendium missa, quae, ut res chronologicae solent, coniecturas veteres refellit, novas profert, forsan et has aliquando novis cessuras. Christum non esse hieme natum, id certo certius est.

Sequitur tandem caput rei, ipsa Harmonia Evangelistarum, compacta in ordinem naturalem et luculentum, recedentem subinde ab aliis conciliatoribus, in plurimis convenientem, ut inevitabile est. Sed ea excerpi non possunt aut latius exponi, describenda enim essent universa. Teneamus modo hoc, quae in aliis harmoniis sparsim sunt bona, ea hic collecta fere legi, posseque adeo hunc librum multorum instar esse. Nos quidem cupide reliqua exspectabimus, locupletatata egregii interpretis observationibus, similibus his quas recensuimus.



N. IV.

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Aprilis Anno MDCCLXXII.

IACOBI VOORDA, ICTI. INTERPRETATionum et Emendationum Iuris Romani libri III. quibus accedit EIVSDEM *Oratio pro Decretalibus Pontificum Romanorum epistolis. Editio altera, denuo recognita et aucta.*

Traject. ad Rhen. apud Abraham a Paddenburg, 1768. 375. pag. in 8vo.

Observationes celeberrimi *Voordae*, quae omnino nova editione dignae et Batavis laudi ducuntur, partim ordine mutato, partim parte tertia auctiores denuo sunt editae. Capita 45. quae prima editio continet una serie, in duo libros sunt in hac editione divisa, ut in primo 23. in altero 22. sint; quanquam per se pauca, et quidem parvi momenti addita, quae plerumquae sunt tantum allegationes huius vel illius scriptoris, ut v. c. statim fine capitis I. verba: adde, quae habet vir egregius Ant. Schultingius ad Part. I D tit. de Legib. §. 4 Contra ea undeviginti novae observationes, quae librum tertium conficiunt, adiectae, quarum argumentum lectoribus nostris exponemus.

T Cap. I.

Cap. I. quaestionem ventilat, quando fiduciarius heres obligetur fideicommissario cum bonis hereditariis ipsis simul quoque fructus iam acceptos restituere? Fiduciarius heres quidem ante hereditatis aditionem acceptos fructus restituere debet fideicommissario, non vero etiam eos, quibus post aditionem usus est, si fideicommissi traditionem culpa sua non sit moratus, sed v. c. testator fideicommissum sub ea conditione reliquerit. Voluntate tamen testatoris respectu posterioris omnino exceptio fieri potest. Quaeritur tantum, e quibus signis voluntas eius possit intelligi si verbis expressis eam non indicaverit. *Voorda* omnes loquendi formas tales ac phrases, ex quibus tale quid coniici potest, laboriose quaesivit, et subtiliter diiudicavit. Quo has sequentes retulit: 1) Si testator sententiam suam dixerit, ad fideicommissarium hereditatem cum incremento venire debere, pag. 217. 2) Si fiduciario sit imperatum, ut morte sua fideicommissario relinqueret omnia, quae ex bonis superessent, pag. 218. ubi auctor contradictionem apparentem inter legem 3. §. 2. D. de usur. et l. 58. §. pen. D. ad SCt. Trebell. feliciter removit. 3) Si sit in testamento, ut fiduciarius dare debeat, quicquid ex hereditate ad ipsum pervenerit, dubius auctor haeret, et est sententiae *Merillii*, videlicet legem 2. §. 1. D. de dot. praeleg. legi 33. l. 57. pr. D. ad SCt. Trebell. l. 83 pr. D. de legat. III. revera repugnare. Sed nobis l. 2. §. 1. D. de dot. praeleg. huc pertinere non videtur, non certe ut regula. Nam in ea de singulari casu agitur, qui relegatione dotis nititur, eamque ob causam a regula, ceteris in legibus determinata, ut secundum hanc formulam fiduciario fructus manere debeant, excipitur.

Cap. II. est interpretatio legis 6. C. ad SCt. Trebell. in qua duae occurrunt difficultates: 1) Utrum in ea de nepotibus et pronepotibus testatoris, an filiis heredis constistituti sermo sit? *Voorda*, iure, primum affirmavit. 2) Utrum

2) Utrum omnes ac singuli nepotes et pronepotes testatoris, an tantum illi qui ab eius filio herede constituto trahant originem, sint intelligendi? Sed ex legis connexione apparet, de posteriori tantum esse accipiendum.

Cap. III. leges 17. D. de duobus reis l. 124. et l. 54. §. ult. D. de legat. auctor conciliavit.

Cap. IV. de lege 57. D. de legat. 1. agit. Verba: vel potest aliquid esse superfluum ex soluto aere alieno, rectissime cum *Cuiacio* de pretio, quod summam arrhae excedit, arrhae accipiuntur. Nos igitur non intelligimus, cur hic nonnulli reperire difficultates potuerint.

Quid vero auctor Cap. V. suscepta emendatione lectionis legis 8. §. 1. D. de reb. eor. qui sub tut. v. cura sunt, proprie velit, non potest coniici. Nobis vero totum caput sine omne connexione esse videtur. Nam *Ulpianus* eo in loco dixit, limitationem propter alienationem rerum immobilium talium hominum, qui sub tutela sunt, non solum de minorennibus sed etiam de furiosis esse intelligendam, quanquam in Senatusconsulto expresse soli pupilli sint nominati. Verba *Ulpiani*, quae auctorem offendunt, sic se habent: *et puto, quia de pupillis princeps loquitur, et coniunctim tutoribus curatores accipiunt, pertinere; et de ceteris puto ex sententia orationis idem esse dicendum.* Primum *Voorda*, quo verbum *pertinere* referendum sit, ignorat; sed tamen nihil planius, si omnem orationis connexionem considerare voluisset. *Ulpianus* paulo ante moverat quaestionem an constitio iam dicta ad tutelam furiosorum pertineat? respondit omnino, et puto pertinere, nempe orationem principis ad venditionem rerum furiosi, ut contextus docet. Secundo verborum constructionem, *coniunctim tutoribus curatores*, putat non esse latinam, quod quidem etiam et nos dicimus. Sed id interpreti ius non tribuit mutandi lectionem, non enim id inusitati quid est, in Iureconsultis Seculi II et III.

T 2 inpri-

inprimiſque in *Ulpiano*, duras et obſoletas conſtructiones reperire. Poteſt tamen intelligi, quid Jureconſultus iis exprimere voluerit, nempe arctam connexionem et convenientiam tutorum et curatorum in iuribus. Tertium tandem, quod auctorem ducit in errorem, eſt verbum *accipiunt*. Auctor exiſtimat id ad principem reſpicere debere, et tamen id regulis grammaticis repugnare, de una perſona numero plurali loqui. Cur vero ad principem? Nam periodum attente modo legere debemus, e ſtatim intelligemus, *Ulpianum* ex duabus coniunctis propoſitionibus cauſſam deducere, cur etiam Senatusconſultum ad tutelam furioſorum extendere liceat. Sic *Ulpianus* concludit: in Senatusconſulto quidem expreſſe tantum de pupillis agitur, *quia de pupillis princeps loquitur*, quia vero curatores tutoribus in iuribus aequiparantur, (et coniunctim tuto ibus curatores *accipiunt*, id eſt, iureconſulti, iura, leges, plerumque curatores pro eisdem ac tutoribus, *coniunctim tutoribus*, accipere ſolent,) ergo etiam conſtitutio de venditione immobilium rerum ad eorum bona qui propter furorem ſub tutela ſunt, in genere ad omnes quoque, qui aliqua ex cauſa ſub cura ſunt, quadrat, et *de ceteris puto ex ſententia orationis idem eſſe dicendum*. Quo modo vero auctor a motis dubiis ſe expedivit? mutatione totius loci, de quo ne verbum quidem nos intelligimus. Lego, inquit, igitur: et coniuncti (ſic ediderunt alii, ſubaudientes ab eo,) tutoribus curatores, ad curatores minorum verba pertinere. Quid hoc ſignificat? eſtne verbum *accipiunt* plane reiiciendum? ad minimum, ſi quis locum hunc ſecundum hanc formulam mutare vellet, plane non intelligi poſſet; quid cogitandum in hac formula: ad curatores minorum verba pertinere? quo modo cum praecedentibus cohaeret? Is laudandus, qui ex tota perſodo auctoris extorqueat ſenſum a aliquem.

Cap. VI. eſt annotatiuncula legis 5. §. 1. de rebus eorum qui ſub tutela ſunt.

Cap. VII.

Cap. VII. contra *Antonium Fabrum* demonstravit auctor, completionis actionem de non relicta legitima, non triginta, sed iam quinque annis praescribi, simul et contorsionem verborum legis 34. C. de inoff. testam ei exprobravit.

Cap. VIII. singularem auctoris opinionem, de actione publicorum nummulariorum Romanorum editionis librorum rationum exponit: eam actionem non statim si nummularius editionem reci saverit, sed tunc demum intendi posse, si is a magistratu imperata obedienter non fecerit?

Cap. IX emendationem *Bynckershoekii* legis 1. pr. D. de pact. reiicit, qui *inter eos*, in *inter reos* mutavit. Sine dubio verbum *eos* pertinet ad *homines*, quod per ellipsin est praetermissum.

Cap. X. est brevis lectionis Florentinae defensio l. 7. §. 8. D. de pact. et §. 3, 1. de Leg. Aquil. adversus *Antonium Fabrum*.

Cap. XI. de variis actionum praescriptionibus, quae templis aliisque locis sacris sunt, agitur. Tempore Imperatoris Theodosii iunioris nondum praeferebantur. Anastasius fuit primus, qui praescriptionem possessionis actionum templorum bonorum immobilium in quadraginta annos prorogaret. Iustinianus durationem non omnium, sed certarum, quae ad templa, monasteria, orphanotrophea, ergastula, ptochia, nosocomia pertinebat, actionum, primo centum annis extendit; quia vero mala exinde sequentia sensit, postea in Novell. CXXXI. cap. 6. tempus hoc XL. annis circumscripsit, sic tamen, ut simul praescriptio quadragenaria dein ad omnes actiones et iura templorum pertineret.

Cap. XII. quaestionem movit: sint ne quae instituto heredi a semet relinquuntur, ipso iure nulla? *Voorda* distinxit heredem unicum ab coheredibus. In priori tale legatum ab initio statim nihil valet, non tamen in posteriori.

Cap XIII. auctor locum notum legis 15. D de usufr. Proprietatis dominus nequidem consentiente fructuario servitutem imponere potest, sic intelligendum esse putavit, possessorem invito fructuario servitutem bonis imponere posse, eamque ob caussam *Reinoldum*, qui initio idem sentiebat, contra Perizonium defendit. Sed nos existimamus, id non esse leges interpretari, sed illis vim inferre. Quo modo his verbis affirmantem sensum, regulis constructionis observatis, tribuere A. potest? Ceterum analogiae fructuarii ea opinio plane repugnat. Domino non est ius minima ex parte minuendi fructum, quod tamen fieret, si ei liceret servitutem bonis inscio fructuario imponere. Nostro iudicio nemo eum locum melius *Noodtio* intellexit.

Cap. XIV. putat A. constitutionem Nov. 89. cap. ult. liberos ex incestu a parentibus non ali debere, de patre tantum, non autem de matre esse intelligendam.

Cap XV. examinat, quando, et quatenus heredi fiduciario, quem fideicommissarius hereditatem adire cogit, conditio, qua heres constitutus est, remitti debeat.

Cap. XVI. continet duas emendationes legis 3. C. de rest. mil. et quidem 1) in auctor. formula *possessionem vindicare permissum est;* verbum *possessionis* esse supposititium credit, quia suo iudicio praecedentibus, *quod tempore militiae de bonis alicuius possessum ab aliquo est*, contradicit. 2) Loco *contra eum institutum*, legit *contra ius constitutum*: illud sine dubio falsum; *quod*, hoc in loco non simpliciter significat quod, sed est *si quod*, potest igitur rectissime sequi *possessionem vindicare permissum est.* Nonne sensus perfectus oritur, si dixerim: si quod tempore militiae de bonis alicuius possessum ab aliquo est, possessionem (nempe eius, quod ab aliquo possessum est,) vindicare permissum est? Ita quidem. De altera vero emendatione dubitamus.

Cap. XVII.

Cap. XVII. confirmat propofitionem, ademtioni non ineffe novam legati dationem. Sed tamen et haec emendatio non eft neceffaria. Auctori lex 14. pr. D. de adim. legat. ex parte obfcura videtur, quanquum nou eft, fi eam in contextu examinaveris. Inter fervit ergo inter verba, *nam pure legatum*, verbum *quod*, et fic legit: nam quod pure legatum, quafi alius fenfus exoriatur.

In Cap. XVIII. lectionem legis 1. §. 2. D. de verb. oblig. fimilibus exemplis ex fcriptoribus claffícis defendit. Caput ultimum obfervationes continet fequentes doctrinae de donationibus, praecipue de iis quae morte fiunt. 1) Acceptatio eft neceffaria ad ratam donationem. 2) Unusquisque, cui licet teftamentum facere, etiam donationem in morte poteft conftituere. 3) De actionibus, quae de donatione mortis inftitui poffunt. Ceterum, emendationes nimium audaces nihil de huius collectionis dignitate detrahunt.

ANDRIANI VAN DORP, JCTI OBSERvationes ad quaedam Juris Civilis aliorumque Auctorum loca.

Traject. ad Rhen. apud Abraham. a Paddenburg. 1769. 168 pagg. in 8vo.

Adrianus van Dorp, Doctor Gymnafii Dorderaceni recte feceffionem fe a plerisque civibus fuis fecit, quibus plerumque critica quædam immodeftia adhæret. Continuata enim audacia recentiorum JCtorum Batavorum, mutandis lectionibus, effecit, ut fere omnes eorum libri, qui obfervationes criticus continent, quodam cum tædio legantur. In hac tamen collectione id non eft timendum. Auctor non verae

verae ſolum critices fines novit ſed illius regulas ſatis bene obſervavit. Finis autem eius non fuit numerum emendationum ſic vulgo dictarum, (quae plerumque ſunt coniecturae immaturae, praetereaque nihil,) augendi, ſed potius uſitatas et ab aliis impugnatas lectiones quorundam locorum iuris civilis, adverſus criticos ſuorum civium impetus defendendi. (Nobis vero eas tantum obſervationes, quae ad iurisprudentiam pertinent recenſendas propoſuimus, relictis veterum ſcriptorum diſquiſitionibus, quae maximam libri partem conficiunt, de quibus autem hic non eſt locus dicere.) Fatendum tamen eſt, auctorem ſaepiſſime ad propoſitum veniſſe finem, etiamſi verum ſit, feliciorem in refellendo, quam in interpretando fuiſſe, de poſterioribus quaedam examen non ſuſtinere videntur. Inprimis autem loca elegit ea, quorum latinitas vituperanda; eaeque obſervationes tanquam ſubſidium bonum ad *Duckeri* collectionem de latinitate veterum JCtorum poſſunt conſiderari. Auctor anonymus obſervationum Juris Civilis, Bynckershoekio, Schroedero, Watero, Arnaldo et Ruckero qui praecipui ſunt adverſarii, operam impendit. Raro, ſed etiam modeſte emendare audet. Paucis in locis novi quid ſe reperiſſe putat, ſed tamen non repetens, idem iam in aliis ſcriptoribus occurrere. Nos hic documenta nonnulla doctrinae auctoris proponemus lectoribus. Igitur pag. 2. verba obſcura leg. XII. §. 2. D. de furt. *et ſic fit, ut non teneatur furti, et agat*, interpretatus de caſu eo, ſi creditor debitori ſuo, aut domino pignoris, de iure ſuo propter pignus ablatum, quod pretio arrham excedit, ex furto agere ceſſiſſet: (quae tamen interpretatio veriſimilior non eſt quam Cuiacii in Obſerv. XVI. 30. et expreſſis quoque verbis legis repugnat. Nam quem in finem opus eſt creditori, cui pignus eſt ablatum, debitori actionem furti concedere? huic iam tanquam poſſeſſori competit ius agendi. Et poſito, pactum tale ſumamus, tamen difficultas maxima, quae latet in illis verbis, *ut non teneatur furti*, plane non tollitur. Dicere enim, debitori, tanquam

Digitized by Google

tanquam possessori pignoris, *si ipse fur esset*, actionem furti esse, absurdum est., Quis enim contra se ipse agere potest? *Ulpianus* in eo loco id solum demonstrare voluit, cui proprie sit potestas ablati pignoris accusandi? ius ille hoc et creditori, quia magno illi est usui, et domino pignoris, quia illi est proprium; et eam ob causam posterioris respectu addidit: *et sic fit, ut teneatur furti et agat*, nempe possessor. Quid si autem verba haec *non teneatur furti*, sic intelligantur, quod debitor creditori damnum, quod ex furto pignoris sibi contrahit dum pignus amittit, non restituere debeat, i. e. novum loco ablati pignus dare non debeat, quia furtum non tanquam casus adversus est considerandum, sed creditoris negligentiae imputandum. Nos quidem existimamus, hunc sensum bene convenire verbis. Rectissime non necessaria *Byncker shoekii* mutatio verborum in l. 2 pr. D. si quis caut. in iud. sist. non obt. eluditur. *Dorpius* observavit verba haec, *sed hoc ita*, contrarium propositionis antecedentis indicare, propterea que sensum legis esse hunc: non exigimus reum iudicio sisti, si negotium, propter quod sisti promisit iudicio, fuerit transactum; sed hoc ita, nempe verba, exigimus reum iudicio sisti, sunt repetenda, si non prius id negotium transactum sit, quam sisti oporteret. Parva mutatio l. 15. §. 15. D. de iniur suscepta pag. 32. ubi auctor loco *non* matronali habitu, *cum* matronali habitu legere mavult, est quidem modesta, cum librarii saepissime *cum* in *con* mutarint, ex posteriori autem facile *non* fieri potuerit. Nobis tamen, si totum locum in connexione perlegimus, interpretationis *Byncker shoekii* naturalis esse videtur, qui periodum: *si igitur non matronali habitu — iniuriarum tenetur?* interrogative accipit. Id quod pag. 35. contra *Schroederi* mutationem l. 2. §. 2. D. de his qui not. inf. dictum est, plane nostri *Puttmanni*, Professoris, defensioni eiusdem lectionis (Probabil. Jur. Civ. cap. V.) convenit. Et hoc est exemplo, nonnumquam doctos viros simul idem proponere, sine ullo tamen plagii crimine.

Annotatio pag. 45. eſt veriſſima, phraſin, *ſperare ab aliquo*, fideicommiſſis eſſe adhibitam, ut quoque ex *Pauli* Sent. IV. 1. 6. eſt demonſtratum; quanquam *Schultingius* et *Schroederus* id negarint, propistereaque hic in *Caii* Inſtitut. II. 7. 7. *imperavit* loco *ſperavit* poſuerit. *Waterus*, verbis l. 8. §. 3. D. de pignor. act. *ſtatim competit ei pacti conventio*, nullum ineſſe ſenſum putavit, eorumque loco poſuit: *ſtatim competit ex pactione venditio.* Sed rectiſſime *Dorpius* demonſtravit, eum ſenſum iam lectioni ineſſe receptae, et pacti conventionem loco pacti conventi eſſe poſitam, ergo non eſſe opus hac mutatione. In cap. VII. pag. 52. — 60. lectio nonnullorum locorum Pandectarum contra *Arnaldum*, imprimisque *Ruckerum*, eſt vindicata: v. c. l. 1. §. 1. D. ſi ex nox. cauſ. l. 17. D. de lib. cauſ. l. 16. §. 1. D. de acceptilat. et id genus alia. Cap. VIII. auctor *Noodtii* modeſtam emendationem l. 13. §. 1. D. de pignorat. act. adverſus *Wielingii* aliorumque obiectiones defendit. Pag. 103. &c. legimus et veriſimilem et iudiciosam interpretationem verbi *tingere*, quod in l. 8. D. ad L. Cornel. de falſ. de numis aureis eſt dictum. Auctor dicit: *tingere tum explico, ope liquoris imminuere verum auri pretium, et in aurum vitii quid addere*, et quocum expreſſionem *lavare* comparat, qua *Paulus* in Recept. Sent. lib. V. tit. 25. §. 1. eſt uſus. Sed eadem interpretatio fere etiam iisdem verbis iam in *Schultingii* Jurisprud. Anteiuſtin. pag. 541. edit. Lugd. reperitur.

OBSER-

Digitized by Google

OBSERVATIONES ASTRONOMICAE, ab anno 1717. ad ann. 1752. a Patrib. S. I. Pekini Sinarum factae cet. curante R. P. Maxim. Hell e S. J. Astron. Caes. Reg. Univ. Vindob.

Vindobonae, apud Nob. de Trattner, 1768. 4. mai. P. I. pag. 382. P. II. pag. 448.

Obſervatores a R. P. Hell in praefatione nominantur RR. PP. Pereyra, Koegler, Hallerſtein, Slaviciekius &c. Manu propria illas deſcripſit R. P. Auguſtinus Hallerſtein, e Provincia Auſtriae S. D. Pekini tribunalis mathematici Praeſes et Mandarinus, et Provinciae Auſtriae, in amoris teſtimonium, ac ſtudii aſtronomici, cuius in illa fundamenta iecerat, tributum, miſit. Id Manuſcriptum bibliotheca Collegii Academici S. I. Vindobonenſis ſervat, apographum ut quam emendatiſſime ederetur curavit R. P. Hell. Partes operis duas conditio obſervationum fecit. Prima complectitur quas ab anno 1717. ad annum 1746. inſtituit P. Ignatius Koegler, Hallerſteinii in muneribus quae diximus anteceſſor, (Eruditis notus per Scientiam Eclipſium ex Imperio et Commercio Sinar. illuſtratam, quae Romae 1747 in 4to prodiit) Is utebatur pendulo et micrometro Pekini fabrefactis, opere mediocri ſcilicet. Micrometrum adfixum habebat tubo $3\frac{1}{2}$ ped. conſtans filo horario et duobus parallelis, quae cochlea conſtringebantur et diducebantur; pendulum exigebat ad triangulum filare, ferreum, amplum, exacte in Meridiano conſtitutum, atque ut erat viſu admodum acuto, ſatis tute et accurate, organorum defectum diligentia compenſante. Teleſcopia habebat variae formae, et ſuis aliqua reticulis inſtructa. Eclipſes Solis et Lunae pleraſque obſervavit in obſervatorio publico, ubi tempora exiguntur, vel ad horologia manualia rotata, vel ad armillam

aequatoriam sex ped. in diametro, vel ad magnum sciatericum, et in armilla distingui possunt etiam partes minuti primi. Hae et aliae observatorii Imperatorum machinae, non tam ad accurrationem hodiernam Astronomiæ factæ sunt, quam ad Maiestatem. Eclipsium observationes in libello peculiari descriptas reliquit P. Koegler, unde hic eduntur; alias observationes in ephemeridibus Sinicis, quae quotannis prodeunt, insertis ad eum finem albis foliis, ordine dierum adnotavit.

Partis huius primae cap. I. continet eclipses solis et lunae, inde a lunari d. 21. Sept. 1717. usque ad lunarem d. 21. Oct. 1744. (quaedam earum leguntur etiam in scientia eclipsium, ut lunaris 22. Oct. 1725. &c.) Intersperguntur illis observationes eclipsium lunarium, a P. P. Soc. I. in variis Indiae orientalis locis habitae. Equidem observatores illi satis cogniti non sunt, et fere illa momenta saltim indicant, quae minus tuta sunt, initium et finem; interim possent ad locorum illorum longitudines definiendas adhiberi, donec meliora habeantur. Cap. II. habet occultationes stellarum a luna: Cap. III. congressus lunae cum stellis citra occultationem, ubi indicantur, vel distantiae parvae lunae a fixis, vel intervalla exigua inter culminationes lunae et fixarum. Cap. IIII. Simili modo habet congressus planetarum minorum inter se: Cap. V. Congressus eorumdem cum fixis: Cap. VI. Immersiones et emersiones Satellitum Jovis. Sequitur Index, post hunc dicitur de instrumentis, quibus observationes 1746 — 1752. peractae sunt. Horologium primis mensibus adhibitum est vetus, instructum cycloide et lente, praeter fixam, mobili, methodo Hugenii examinatum, ab initio per triangulum filare ferreum, item per tubum fixum, deinde per altitudines correspondentes Solis, ope quadrantis duorum pedum. Mense Julio 1748. novum horologium Parisiis adlatum est, nullis alterationibus obnoxium, praeterquam a calore et frigore. Sub finem anni 1752. acceperunt horologium ab his etiam mutationibus immune: Micrometrum habent Hireanum, cum

Digitized by Google

tum additamento, quo filum horarium circa axem tubi gyrari poteſt. Nunc agitur de Pekini longitudine. Reperitur vero ex 22. P. Koegler obſervationibus circumiovialium, Pekinum 5 hor 44 min. 14 ſec. 55 tert orientalius Petropoli. Haec differentia meridianorum examinatur etiam comparando inter ſe immerſiones aut emerſiones, non easdem utrinque obſervatos, ſed una aut pluribus revolutionibus Satellitis diſtantes, item eclipſi lunari; quibus omnibus ita inter ſe convenit, ut inter pauca ſecunda certa ſumi poſſit quam adduximus. (In Ephem. Vienn. 1772. ſtatuitur 5 hor. 44 min. 10 ſec.) Sunt praeterea in accurate aeſtimandis his meridianorum differentiis, diſtinguenda obſervatoria imperiale, et Societatis P. Carol. Slaviczeck, magna diligentia, et repetitis vicibus dimenſus eſt muros urbis Pekinenſis, et ichnographiam deſcripſit; hinc reperitur, meridianos obſervatoriorum, imperialis et collegii, diſtare decempedis 575. quibus in parallelo Pekinenſi reſpondent 14 ſecunda temporis medii, addendis differentiae meridianorum ante exhibitae inter obſervatoria Petropolitana, et Pekinenſe collegii, ut inter obſervatoria utraque imperialia, differentia ſit 5 hor. 44 min. 30 ſec. Sequitur de ratione pedis Sinici regii, ad gallicum regium. Pedem illum Sinae vocant *Ing – ſao – chi*, ſive *Ing – ts'ao – tchi*, quaſi dicas pedem aedilitium; vocant item *Kuon – chi* pedem communem, publicum, regium, pedem Imperii; et appellatio certior eſt, et menſura conſtantior, quam quod dicunt *Jang – ſin – tien – chi*, quaſi dicas pedem aulicum, quo ſcilicet artifices aulae ſervitiis addicti utuntur, quemque dicunt, intra annos non admodum multos, ſaepius mutatum, ſive ad arbitrium principis, ſive ad menſuram archetypam reſtituendus fuerit. Nam qui ex menſura archetypa, ſuas deſcribunt, ſenſim minores faciunt, ut eſt ingenium artificum Sinenſium. Pede Sinico regio uſus eſt P. Hallerſtein, deſcripto in lamina cuprea ſolida, diviſo more gentis in partes decem, quarum extrema diviſa eſt per lineas transverſales, in partes

 100 ſatis

100 ſatis viſibiles, ut harum etiam dimidium diſtingui poſſit, lente ſaltim adhibita, et circino etiam capi. Pedem Gallicum, olim miſit Ac. R. Sc. Pariſina. Medium ex comparationibus repetitis eſt, eſſe pedem Sinicum ad Pariſinum ut 1000000 : 1014269, quae ratio certa eſt ad partem centummilleſimam. Menſuram quinque pedum vocant Sinae *Pu* paſſum, et menſuram 10 pedum *Cham*, ſive *Tchang*; 360 paſſus, ſive 180 decempedae, faciunt ſtadium, quod vocant *Li*. P Antonius Thomas, olim menſus in planitie Pekinenſi gradum unum, tribuit illi ſtadia Sinica 195 $\frac{1}{8}$ ſive 35130 decempedas. Latitudo geographica Pekinenſis determinata eſt de novo, quadrante recens e Gallia advecto, a dom. Langlois conſtructo, radio quatuor pedum. Illo captae meridianae altitudines lucidae Lyrae, Capellae, et β Aurigae, quoniam hae magnae altitudines et a refractionum periculo immunes ſunt, et ſimul errorem quadrantis detegere poſſunt. Correctis obſervationibus, per Aberrationes, Nutationes, et Refractiones, et pluribus inter ſe comparatis creditur ultra tria ſecunda non aberrari, ſi elevatio Poli collegii Pekinenſis ſtatuatur 39° 54′ 0″; quanta iam longo tempore aſteriſmo notata habetur, in *Connoiſſance des Tems*, etſi non conſtet, quibus illa obſervationibus nitatur. Obſervatorii imperatorii parallelus borealior eſt parallelo Collegii 240 decempedis Sinicis, unde eius elevatio poli 25 ſecundis maior. Habent etiam inſtrumentum culminatorium, Londini fabrefactum, initio anni 1756. ad uſum conſtitutum. Eius poſitus docetur quomodo examinatus ſit per ſtellas, quarum differentia rectaſcenſionum parva eſt, magna declinationum.

Sequitur Pars II. continens obſervationes ab anno 1746. ad 1752. ipſius Hallerſteinii. Digeſtae ſunt eodem ordine, quo illae partis primae, multo vero exactiores, utpote melioribus inſtrumentis factae. Finem illis imponit via et ephemeris Cometae viſi Pekini 1748. Primum illum conſpexe-

ſpexerunt qui ex officio in Specula Aſtroptica regiae excubant, locum in armilla Zodiacali rudiuſcule notarunt in gradu 18 Piſcium lat. bor. gr. 27; nempe in pectore Pegaſi ſub Stellis λ et μ. Tranſiit deinde Cometa loca, aut vacua Stellis, ut quorum Stellulae ſatis definitae non haberentur, unde non multa de eius ſemita certo potuerunt ſciri; ultima vice obſervatus d. 18. Jun.

Gratia magna debetur Sodalibus Ignatianis, quod ex ultimo oriente, ad ornandam augendamque Aſtronomiam ſymbolas ſuas conferant. Quod qui fecerunt, cum Germani plerique ſint, duo certe noviſſimi tribunalis mathematici praeſides ſimul communis patriae gloriam illuſtrarunt. R. P. Hell, quod, quam partem temporis potuiſſet obſervando et inveniendo impendere, edendis collegarum laboribus dare voluerit, ea re benevolum animum, et ad publica commoda paratum, illis oſtendit, qui quod propius virum non noſſent, hanc eius indolem ex aliis ſpeciminibus nondum ſciebant.

JO. DAN. TITII, IN ACAD. WITTEBERG. Phyſ. Prof. Ordin. de electrici experimenti Lugdunenſis inventore primo, Commentatiuncula.

Sextus et quadrageſimus huius ſaeculi annus agebatur, quo electricitas, detecta illam intendendi methodo maxime ſimplici, nova eaque inſignia prorſus caperet incrementa. Phialae ſcilicet vitreae filum inſeritur metallicum, conductori electrico coniunctum, cuius ope virtus electrica aquae intus contentae communicatur. Quo adparatu, dum altera manu phiala tenetur, alterius autem digito ſcintilla ex filo aut ex conductore evocatur, electricitas concuſſiones corporis ſubitaneas forteſque excitat. Ampulla quaſſans inſtrumentum hoc dici conſuevit; et experimentum, ſive a loco

loco unde eius prima notitia exiit, Lugdunense, sive ab autore, qui primus illa usus esse fertur, Muschenbroekianum.

Nempe initio anni 1746 Muschenbroekius huius experimenti feliciter suscepti rationes Reaumurio exponit, datis ad eum literis, quas Gralathus, illustris quondam Reipubl Gedanensis Proconsul, et Societatis Physicae ibidem Director, in sua electricitatis historia prolixe recenset. (*Versuche der Danz. Nat. Gesch. T. I. p. 428. sqq.*) Novam hanc experientiam Muschenbroekius plane terribilem vocat, integrum cum artubus concutientem corpus, pulmones opprimentem, minatam periculum, nec sine quodam mortis metu suscipiendam. Similia fere Alamannus, Prof. Math Lugd. in epistola ad Nolletum repetit, ad experimenti iterationem Muschenbroekium addens nullatenus adduci posse. Idem d. 4 Febr. 1746. regiam quoque Societatem Londinensem, novum hoc, interprete Trembleio, docet phaenomenon; cui eam ob caussam tam Parisiis, quam Londini, novum, nec incongruum, experimenti Lugdunensis nomen impositum est. Docti enim nonnulli, rei, quam adeo mirabilem intelligebant, inventionem, Muschenbroekio, aut Lugdunensi, unde profecta erat, civitati tribuebant; tribuebant et alii, ut docti viderentur.

Sic experimento nomen et famam pavor comparavit, ex eodem susceptus, qui eruditos Lugdunenses adeo ceperat, ut literis eum ad exteros minime reprimere potuerint: in hoc maiori quemvis periculo versari arbitrati, quo feliciore illius experimenti successu uteretur. Quod cum doctorum hominum unus, alter, tertius, simili confirmarent modo, allatis quorundam, male quibus ceciderat, exemplis; deserta propemodum fuisset praestantissima haec inventio, nisi alii contra physici, metu ex illorum, quos occupaverat, mentibus feliciter excusso, bono esse animo iussissent, et metum tandem multorum, paucorum oppressissent virtute.

Sed

Digitized by Google

Sed iam eo, quo experimentum in Belgio innotuit, tempore, de inventore controversia erat. Muschenbroekius atque Alemannus, ille, quod primus Lutetias Parisiorum perscripserat, hic, quod socium instituti biduo ante experimenti sibi illum adiunxisse videbatur, uterque autores habiti sunt. Mox explorata rei historia, primum experimenti tentamen praeclaro Lugdunensium civi, Cuneo, modestissimo homini, et arti experiundi dudum intento, deberi, non solum Alamannus peculiari epistola ad Nolletum fassus est, *(Mem. de l' Acad. des Sc. de Paris, Ann. 1746. p. 3.)*; sed idem quoque d. 8. Maii 1746. ad celebrem Physicum Gedanensem scripsit, hunc fere in modum: Quod ad huius inventionem experimenti, ad Muschenbroekium illa neutiquam referri potest. Is enim imitatus modo est experimentum, ab nostrate quodam illustri cive, Cuneo, sibi communicatum, qui medio iam (forte exeunte) anno superiore in illud casu atque ingenio inciderat. Neque electricitas sic aucta, ut inveniatur, tam arduo indiget scrutinio, quin cumulatis experimentis detegere, novisque ilam augere observationibus aliquis posset. Allegata historia electricitatis Gralathana uberius haec expromit. *(Vers. der Danz. Nat. Ges. T. II. p. 427. 431. sqq.)*

In qua quidem re, si certi statuere quidquam licet, Cuneum in Belgis primo experimentum suscepisse, mox Alamannum, postremo Muschenbroekium idem repetiisse atque emendasse, concedendum est. Quod cum et ipsa inventi memoria, et virorum epistolis doctorum manifestum sit, mirari subit, cur anonymus historiae electricitatis compilator Gallus, *(Hist. générale et partic. de l' Electr. P. I. p. 29.)* exactis sex annis, Muschenbroekio inventum hocce rursus tam inepte afferat, ut illustris Gralathus sibi temperare non potuerit, quin hominem, in clarissima coecutientem luce, suis ipsius et historiae argumentis confunderet. *(c. l. p. 431.)* Meliora edoctus Cl. Josephus Priestley, in historia, electricita-

tis primum experimenti tentamen Cuneo tribuit, casu in istud incidenti. *(History and present state of Electr. p. 81.)* Sed Germanorum, aliorumque praeter Gallos exterorum, de electricitate merita, id quod Anglis familiare est, plerumque ignorat.

Haec de primo in Belgio inventore. Tantum autem abest, ut is primus etiam inter ceteras Europae gentes dicendus sit, ut potius Germania habeat, cui fortuitam merito hanc debeat inventionem. Etenim Generosus et Reverendus Dominus *de Kleist*, Eques Pomeranus, Caminensis Capituli Canonicus eiusdemque Decanus, pro suo, quo est in scientiam naturalem, praesertim experiundi artem, studio, idem hoc phaenomenon vergente anno 1745. casu invenerat, inventumque dein, derivata inde primaria electricitatis propagandae et intendendae affectione, literis ad amicos suos passim declaraverat. Etenim d. 11. Octobr. 1745. cum phialam pharmaceuticam, aqua ad dimidium repletam, inserto metallico clavo electricam faceret, altera eam tenens manu, altera ex clavo aut ex conductore scintillam eliceret, vim electricam tam fortem deprehendit, ut valida membrorum concussione corriperetur. Deinde die 4 Novembris, itemque d. 14 Decembr. eiusdem anni 1745 de inopinata hac et mirabili experientia certiorem fecit Cel Lieberkühnium, tum Med. Doct regiae Societatis Berolinensis Socium, ibidemque Professorem; cuius ex literis d. 18 Novembris eiusdem anni datis, de praestantia inventionis cum perspexisset sententiam. interiectis aliquot diebus d. 28. Novembr. Gedanum scripsit, ibidemque V. R. Paulo Swietlickio ad d. Johannis Pastori, et Societatis Physicae Gedanensis Sodali, inexpectatae huius rei eventum nunciat, quem Societas, statim eius particeps facta, cum optato tandem successu repetiit. Imo scripta d. 19. Decembr ad Krügerum, Med. Doct. et Professorem Halensem, epistola, ignorare eum hanc noluit Kleistius experientiam.

Ad

Ad fidem rei plenius faciendam, ipsa Kleistii pericula, quae super invento hoc tum temporis fecit, paucis attingam, et tradam exteris, ut latine forte legant, quae germanica quia ignorant, contemnunt. Potiora ex elegantissima Gralathi historia electrica, *(Danz. Verf. T. II. p. 406. sqq.)* quin ex ipsis Societatis Physicae Gedanensis allegatis ibidem tabulis, lubet depromere. Literae Kleistii d. 28. Nov. 1745. Gedanum scriptae, sequentia habent: 1) Clavo aut filo metallico in vitrum parvum, quo pharmacopolae utuntur, immisso, electricitas sic intus congregatur, ut fortissimos, praesertim si hydrargyrum aut aqua inest, effectus praestet. 2) Ex clavo vi electrica sic imbuto scintilla elicita, brachia et humeros elicientis vehementissima afficit concussione. 3) Tubus electricus impositus serico, hac adhibita phiala, multo intensiorem accipit electricitatem, quam per vitreum globum solum. 4) Tubus tenuis metallicus longitudinis 15 pedum, in quem electricitas e vitreo globo traducitur, admota phiala cum clavo eidem inserto, vim electricam emittit tantam, quantam, nisi qui expertus est, nemo credat: tantam omnino, ut Bosius venerandae suae in pice Veneris basia certo extimesceret. 5) Phiala adhibita breviore, 2 pollicum circiter longitudine, scintilla ex clavo versus digitos intra sphaeram activitatis constitutos transmittitur. 6) Ampulla colli tenuioris valida percussione fracta est. 7) Phiala, sic mediante clavo electrica facta, si alii corpori, sive per se electrico, sive non electrico imponatur, effectus admodum exiguus oritur.

Nuncio hoc Gedani accepto et praesertim ill. Gralathus, ne in re tam nova et foecunda Societatis studium desideraretur, hoc statim iterare experimentum coepit. Sed, sive quod relatio paulo esset obscurior, sive quod novitas facti exploratores minus exercitatos offenderet, eventus expectationi illico non respondit. Agebantur haec d. 14. Decemb. 1745. Quae cum Kleistius ex responsoria Swietlickii re-

ſciviſſet, d. 24. Febr. 1746. Gedanum reſcribit, miratus, amicos ſuos ſucceſſu facti tam veri et manifeſti deſtitui; percuſſiones ſe iam producere adeo vehementes, ut nemo illas ſecunda vice cupiat ſuſtinere; ſe nunc ampulla vitrea aliquot pollicum diametro uti, ſpiritu vini intus contento, et inſerto per collum filo metallico craſſiore; cetera — Reſumebat Gralathus experimentum, ſibique, erroris ne quidquam ſolus committeret, ſocium ſeligebat ampliſſ. Reygerum, Societatis Phyſicae membrum, cui tandem d. 5. Mart. 1746. contigit, cum altera manu phialam prehendiſſet, altera autem ſcintillam ex clavo ad conductorem electricum admoto elicuiſſet, ut ſenſu concuſſuque correptus moleſtiſſimo, experimenti indolem adparatumque detegeret. Idem, cum ſaepius per ſummam dexteritatem facerent Gralathus et alii, ſemper tam belle ſuccedebat, ut illud feciſſe viderentur quaſi theoria et legibus electricitatis admoniti. Plura, eaque egregia, ill. Gralathus cum ſocio Reygero experimenta ſub hoc tempus inſtituerunt, quae citata in electricitatis hiſtoria ipſe copioſe enarrat. *(Danz. Verſuche T. II. pag. 411.)*

Quamvis tanta Kleiſtio eſſet modeſtia, tanta laudis abſtinentia, ut ipſe huius inventi nullam publice mentionem faceret: tamen qui deſcriberent et ſub idem fere tempus orbi erudito exponerent, non defuerunt. Primam eius et luculentam deſcriptionem, ut dixi, Gralathus dedit; nam inter experimenta electrica, quae annis 1745. et 46. in Societate ſibi ſumſerat perſequenda, integrum caput II. huic invento deſtinavit, illudque ſub elogio plectri electrici Kleiſtiani, *(der Kleiſtiſchen Verſtärkungsmaſchine,)* ab primo eius ortu ad poſtremam usque perfectionem diſquirit. *(cit. loc. T. I. p. 512 – 519.)* Per eam quoque occaſionem Nolleti litteras d 8. Maii 1746. ad Generoſ. Sam. Wolff, Societatis Gedanenſis Sodalem, ſcriptas allegat, in quibus ſequentia habentur. Academia Scientiarum Regia Lugduno accepit noti-

notitiam experimenti electrici, quod effectus in corpus humanum terribiles exserit, et prorsus illi congruit, de quo literis Gedanensium certior factus sum; adeo, ut idem mihi per Gedanensem experientiam innotuisset, nisi acceptis Lugduno litteris illud antea mihi fuisset relatum. *(cit. loc. p. 520.)*

Gralathana electricitatis historia, ipsisque Societatis physicae Gedanensis tabulis usus Cl. Hanovius, primam experimenti inventionem ad Kleistium revocat, cum in physica sua sermonem de illo faceret. Equiti, scribit ille, Pomerano, de Kleist, primum indubie in mentem venit hoc experimentum, periclitanti 6. Id. Octobris 1745. quid futurum esset, si clavum ferreum, qui ad manus erat, obvio vitro, angustia colli ad medicamenta guttatim inde petenda facto, cui ultra medium ventrem mercurius inerat, immitteret, eumque imbueret vi tubi electrici. Altera manu tenens vitrum, alterius digitum vel clavo offerens, vel tubo ferreo, cuius ope factus erat electricus, valde pungentem sensit scintillam. Deinde ampullae largiori infundens spiritum vini, eique immittens filum metallicum globo insertum plumbeo, excitata similiter vi electrica, elicita scintilla percussus est adeo, ut brachia et humeri concuterentur. Testata est apud nos, et passim in Germania, huius inventi memoria, ut omni dubio sit maior. *(Hanovii Physica dogmat. T. I. §. 787. schol.)* Addit §. 788. Kleistio post 8 dies in ampulla electricitas superfuit, et ad plures scintillam evocantes transiit concussio. Hactenus ille. (Cf. Literae Kleistii ad Krügerum A 1745. et 1746. *Gesch. der Erde in den ältern Zeiten, im Anhange p. 177. sq.)*

Cuius inventi historiam quo attentius considero, quoque diligentius ad eius ortum et successum explorandum me confero, eo magis de illo ad Lugdunenses perlati suspicio nuncii mihi insidet. Ineunte Novembr. 1745. experimen-

ti cognitionem habebant Berolini Lieberkühnius et ipsa Regia Scientiarum Academia, Halae Krugerus, Gedani Swietlicki et Societas physica, aliique. Iam de eius effectu docti illi viri solliciti erant, literisque suis passim monebant alios. Ecquis sibi non persuadeat, rei famam velociter ad exteros quoque, eos praecipue pervolasse, qui ornandae et amplificandae electricitati laudabiliter operabantur. Certe Cuneum, praestantissimum hominem, per literas Gedanensium primam huius Kleistiani inventi notitiam, etiamsi obscuram, accepisse et felici illius, quum suo nunc Marte tentaret, successu gavisum esse, quin credam, adduci haud possum. Societas quidem physicorum Gedanensium, si ab eruditis recedo, mercatores habet quosdam ingenio pollentes socios, maximeque curiosos, quorum commercio litterarum Belgico inventi rumor ineunte Decembre, sive Amstelodamum, sive Lugdunum perferri potuit. Nonne eiusdem societatis gravissimus Sodalis, Cl. Hanovius Prof. Philos. Gedan. suo lectores testimonio in suspicionem citato loco sponte adducit? Scripsit quidem, sunt eius verba, solus Prof. Alamannus A. 1746. d. 8 Maii Gedanum, Cuneum, civem Lugdunensem, medio anno superiore fortuito incidisse in tale experimentum. Sed illud plane in medio relinquendum est, cum is dicatur intimus esse amicus et Alamanni et Muschenbroekii Cell. Prof. quorum tamen neuter id ante Ianuarium 1746. suo examini subiecit, neque ipse alium eius rei testem adduxit. Concedi Alamanno posset, *Cuneum in Belgio forsan literis Gedanensium monitum*, id ibi prius imitatum esse, quam Alamannum, et paulo post Muschenbroekium.

Plures eiusdem inventi dari Autores, non repugnat. Quod enim inventum unius hominis vires non superat, id neque aliorum, si in illius detectionem pari intenduntur successu, excedet. Attamen nec negandum est, illum dici autorem primum, ante quem nemo idem inventum, neque in

anim-

animo habuit, neque divulgavit. Cui itaque primae inventionis partes deferendae sunt, eum oportet suum inventum, quod nondum prodidit, testibus fide dignis coram exhibere, aut perscribere literis, ne quis alius idem antea iam perspexisse persuadere ignaris possit. Et secundum has plane regulas, Kleistius in experimento suo versatus est qui adeo primus inventor iure dicitur, etiamsi solus non esset. Lugdunenses, quo inventum hocce suum faciant nihil habent, nisi quod sibi incognitam fuisse Kleistii detectionem dicant, seque ab nudae imitationis suspicione liberent; id quod factu haud facile videtur.

Ut Kleistius diu ante, quam egregium detegeret inventum tentaminibus electricis operam dederat: sic plurima quoque electricitatis phaenomena iam illo perspecta tempore habuit. Namque instituta ab aliis experimenta, indefesso studio, et mutata saepe forma, cum repeteret, saepe in novum quendam sive operationis, sive explicationis modum incidit. Sic fere inter primos fuit, qui vitreos globos aut murrhina pocula, per affrictum internum coriacei pulvini electrica fecit, et electricitatem vitro permeabilem esse ostendit; qui electricitatem tanto fortiorem expertus est, quanto maior corporis vi illa affecti massa esset; qui machinam electricam portatilem construxit, omnemque electricitatis adparatum in angustum quasi compendium coegit; qui varios excogitavit atque perfecit in exprimendis imaginibus, literis, et figuris, lusus electricos, quales postea Franklinus plures descripsit. *(Briefe von der Electr. p. 36. 37.)* Quinimmo attentioni viri Generosi, post phaenomeni inventionem, multa patuerunt, quae cum eruditis communicavit; ex quibus, quam recte suo fuerit invento usus, praesumi potest. Concussionem nempe aut plane impediri, aut insigniter minui sensit si lagena extrinsecus humida sit; si quam rimam, ut vis elabatur electrica, egerit; si aqua intus

tus contenta, ab corporis extrinsecus vitro adiacentis contactu non caute satis intercludatur. Validitatem electricitatis tam ampullarum amplitudine et multitudine quam reliquo conductoris vitreique globi adparatu auxit; auctam ex ampulla agnovit, quando aqua intus lucere in tenebris, ardere, et fulgurare incipit, scintillarum strepitu atque lumine vel de die perceptis: qua occasione saepius ampullae quaedam inventori fractae sunt. Vini spiritum scintilla electrica momento citius incendit; circulum electricum concutientis ictus inter plures homines in serie collocatos diduxit, propagavitque sic electricitatem pernicissimo motu. Praeterea alios insignes iuvandae electricitati conatus suscepit, quos doctissimi homines, Gralathus, Winklerus Kratzenstei-nius, Ludolfus, aliique, in scriptis suis uberius commemorant.

Quanta itaque fides iis, qui in editis a se scriptis Muschenbroeckio et Lugdunensibus inventionis laudem omnem tribuunt habenda sit, ex adductis facile colligitur. Et exteros quidem, ad quos fama Germani inventoris et nomen non pervenit, ob huiusmodi errorem non aeque reprehendi debere existimo, ac ipsos Germanos, qui plectrum Kleistii electricum, seu ampullam eius quassantem, ex Societatis Gedanensis Physicae Commentariis ab anno inde 1747. cognoscere potuerunt. Qui Kleistio debitum inventionis honorem post Gedanenses habuerunt, paucos tantum novi, ut ill. Kaestnerum, (*Hamb. Mag. B. XVI. p. 39. et alibi,*) Eberhardum, (*Naturl. p. 466.*) Krügerum, (*Anhang zur Gesch. der Erde, p. 177.*) Krünizium, (*Schriften von der Electr. p. 72. 75.*) quorum in partes et ego semel atque iterum descendi, quoties de invento hocce sententiam declarandi subnata mihi esset occasio. (*vid. Contenta Philos. Transact. Vol. 49. P. II. p. 2. edit. Witteb.* item *Wittenb. Wochenbl. 1770.*) Fortuna Grayo, si diutius in vivis fuisset,

ſet, omnium forte primo electricitatis hanc miniſtram, ſic appellamus ampullam, crediſiſſet, quippe qui levem iam A. 1735. punctionem ſtridentemque ſcintillam ſenſit, quum aquae, in quam electricitatem congregaverat, digitum propius adhiberet. Contendit Grayus, augeri his poſſe experimentis electricum ignem, cui certe eadem atque fulminibus proprietas eſſe videatur. *(Philoſ. Tranſact. No. 436. Abridg. by Baddam T. X. p. 95.)*

DE LECTIONE NONNULLORUM LOCORUM in Phaedone Platonis Coniecturae.

Etſi libido eorum et audacia nobis non probatur, qui in ſcriptis veterum nimis ſunt proni ad corrigendum, quicquid vel rarum et minus notum ſibi videatur, vel a legibus diligentiae et elegantiae abhorrere, quas Auctorem aliquem ſemper et ubique ſecutum eſſe ſatis ſuperſtitioſe putant: procul tamen abeſt, ut omnem, qui in locis quibusdam corruptis emendandis et reſtituendis aliquam operam adhibeat, tanquam temerarium et vanum, qui omni caſtigatione ſit digniſſimus, condemnemus; ut potius modeſtum, qui non ſtatim ſui ingenii inventa aliis tanquam Apollinis oracula certisſima obtrudi velit, aut in textum recipi, niſi tandem auctoritas codicum acceſſerit, laudemus et probemus. Quare cum coniecturas *de locis quibusdam Phaedonis Platonici*, qui quidem nobis laborare videntur, proferre decreverimus: nos, ſi non laude et ingenii acumine, quod in hanc noſtram imbecillitatem non cadit, dignos certe venia eſſe cenſemus propterea, quod eas vel admodum leves, quae Platoni ipſi invito vim magnam non afferre videntur, exiſtimamus, vel certe adeo incertas, ut nemini obtrudi velimus. Quid vero? dicet fortaſſe aliquis, habere nos Phaedonis editionem, opera, induſtria, et ingenio *Fiſcheri* Viri Ampliſſ. ſatis cultam, et a vitiis repurgatam, noſtram igitur

operam frustraneam esse videri. Nae uti in aliis speciminibus Viri doctissimi industria et diligentia iam dudum est comprobata et stabilita, ita Phaedonis editio, inprimis quae iterum nuper hac in urbe prodiit, satis editoris diligentiam et ingenium ostendit. Verum ut etiam in corpusculo, quamvis nitido et pulchro caeterisque praestante, quaedam maculae interdum reperiuntur, vel certe quibusdam videntur: ita nec magis succensebit Fischerus, si interdum ab eius lectionibus recedimus, quam Zeuxis ille egregius pictor, si quis sutor accesserit, qui calceos reprehendere audeat, praesertim cum non contra ipsum Virum praestantissimum disputemus, sed de lectionibus quibusdam, quae vel incuria librariorum, vel audacia grammaticorum, irrepsisse videntur, dubitemus.

Primum cum Plato saepe parentheses ponat, ad intelligentiam tironum magis pertineret, si illae enunciationes accessoriae et insertae lineis, quibus parentheses includi et significari solent indicatae essent, v. c. p 149 l. 4. editionis ante laudatae, quam hic tantum spectamus, verba πλησίον γὰρ ἦν τοῦ δεσμωτηρίου, et lin. 20. γιγνώσκεις γάρ. Etsi his in locis magna obscuritas oriri non potest, neglectis illis signis: tamen p. 152. l. 1. nisi verba ἐντείνας — — — πρῴιμον parentheseos notis seiunxeris a caeteris, facile fieri potest, ut tiro participium ἐντείνας referat ad antecedens πεποίηκας, verbaque Cebeti interroganti affingat, quae sint tribuenda Phaedoni narranti. Similiter eadem pag. l. 7. εὖ οἶδα γὰρ ὅτι ἐρήσεται signis parentheseos sunt notanda. Item pag. 173. lin. 7. Sed de parenthesibus satis, accedamus ad lectiones ipsas.

Sub finem capitis III pag. 151. recte cum Stephano cel. Fischerus, repudiata lectione εἶχεν δή, reposuit ἐκεῖνο δή, nisi quis malit legere νῦν δή, quae particulae saepe coniungi solent, praesertim cum ἐκεῖνο saepe omittatur. Pag. 154. l. 10.

l. 10. recte probat cel. Fischerus Stephanianam lectionem μέντοι pro μὲν, quia leges linguae, et elegantia Platonica vulgarem repudiant, nam nihil sequitur ad quod referatur. Initio capitis VI. verba κατὰ τί δὴ sana quidem esse censemus sed interpretamur per πῶς δὴ, *quo sensu tandem*. Nam cum κατὰ, accusativo iunctum, significet normam et regulam, ad quam res fiat vel facta sit, et commodus ita oriatur sensus: non videmus, cur a vulgari recedamus consuetudine. Pag. 156. l. 4. locus corruptus occurrit, qui aliis aliter est tentatus. Exponitur hic sententia Pythagoreorum, qui caedem sui ipsius nefas esse docebant. Hic Socrates, ἴσως μέντοι ait, θαυμαστόν σοι φανεῖται, εἰ τοῦτο (caedes sui, ἑαυτὸν ἀποκτιννύναι,) μόνον τῶν ἄλλων ἁπάντων ἁπλοῦν ἐστι, καὶ οὐδέποτε τυγχάνει τῷ ἀνθρώπῳ, ὥσπερ καὶ τἆλλα ἔστιν ὅτε καὶ οἷς, βέλτιον τεθνάναι ἢ ζῆν. Nolumus recensere interpretum sententias, quae facile inveniri possunt apud cel. Fischerum. Ipse V. Clar. ἔστιν ὅτε per *interdum*, et οἷς per *nonnullis* interpretatur, interpungitque post οἷς, quem casum putat pendere a verbis τυγχάνει βέλτιον, ita ut sensus loci sit hic: *fortassis vero tibi mirum videbitur hoc unum*, (sibimet inferre manus,) *in reliquis omnibus unius esse eiusdemque modi, et nunquam homini, ut caetera nonnunquam et nonnullis utiliora sunt, utilius esse mori quam vivere.* At vero quanquam docte et subtiliter conatus est docere suam sententiam: verba tamen inprimis sequentia οἷς δὲ βέλτιον τεθνάναι obstant, quo minus auctoritatem Viri hic sequamur. Nam his aperte significatur nonnullis esse interdum utilius mori, quam vivere, id quod tamen in proxime antecedentibus verbis, e ratione Fischeriana, plane negatur. Tantam repugnantiam acutissimus Plato committere nullo modo potuit. Fortasse locus ita sanatur, si primum comma post οἷς deleatur, et reponatur post τἆλλα, deinde ante ἔστιν rescribatur ἐὰν: aut si cui hoc ob sequentem indicativum nimis durum videatur, εἰ ἄρα seu εἴγε, quae particula facile potuit excidere ob

ſimilitudinem vicinarum ſyllabarum. Sed ſi interpoſitio particulae diſplicet, transponatur particula ἅτε in locum ἐςὶν: et ſenſus erit ſalvus. Noſtra ratio comprobatur auctoritate Simplicii ad Epictet. p. 63. edit. Salmaſ. qui magis ſenſum univerſum exprimit, quam ſingula verba ſuperſtitioſe ſequitur. Nam ſcribit, ὥσπερ καὶ τὰ ἄλλα πάντα, ὅτι καὶ βέλτιον τεθνάναι ἢ ζῆν. Igitur τυγχάνει non cum ſequentibus βέλτιον τεθνάναι iungendum eſſe cenſemus, ſed ad antecedens τῦτο i. e. ἑαυτὸν ἀποκτιννύναι referendum, ita ut verba καὶ οὐδέποτε - τἆλλα contineant uberiorem explicationem antecedentium τῦτο μόνον - ἁπλῦν ἐςι: talis exergaſia apud Platonem, inprimis in hoc dialogo, admodum frequens reperitur. Τυγχάνειν enim cum dativo perſonae ſignificat *accidere*; dicitur in rebus, quae non ſimpliciter et neceſſario fiunt, ſed temporibus, locis, perſonis, et conditione rerum reliqua, variantur; conf. Cl. Fiſcherus ad Aeſch. Dialog. Totum autem noſtrum locum ita interpretandum eſſe exiſtimamus: *At fortaſſis mirum et abſurdum tibi videbitur, ſi ſtaturro, hoc de caede ſibimet ipſi non inferenda praeceptum, ex caeteris omnibus, quae* ἀδιάφορα *exiſtimantur, et modo turpia modo honeſta deprehenduntur, ſolum eſſe ſimplex (non* ἀδιάφορον*, ſive, modo licitum modo illicitum,) nec ullo tempore ita homini accidere ut caetera, etiam ſi interdum tempora inciderint, cum quibusdam ſit utilius, (veluti ob dolores corporis et animi, vitaeque humanae miſeriam et calamitates,) mori quam vivere. Sed quibus mors utilior ſit, aeque mirum fortaſſis tibi videbitur, ſi dixero, his hominibus fas non eſſe, hoc beneficium ſibi tribuere, vitaque miſera ſe liberare, ſed ipſis eiusmodi beneficii auctorem exſpectandum eſſe alium.*

Pag. 163. ſub finem, lectio Meihomii et Ficini, qui pro ἡμᾶς volunt legi ὑμᾶς, ut hoc pronomen referatur ad Cebetem et Simmiam, minus idonea eſſe videtur. Namque primum cum σοὶ et ἐμοὶ praecedat, Socratesque tantum Simmiam

Simmiam alloquatur, ſenſus poſtulat pronomen, quo ipſe comprehendatur Socrates. Deinde cum de rebus indagandis et cognoſcendis ſit ſermo, modeſtiae Socraticae et ironiae convenientius videtur, ſe ipſum ſocium indagationis oſtendere; ut nihil dicamus de prima, quae ſtatim ſequitur, verbi perſona, σκοπῶμεν. Pag. 173. l. 5. φοβοῖντο et ἀγανακτοῖεν leguntur pro φοβῶνται et ἀγανακτῶσι, quia particula δὲ copulantur cum antecedentibus verbis διαβέβληνται et ἐπιθυμῶσι, quae omnia pendent a particula εἰ; quod, ſi non incuria librariorum eſt ortum, certe eſt ἀνακόλουθον conſtructionis, grataeque negligentiae exemplum. Pag. 177. l. 4. pro μὴ videtur ratio contexti poſtulare μηδὲ, *ne quidem.* Nam docet ibi Philoſophus, fortitudinem, temperantiam, et iuſtitiam, ſi abſit ſapientia, atque una alterave illarum virtutum colatur, quo facilius vitiis quibusdam indulgeatur, hanc ne umbram quidem verae virtutis exiſtimandam eſſe, ſed virtutem mercenariam, quae nec ſani nec veri quicquam habeat. Ead. pag. l. 10. forma verbi κινδυνεύωσι ſuſpecta eſſe videtur. Nam neque ἀπὸ τοῦ κοινοῦ ita poteſt pendere Coniunctivus, ut referatur ad particulam μὴ, repugnante orationis ſerie; neque Stobaei lectio placet, qui ὡς κινδυνεύουσι ſcribi vult, cum ſequens Infinitivus εἶναι non habeat unde pendeat. Igitur legendum eſſe videtur aut καί τοι κινδυνεύουσι, aut κἂν κινδυνεύωσι. Pag. 179. linea ultima, ante verba εὐθὺς ἀπαλλαττομένη fortaſſis copula καὶ excidit, qua ἀποθάνῃ et οἴχηται coniungantur. Nam aſyndeton, quod Grammatici vocant, cum a rei natura, tum a Platonis conſuetudine abhorrere videtur. Recte cel. Fiſcherus Comparativum ῥᾷον, quo Stobaeum uſum conſtat, praeferendum exiſtimat, vulgari Poſitivo ῥᾴδιον. Namque non modo modeſtiae Socraticae convenientius eſt, ſed etiam textui, qui de re exponit, quae comparatione diſcitur. Pag. 192. l. 3. nomen ἴσον, Mudgio et Fiſchero auctoribus, delendum eſt, tanquam ſupervacuum, et ab ſciolo quodam profectum, qui vim nominis

τοιοῦτον non assecutus est, perperam ratus, sermonem esse de eadem aequalitatis notione, de qua paulo ante disputatum fuerat, cum tamen hic τοιούτων referatur ad τῶν ὄντων naturam et similitudinem, quam postea transfert ad aequale. In prima linea eiusdem pag. comma post μὲν est delendum, et reponendum, si videtur, post τοῦτο, quod, cum sit subiectum, arctissime copulandum est cum antecedente βούλεται. Non enim regi potest a verbo ὁμολογοῦμεν, quippe quod referendum est ad ἀναγκαῖον. Sensus enim loci paulo difficilioris hic est: *nonne necessario, opinor, concedendum est, si quis sensu oculorum cognoverit, visum referre quidem aliquam cum notione, de eiusmodi rebus animo ante impressa, similitudinem, sed carere partibus quibusdam, et esse inferius, nec posse ad notionis accedere perfectionem suis numeris absolutam; eum, qui id cognoverit, olim iam illam notionem percepisse, cui praesens visum quidem simile fere esse dicit, sed deesse quasdam partes, quae ad perfectam et suis numeris absolutam similitudinem requirantur?* Ei. pag. lin. 9. pro ἰδόντας legendum est ἰδόντες, quod cum ad vitia operarum pertinere facile omnes concedant, non est quod argumentis ostendamus. Ad eandem classem quoque referendum est verbum εἰδότας pro εἰδότες p. 194. l. 4. De hac correctionis necessitate nemo dubitabit, qui verba εἰδότας ἀεὶ ἐγγίγνεσθαι, καὶ ἀεὶ διὰ βίου εἰδέναι pendere a superioribus ὥστε ἀναγκαῖον ἡμῖν εἶναι animadverterit. Ei. pag. l. 11. verba αὐτὰ ἐκείνας suspecta esse videntur. Nam cum de repetitione et restauratione idearum earundem, quas olim percepimus, sit sermo; sensus postulat, ut eadem visa, seu eaedem res externae, unde ideae hauriantur, intelligantur. Igitur legendum est aut τὰ αὐτὰ ἐκείνας, aut certe αὐτὰ ἐκεῖνα. Pag. 199. principio cap. XXV. occurrit locus, qui paulo difficilior reperitur et interpretum rationibus mirifice variatur. Socrates inde novam immortalitatis animorum ordiatur demonstrationem, et, ne qua oriatur confusio, duo rerum constituit genera, compositarum et simplicium, ut postea

ea docere poſſit, utrum genus interitui ſit obnoxium, utrum ab interitu liberum. Verba Philoſophi haec ſunt: οὐκοῦν τοιόνδε τι δεῖ ἡμᾶς ἀνερέσθαι ἑαυτούς, τῷ ποίῳ τινὶ ἄρα προσήκει τοῦτο τὸ πάθος πάσχειν, τὸ διασκεδάννυσθαι, καὶ ὑπὲρ τοῦ ποίου τινὸς δεδιέναι, μὴ πάθῃ αὐτὸ καὶ τῷ ποίῳ τινί. Καὶ μετὰ τοῦτο αὖ ἐπισκέψασθαι πότερον ψυχή ἐστι· καὶ ἐκ τούτων θαῤῥεῖν ἢ δεδιέναι ὑπὲρ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς. Cel. Fiſcherus omnia ſana et integra eſſe iudicat, et priora illa verba τῷ ποίῳ τινὶ intelligit de rebus ſimplicibus et concretis; ὑπὲρ τοῦ ποίου τινὸς de hominum caeterorumque animantium genere, et poſteriora τῷ ποίῳ τινὶ de hominis partibus, corpore et animo. Olympiodorus in Comment. ad hunc locum olim aliam interpretandi rationem iniit, adeo ut primum acciperet de rebus, h. e. *animante* ſeu animali, quod corpore et animo conſtat, non de animo ſolo, qui eſt fons et origo vitae; alterum de *iudicio noſtro*, h. e. quodnam genus exiſtimandum ſit interitui ſua natura eſſe obnoxium; tertium denique de *perſonis*; h. e. quibusnam timendum ſit, nē pereant atque diſſipentur. Cornario, medico olim celeberrimo, qui cum paucis noſtrae aetatis hominibus hoc commune habuit, ut Graecorum libros haud negligendos putaret, poſteriora verba καὶ τῷ ποίῳ τινὶ delenda videbantur, ex proxime antecedentibus per incuriam librariorum repetita et huc translata. Sane nulla horum virorum, quorum auctoritas alias apud nos plurimum valet, ſententia ſatis probatur. Fiſcheri quidem rationem, quanquam ſatis ingenioſe excogitatam, et Olympiodori nugis longe praeferendam eſſe exiſtimamus: cum tamen non de illis tribus partibus poſtea diſputetur, ſed tantum de duobus rerum generibus, concreto et ſimplici, et duabus eorundem generum formis, corpore humano et animo, probandam eam eſſe negamus. Huc accedit, quod ita valde ſit durum, eadem verba, eodem loco, duplici ſenſu accipi. Cornarius quidem, cum magna veri ſpecie, poſteriora verba exulare iubet tanquam ſpuria; ſed non omnis loci difficultas

ficultas ita tollitur. Nam si cum Fischero et Olympiodoro ὑπὲρ τοῦ πολύ τινος ita interpretemur, ut aliud rerum genus significetur, quam quod verbis antecedentibus τῷ πολύ τινι sit expressum; contorta oritur sententia, quae magis levitatem Socratis ludentis, quam serio disserentis gravitatem, prodere videtur: sin vero de eodem rerum genere utrumque accipiamus, non reperimus, quomodo Socrates a garrulitate et vitiosa tautologia vindicetur. Quid tandem? tu, Lector doctissime, dices, an, improbatis aliorum sententiis, vosmet ipsi proferre potestis quod magis placeat, non quidem vobis, (nam quis est cui sua displiceant,) sed viris harum rerum peritis? nae nobis minime tantopere sapere videmur; at vero nostram coniecturam proferemus, eamque doctiorum iudicio permittemus. Quid? si Plato scripserit οὐ aut μὴ ante verbum δεδιέναι, annon difficultas tollitur, et consilio dicentis convenientior sententia efficitur? Nam ita primum oratio continetur duobus membris, quorum illud negat, quod hoc sit, more Platonis, qui sexcenties hac perspicuitate et elegantia antithetorum utitur, veluti pag. 198. lin. 2. 3. pag. 201. lin. 12. ubi occurrunt antitheses αὐτὸ καθ' αὑτὸ ὡσαύτως κατὰ ταὐτὰ ἔχειν, et οὐδέποτε οὐδαμῇ οὐδαμῶς ἀλλοίωσιν οὐδεμίαν ἐνδέχεσθαι, &c. Deinde cum non nisi de duobus, iisque contrariis rerum generibus ita fiat sermo, quorum unum sit caducum et interitui obnoxium, alterum aeternum mortisque expers: hic locus cum reliquae omni orationi conveniens efficitur, ubi tantum de diversitate et natura utriusque generis exponitur, tum inprimis verbis statim sequentibus, ubi causa, cur illa sint praemittenda, redditur, καὶ μετὰ τοῦτο δεῖ ἐπισκέψασθαι, πότερον ᾗ (hunc articulum perperam abesse a vulgari editione, recte iudicat Cel. Fischerus,) ψυχή ἐστι· καὶ ἐκ τούτων θαῤῥεῖν ἢ δεδιέναι ὑπὲρ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς h. e. quo facto nunc considerandum est, ad *utrum* genus rerum pertineat animus, ut ita vel bene sperare possimus, vel timere de animo nostro. Vide quaeso, ut

Digitized by Google

ut δεδιέναι hoc respondet priori membro τῷ πάνυ τινὶ προσήκει τὸ διασκεδάννυσθαι, ita θαῤῥεῖν plane quidem nostrae lectioni congruit ὑπὲρ τοῦ πάνυ τινὸς μὴ δεδιέναι, μὴ πάθῃ αὐτὸ, sed non vulgari, qua διασκεδάννυσθαι, et δεδιέναι μὴ πάθῃ τὸ διασκεδάννυσθαι, plane idem significant, efficiuntque non modo tautologiam vitiosissimam, verum etiam orationem sequentibus minus consentaneam. Denique particula ου, ob similitudinem antecedentis syllabae ος, in nomine τινὸς facile potuit excidere, aut particula μὴ, si a manu Platonis est, ab inscitia vel incuria librariorum praetermitti propterea, quod eadem statim repetitur. Quid autem posterioribus verbis καὶ τῷ πάνυ τινὶ faciendum censetis, dicet aliquis suntne, auctore Cornario eiicienda? Etsi antiquissima habenda sunt, cum in ipso, quo Olympiodorus olim est usus, codice fuerint, atque Ficini interpretatione comprobantur: tamen suspecta esse videntur, cum ob alias causas, tum propterea, quod, cum alio sensu quam priora sunt accipienda, abhorrent ab elegantia et copia Platonis, qui alias satis variare orationem solet, nullam aliam ob causam, ne idem verbum aut phrasis bis occurrat in eodem loco, nedum tum, cum idem verbum aut forma duplici sensu sit accipienda. Verum si cui pertinaciter integritas verborum defendenda esse videatur, faciles esse possumus, salvis iis, quae supra contra disputavimus. Possunt enim, auctore Cel. Fischero, de parte hominis i. e. animo intelligi. Pag. 208. l. 10. lectionem Eusebianam ἐν τῇ αὐτῇ, vulgari ἐν τοιαύτῃ, cum Cl. Fischero praeferendam existimamus propterea, quod maiorem vim ad determinanda antecedentia χαριέντως ἔχων habere videtur. Sensum vero loci paulo difficilioris hunc putamus: ἐὰν μέν τις καὶ χαριέντως ἔχων τὸ σῶμα τελευτήσῃ, καὶ ἐν τῇ αὐτῇ ὥρᾳ καὶ πάνυ sc. μάλα συχνὸν ἐπιμένει χρόνον. Nam πάνυ μάλα, per gradationis figuram, opponitur antecedentibus verbis ἐπιεικῶς συχνὸν χρόνον.) *Praesertim si quis, venustum habens corpus ac scitum,* (quod non morbi gravitate humorumque corruptione confectum depravatumque

 plane

plane ſit,) *mortuus eſt; in hac ipſa venuſtate permanet quam diutiſſime.* Sect XXIX. p. 210 l. 2. verbum θεῖον ante ἀντέχεται cum Cl. Fiſchero eiiciendum putamus, aut certe Stobaei Euſebiique ἀηδὲς ſubſtituendum. Nam θεῖον plane ab hoc loco alienum eſſe, nemo non facile intelligit. Sect. XXX. p. 212. l. 8. nomen τροφῆς non auctoritate Scholiaſtae cuiusdam mutandum eſt in βίῳ, quod haud dubie eſt gloſſema. Nam τροφὴ ipſa eſt βίος, h. e. non vita, ſed victus, et h. l. uti infra Sect. XXXIV. dicitur de pabulo animi ſeu paſtu. Sect. XXXII. p. 215. l. 11. occurrunt verba ἀλλὰ μὴ σώματι πλάττοντες ζῶσι, ubi primum poſt ἀλλὰ vel excidit, vel certe ſubintelligendum eſt οἵτινες ſive οἱ, atque pro σώματι legendum eſt σώματα in accuſativo, aut σῶμα, quod concinnius videtur, quo melius antitheto τῆς ψυχῆς reſpondeat: πλάττειν vero σῶμα eſt paulo diligentiorem corporis habere curam, uti homines molles et delicatuli facere ſolent. Sect. XXXIV. p. 219. l. 3. in verbis ζῆν τε οἴεται δεῖν ὅπως ὅως ἂν ζῇ· καὶ ἐπειδὰν τελευτήσῃ. interpunctio turbat ſenſum. Pro colo poſt ζῇ figendum eſt comma, quia τε et καὶ referunt duo membra ad idem ſubiectum.

Sect. XXXV. p. 220. l 9. verba προωθεῖ καὶ κελεύει, tanquam duo praedicata ſubiecti ἑκάτερος, ſunt copulanda particula τε, quam conſuetudo Platonica poſtulat. Pag. 221. l. 2. in verbis τῶν κύκνων δ' καὶ φαυλότερος deſideratur particula μὲν, quae reſpondeat particulae δὲ in verbis οἱ δὲ ἄνθρωποι. Pag. ſequente l. 6. haud dubie γε mutari debet in τε, uti in quibusdam reperitur libris, ut verba ὁμόδουλος et ἱερὸς copulentur tanquam praedicata eiusdem ſubiecti ἐγώ. Pag. 223. l. 2. verba μὴ οὐχὶ παντὶ τρόπῳ ἐλέγχειν, καὶ μὴ προαφίστασθαι, recte defendit Cel Fiſcherus adverſus Henr. Stephanum, qui μὴ delendum putavit. Nam e ratione Stephani pro καὶ Plato ſcripſiſſet ἀλλά. Verum e ratione vulgari καὶ ſignificat τοῦτο, uti ſexcenties in libris Platonis. Sect. XXXVI. p. 224.

p. 224 ubi Simmias obiicit, animum hominis, cum haud dubie si harmonia, una cum corpore, aut etiam citius exstingui ac deleri. atque pervertit transfertque ad lyrae harmoniam Socratis verba, qui antea dixerat, mentem esse invisibilem divinamque: inprimis verba εἴτις διϊσχυρίζοιτο τῷ αὐτῷ λόγῳ ὥσπερ σὺ, ὡς ἀνάγκη ἔτι εἶναι τὴν ἁρμονίαν ἐκείνην, καὶ μὴ ἀπολωλέναι, difficultate aliqua laborare videntur. Nam cum sequatur γὰρ, deest apodosis seu consequens, quod respondeat antecedenti εἴτις &c. Loci difficultatem alii aliter tollere sunt conati Viri doctissimi. Henr. Stephanus quidem particulam γὰρ mutare voluit in γε, haud dubie eam ob caussam, ut apodosis contineretur verbis δαιμονία γε μηχανῇ &c. Verum, praeterquam quod nimis audax esse videtur haec mutatio, efficitur etiam apodosis quae a consilio orationis aliena haud dubie reperitur. Cel. Fischerus, qui semper fere diligentiam interpretandi praeferendam recte censet corrigendi audaciae ac libidini, conatur locum laborantem ita sublevare et sanare, ut vel apodosin εὖ ἔχει seu καλῶς ἔχει, intelligi debere existimet; vel certe eam in verbis ὡς ἀνάγκη ἔτι εἶναι τὴν ἁρμονίαν ἐκείνην καὶ μὴ ἀπολωλέναι contineri, totumque locum interrogative accipiendum esse. At vero prior ratio nobis quidem non satis propterea probanda esse videtur, quod non solum ironia quae ita est statuenda hic dura et a persona Simmiae, locique ratione aliena est habenda; sed apodosis quoque ipsa in tali orationis serie non recte a Platone praetermitti potuisse videtur. Nam cum καλῶς ἔχει soleat reticeri in enunciationibus disiunctivis, ubi facile ex membro posteriori apodosis illa possit intelligi, veluti in illo Agamemnonis Hom. Il. α, 135. seqq. εἰ μὲν δώσουσι γέρας Ἀχαιοὶ ἀντάξιον, (sc. καλῶς ἔχει)· εἰ δέ κε μὴ δώωσιν, ἐγὼ δέ κεν αὐτὸς ἕλωμαι: videsis auctores, quos Clarkius ad h. l. laudat: facile intelligitur, in nostro loco, ubi eiusmodi disiunctio non reperiatur, illam apodosin a consuetudine eleganter scribentium, linguaeque legibus, abhorrere. Posterior autem

 ratio

ratio, quae interrogationem admittit, facilior meliorque esse videtur, quoniam ita neque ad contortam ellipsin est fugiendum, neque cum Stephane ad emendandi audaciam, neque aliud quippiam, quod ab orationis consilio abhorreat, statuendum. Veruntamen negare non possumus, interrogationem hic aliquid contorti indicare. Namque particula ὅτις non debet hic interrogative accipi, ne efficiatur sensus plane alienus, negetque Simmias, quod tamen est affirmandum: sensus enim foret hic, nemo eadem ratione, qua tu antea, hic uti potest. Quam alienum autem hoc sit, nemo non facile videt. At, dicet aliquis, interrogatio ponenda est in apodosi, ὡς ἀνάγκη κ. τ. λ. Auvimus. Verum usus particulae ὡς obstat, quae nuspiam, quantulum nos quidem scimus, interrogandi vim habet. Quid igitur faciendum est, num ὡς mutandum est in δῆλον ὅτι? At nimis audax et improbabilis haec est existimanda correctio. An concedamus, verba λέγοι ἂν excidisse ante particulam ὡς, quae pro ὅτι ponatur, uti sexcenties aliis in locis? An ἄῤ substituendum, vel ἅμα, uti est Aesch. Socrat. Dial. II. 18? Ne hac quidem emendatione opus esse videtur, dummodo ὡς, ut saepenumero occurrit, interpretemur *valde*, *plane*, *admodum*, *quam*. Eodem plane sensu adhibetur quoque apud Latinos particula *quam* post nomina interdum, v. c. Liv. XXXIX. 36. terror Achaeis iniectus erat et cogitatio, *quam* non ex aequo disceptatio futura esset. Cum autem locus passim diligenti interpunctione, et interdum levi aliqua mutatione egere videatur, eum rescribamus nostro modo, et rationem statim mutationis a nobis factae interseramus: ἐπειδὰν οὖν ἢ κατάξῃ τις τὴν λύραν, ἢ διατέμῃ καὶ διαῤῥήξῃ τὰς χορδὰς, ὅτις διϊσχυρίζοιτο τῷ αὐτῷ λόγῳ, ᾧπερ (sic haud dubie, Forstero et Fischero iubentibus, legi debet pro vulgari ὥσπερ quod ob sequens ὡς fortassis ab librariis est receptum,) σὺ, ὡς ἀνάγκη ἔτι εἶναι τὴν ἁρμονίαν ἐκείνην, καὶ μὴ ἀπολωλέναι. (Colon, quod in vulgaribus editionibus reperitur, haud dubie ortum est ex opinione,

opinione, verba ſequentia, οὐδεμία γὰρ — — — ἀπολομένην, quaſi per parentheſin eſſe accipienda, et verba poſteriora ἀλλὰ φαίη, opponi verbis ſuperioribus ὅτις διισχυρίζοιτο; cum tamen, noſtro qu dem ſenſu, opponantur verbis μηδεμία γὰρ &c. Si enim referantur ad ſuperiora, oritur tautologia vitioſa; ſin vero ad poſteriora retuleris, inprimis ad τὴν δὲ ἁρμονίαν ἀπολώλεναι &c. efficitur ſenſus commodus et Platonis conſuetudine conſentaneus.) οὐδεμία γὰρ μηχανὴ ἂν εἴη τὴν μὲν λύραν τε (fortaſſis haec particula excidit, certe ſenſus eam poſtulat, ut reſpondeat ſequenti καὶ) ἔτι εἶναι, διερρωγυιῶν τῶν χορδῶν, καὶ τὰς χορδὰς, (comma requiritur a perſpicuitatis ratione. Nam intelligendum eſt ἔτι εἶναι, et verba θνητοειδεῖς οὔσας eandem rationem habent ad τὰς χορδὰς ἔτι εἶναι, quam verba διερρωγυιῶν τῶν χορδῶν ad λύραν ἔτι εἶναι.) θνητοειδεῖς οὔσας, τὴν δὲ ἁρμονίαν ἀπολωλέναι, τὴν τοῦ θείου τε καὶ ἀθανάτου ὁμοφυῆ τε καὶ ξυγγενῆ, προτέραν τοῦ θνητοῦ ἀπολομένην· ἀλλὰ φαίη, (τὶς non excidit, ſed intelligendum eſt ἀπὸ τοῦ κοινοῦ,) ἀνάγκη (non eſt quod quis forte putet excidiſſe ὡς ſeu ὅτι, aut ἀνάγκῃ in caſu tertio eſſe legendum. Nam φημὶ ſaepenumero, apud Platonem, abſolute ponitur,) ἔτι που εἶναι αὐτὴν τὴν ἁρμονίαν, καὶ πρότερον τὰ ξύλα καὶ τὰς χορδὰς κατασαπήσεσθαι, πρίν τι ἐκείνην παθεῖν. Senſus loci eſt: ubi igitur vel fregit aliquis lyram, vel ſecuit rupitque fides, ſi quis eadem qua tu uteretur ratione perquam neceſſe eſt, ſupereſſe harmoniam illam, nec periiſſe. Non enim fieri poſſit, ut cum lyra ſuperſit, disruptis fidibus, tum fides, quae ſint mortales (ſeu temporariae), concentus vero, qui cum divino et immortali eandem habeat vim ac naturam, ipſo mortali intereat prior; ſed dicat, neceſſario nimirum ſupereſſe ipſum concentum, atque prius ligna fidesque putreſcere, quam pereat concentus. Sect. XXXVII. p. 266. l. 9. verba λέγε τί ἦν τὸ σε αὖ θρᾶττον, ὃ ἀπιστίαν παρέχει, turbata eſſe videntur. Fortaſſis Plato ſcripſit, λέγε, τί ἦν, ὅ, τι σε αὖ θρᾶττον ἀπιστίαν παρέχει, aut, λέγε, τί ποτε σε αὖ θρᾶττον ἀπιστίαν παρέχει, h. e. *dic, quid tandem te iterum turbet, quo minus*

assentiaris. Paulo post pag. seq l. 3. haud dubie cum Stephano legi debet μέντοι pro μὲν. Nam non sequitur δε, et sensus postulat ipse particulam asseverandi et adversandi. Lin. 6. in verbis τί οὖν ἄν, φαίη ὁ λόγος, ἔτι ἀπιστεῖς, comma prius est delendum, et ante ἄν rescribendum. Pag 228. l. 21. in verbis ἄλλως τε κἂν πολλὰ ἔτι βιῷ particula ἔτι mutanda est in nomen ἔτη. Nam πολλὰ ad σώματα non possunt recte referri. Pag. 229. lin. 3. in verbis, ἀπολλυμένης δε τῆς ψυχῆς, τότ' ἤδη τὴν φύσιν τῆς ἀσθενείας ἐπιδεικνύοιτο σῶμα, pro τὴν legendum esse videtur ἄν, quia non modo articulus hic supervacuus est, verum etiam sequens optativus illam particulam requirit. Deinde Medium verbum displicet, malim disiungere ἐπιδεικνύοι τὸ, adeo ut σῶμα tanquam subiectum suum habeat articulum. Sect. XXXVIII. p. 232. l. 4. in verbis: ὅ, τι λέγοι ἐκεῖνος excidit ἄν, quod scribendum est post ὅ, τι, quia optativus alias non habet unde pendeat. Sect. XXXIX. p. 236. l. 11. verbum ἀπορεῖ sane cum Cl. Fischero nobis delendum esse videtur; quia si genuinum esset, Plato certe pronomen τις non post verba μὴ ἑαυτὸν demum posuisset, lectoremque exspectatione suspendisset. Deinde deleto hoc verbo, non cogimur, contra fidem omnium librorum, particulam καὶ interserere ante verba μὴ ἑαυτὸν. Sect. XL. p. 238. l. 12. sensus loci interpunctione adiuvandus est ita, ὑμεῖς μέντοι ἂν πείθησθε, μικρὸν φροντίσαντες Σωκράτους, τῆς δὲ ἀληθείας πολὺ μᾶλλον. Hic enim est finis periodi constituendus, ut sensus efficiatur hic: *vos vero mihi assentiamini ita, ut non tam Socratis, quam ipsius veritatis habeatis rationem.* Itaque quae sequuntur verba rem eandem declarant et illustrant uberius. Sect. XLI. p. 240. l. 13. verborum ἀμείνω ὡς οὐδενὶ λέγω intelligentia adiuvari debet interpunctione adeo ut ὡς οὐδενὶ seiungatur commatum distinctione ab antecedentibus et consequentibus. Nam sensus est: *hanc sententiam omnium verissimam et certissimam duco.* Sect XLIII. p. 245. l. 11. verba ὡς εἰ recte suspecta videntur interpretibus.

tibus. Alii legi volunt οἷον εἰ, et ſequentem infinitivum mutari in ἕλκει; alii οἷον, deleto εἰ. Quid ſi legamus ὡσεὶ quaſi, veluti? Pag. 246. l. 4. in verbis καὶ ἄλλο ὁτιοῦν πάθος πάσχοι ἐκεῖνα ἐξ ὧν τυγχάνει ὄντα, forma verbi πάσχοι nobis vehementer diſplicet, quae plane turbat ſenſum. Iigitur mutandum cenſemus in πάσχειν ἤ, ut infinitivus regatur ab eadem cauſa, a qua in antecedente membro ᾄδειν, nempe ab ὡμολογήσαμεν. Hanc correctionem non modo, opinamur, commendat ſeries orationis, ſed etiam locus Sectionis XLII. quem ſpectat Socrates, ἄλλως πως ἔχειν, ἢ ὡς ἐκεῖνα ἂν ἔχῃ, ἐξ ὧν ἂν συγκέηται &c. Caeterum particula καὶ aut mutari debet in μηδὲ, aut certe μὴ repeti ex ſuperiori membro, μὴ ποτ' ἂν &c. In eadem pag. l. 12. verba τά τε dubiae fidei videntur Cl. Fiſchero: recte. Nam plane ſunt alieno loco, et originem forte duxerunt ex praecedentibus τά μὲν. Igitur vel plane dele, tanquam ineptum gloſſema, vel certe lege κατά τε. Initium Sectionis XLVII. ἀπὸ δὴ θαυμαστῆς, ὦ ἑταῖρε, ἐλπίδος ᾠχόμην φερόμενος, ἐπειδὴ &c. recte Cl. Fiſcherus defendit adverſus emendationes Stephani et Vigeri, quorum ille pro ἀπὸ legi vult ὑπὸ, hic vulgari lectioni ἐπειδὴ praeferendam putat Euſebianam ἐπεὶ δὲ. Eſt enim metaphora, qua indagationem veri Socrates confert cum navigatione, et οἴχεσθαι φερόμενος ἀπό τινος ſc. τόπου, dicitur proprie nauta, qui a loco quodam navem ſoluit, et alio tendit curſumque dirigit. Quare ſub finem Sectionis huius elegantiſſimus philoſophus continuat tropum, dicitque, ſe, ubi deſperaverit, hac via poſſe cauſas rerum indagari, alteram navigationem ſuſcepiſſe, ut cauſas quaereret. Igitur, remoto tropo, noſtri loci ſenſus eſt, *iſtam ſane ſpecioſam rationem, ſeu ſpem,* (uti ab initio videbatur,) *abieci, poſteaquam, re diligentius cognita, vidi &c.* Pag. 258. linea prima, in verbis ὥσπερ ἄν τις λέγων excidit haud dubie particula εἰ, quae infra Sect. LVIII. p. 283. l. 7. recte adeſt. Pag. 259. ſub finem occurrit τὸ γὰρ μὴ διελέσθαι οἷόν τ' εἶναι, quod, uti ſenſus poſtulat, eſt interpre-

interpretandum, *hoc enim foret non posse discernere.* Verum, quanquam Cl. Fischerus existimat, τὸ posse simpliciter sic poni pro τῦτο: valde tamen dubitamus, an hic usus idoneis possit doceri argumentis. Legendum potius censemus τὸ δὴ, uti infra p. 265. l. 19. Deinde, ut durities et insolentia tollatur ellipseos, quae in vulgari lectione est statuenda, haud dubie Mudgius est audiendus, qui verba ἂν μὴ adiicienda putavit post γὰρ. Pag. 260. l. 2. ubi sermo est de hominibus philosophiae expertibus, qui cum res inter se discernere satis non possint, eas fere alienis appellant nominibus, Socrates differit hunc in modum: ὃ δή μοι φαίνονται ψηλαφῶντες οἱ πολλοὶ, ὥσπερ ἐν σκότει ἀλλοτρίῳ ὀνόματι προσχρώμενοι, ὡς αἴτιον αὐτὸ προσαγορεύειν. Recte Cl. Fischerus pro vulgari ὄμματι, quod quidem facile in hunc textum irrepere potuit, sed plane a dicentis consilio alienum habendum est, rescripsit ὀνόματι. Praeterea quaeritur, annon pro ὃ δὴ melius et commodius legatur ὅθεν? Certe verba ὥσπερ ἐν σκότει a sequentibus sunt avellenda interpunctione commatis, ut referantur ad ψηλαφῶντες. Sensus videtur nobis hic: *Hinc vulgo homines mihi videntur, tanquam in tenebris, res contrectare, et falsis nominibus uti, quibus ipsas caussas significent.* Socrates enim, vanitate sententiae, qua Anaxagoras in caussis rerum investigandis sit usus, demonstrata, addit haec: ἐπειδὴ δὲ ταύτης (intelligit τὴν τῆς αἰτίας ζήτησιν,) ἐστερήθην, καὶ οὔτ' ἂν αὐτὸς εὑρεῖν οὔτε παρ' ἄλλου μαθεῖν οἷός τε ἐγενόμην, τὸν δεύτερον πλοῦν ἐπὶ τὴν τῆς αἰτίας ζήτησιν ᾗ πεπραγμάτευμαι, βούλει σοι, ἔφη, ἐπίδειξιν ποιήσωμαι, ὦ Κέβης. At vero verba τὸν δεύτερον πλοῦν nullo modo possunt regi a phrasi sequente, ἐπίδειξιν ποιήσωμαι. Nam primum repugnat usus loquendi, qui postulat ἐπίδειξιν ποιεῖσθαι τινὸς, non vero τι. Deinde ratio contexti ipsa impedit, quo minus ad Cel. Fischeri sententiam accedamus. Socrates enim non narrat, se denuo navigationem suscepturum esse, h. e. novam initurum rationem ad res obscuriores quaerendas; sed quid fecerit olim ostendit, postquam vanitatem Ionicae methodi

Digitized by Google

methodi intellexerit, ἐπειδὴ ταύτης ἐστερήθην ego, non ἀπεστερήθημεν, nos; praeſertim cum etiam ſtatim addat, ἔδοξέ μοι. Itaque delendum cenſemus pronomen ἣν, adeo ut praeteritum πεπραγμάτευμαι, poſt quod eſt interpunctio maior figenda, regat antecedentem δεύτερον πλοῦν. Ultima vero verba abſolute ponuntur, continentque interrogationem. Hoc modo omnia ſunt facilia et expedita, nec eſt quod ad contortas fugiamus interpretationes. Verba Sect XLIX. p 265. l. 9. οἶμαι, ἄν. ὡς ἐγὼ λέγω, ποιοῖς, ita, uti ſcripſimus, interpunctione ſunt adiuvanda. Sect. L. pag. 266. l. 5. pro τῷ δὲ cum Meibomio legi debet τοῦ δὲ, ut pendeat ab ἀμφοτέρων, reſpondeatque particulae τοῦ μὲν, poſtulante orationis ſerie. Sect. LII. p. 269. de triade eſt ſermo, quae non ſolum ſuo ipſius nomine (ſc. triados,) ſemper ſit appellanda, ſed et nomine imparis, quod tamen a triade ipſa ſit diverſum, graece, τῷ τοῦ περιττοῦ ὄντος, οὐχ ὅπερ τῆς τριάδος. Verum male interpunctum eſt poſt ὄντος, cum apertum ſit, interpungendum eſſe poſt τὸ περιττοῦ, uti Stephano, Ficino, aliisque placuit. Nam in ὅπερ non eſt intelligendum ὄνομα, quod potius in τῷ intelligitur, ſed ὄν, id quod ex antecedentibus apparet; nec ante οὐχ ὅπερ ullo modo poteſt intelligi ὅ ἐστι propterea, quod ὄντος id ipſum ſignificat Nam pro hac participiali constructione dicere potuiſſet Plato, ὃ ἐστιν οὐχ ὅπερ ἡ τριάς, quam structuram videmus paulo ante, pag. 268. lin. 14. et 19. In linea 3. in verbis ὁ ἥμισυς τοῦ ἀριθμοῦ ἅπας excidit vel τοιούτου vel περιττοῦ, alioquin ſenſus verus non conſtat. Atque lin. 12. forma pronominis αὐτῷ ſuſpectae fidei eſſe videtur. Haud dubie Plato ſcripſit αὐτοῖς ſeu αὐτοῖν, ſc. ἐναντίοις. Sect. LIII. p. 270. l. 2. occurrunt verba ἃ ὅ, τι ἂν κατάσχῃ, μὴ μόνον τὴν αὑτοῦ ἰδέαν αὐτὸ σχεῖν. Hic recte ſcriptum eſt ὅ, τι, ſed male omiſſum eſt comma poſt ἅ. Deinde non putandum eſt pronomen αὑτοῦ eſſe pro αὑτῶν, quia non refertur ad ἅ, ſed ad αὐτὸ ὅ, τι ἂν κατάσχῃ, atque accuſativus τὴν ἰδέαν non pendet ab ἀναγκάζει, ſed ab infinitivo σχεῖν. Senſus enim

A a eſt

eſt hic: *quae non ſolum cogunt id ipſum, quod occuparunt,* (ſeu quicquid ipſis vel a natura tributum eſt, vel quocunque alio modo acceſſit.) *ſui ipſius ideam retinere.* Pag. 270. l. 9. articuli ἡ nominativus recte defenditur adverſus Forſterum aliosque, a Cel. Fiſchero. Nam refertur ad μορφὴν, quae vero non abſoluit τὸ ἄρτιον, ſed ἀνάρτιον, ſicuti ἡ ἐναντία ἰδέα eſt τὸ ἄρτιον. Id quod cum aliunde, tum potiſſimum ex phraſi ſynonymica, quae ſtatim ſequitur, fit clarum, ἐπὶ τὰ τρία ἡ τοῦ ἀρτίου ἰδέα οὐδέποτε ἥξει, h. e. *numerus ternarius nunquam fieri poteſt par.*

Sect. LIV. p. 272. l. 3. verba εἰ γάρ ἔροιό με, ὃ ἂν τι ἐν τῷ σώματι ἐγγένηται, θερμὸν ἔσται, turbata eſſe et laborare exiſtimamus, quoniom non modo a ſimilitudine ſequentium locorum abhorrent, verum nec ſatis quaeſtioni conveniunt. Lubentiſſime igitur ingenioſam amplectimur coniecturam Fiſcheri, qui particulam ἐν delendam eſſe, et ὃ in ᾧ mutandum cenſet. Senſus enim eſt: *ſi ex me quaeſieris, quid corpori accedat, quo calefiat,* τί ἂν σώματι ἐγγένηται, ᾧ θερμὸν ἔσται ſc. τὸ σῶμα. Pag. 273. lin. 2. poſt οὐδὲ interpungendum eſt, ne quis haereat, opineturque negationem, quae pertinet ad οὐκ ἐρῶ, referri ad ἂν ἐρῶ. Sect LVII. ſub finem, in verbis ἂν ἐξελθόντων, leges linguae graecae deſiderant particulam δὲ aut οὖν, quae hic facile excidere potuit ob ſoni ſimilitudinem.

Sect. LIX. p. 282. lin. 3. etſi articulus τοὺς, relatus ad ſequens participium οἰκοῦντας, aliquo modo poteſt defendi: ſed tamen ne oriatur frigida tautologia, ſi ita participium retuleris ad ἡμᾶς, (quis enim quaeſo ferre poteſt, ἡμᾶς οἰκεῖν τοὺς οἰκοῦντας?) illum articulum in ὡς ſive οὕτως mutandum eſſe opinamur, praeſertim cum ſequatur ὥσπερ. Pag. 283. l. 7. principio membri ὥσπερ ἂν εἴ τις deeſſe videtur particula μὲν, quae reſpondeat membri poſterioris verbis νῦν δὲ &c.

Sect. LX.

Sect. LX. pag. 290. lin. 3. articulum τοῖς eiiciendum censemus, et restituendam particulam τότε, quae respondeat τῷ ὅταν. Lin. 9. verbum ἕκαστος aut muta in ἕκαστα, aut certe statue anacoluthon, ut intelligas ποταμός.

Sect. LXIV. p. 298. lin. 15. post ποιῆτε, colo deleto, comma est rescribendum.

GLOSSARIUM MANUALE AD SCRIPTORES mediae et infimae Latinitatis, ex magnis Glossariis CAROLI DU FRESNE Dom. du Cange, et CARPENTARII, in compendium redactum, multisque verbis et dicendi formulis auctum. TOMUS I. *Alph. 2. plagg. 13. octonis.*

Halae, apud Gebaueri viduam et filium, MDCCLXXII.

Praeclarum institutum, iis omnibus profuturum inprimis, qui grandiora illa, et magnorum sumtuum Volumina, comparare non poterunt. Eius instituti Auctores, quam laboris sui rationem, Praefatione huic Volumini primo praemissa, breviter exposuerunt, hic describimus. Quas vicissitudines lingua latina subierit, ita scribunt, ex quo Romanis barbari admisceri coepere, neminem, qui prorsus ignoret, fore putamus. Nam cum Galli, inde a Julii Caesaris potissimum temporibus, et postea etiam Germani Gothique, et barbari alii, frequentiores in exercitibus Romanis stipendia mererent, alii autem Romae, in Senatum, vel ad custodiam et ministeria Principum admitterentur, operam quidem hi dedere, ut mores ad Romanorum exempla refingerent; at multa tamen ex prisca vitae sermonisque consuetudine, natura quadam insita vi et pertinacia, ita retinuerunt, ut ea cum ipsis

ipſis Romanis communicarent; cuius mutationis veſtigia iam primo ſecundoque aerae Chriſtianae ſeculo non obſcura occurrunt, multo autem clariora ſeculo tertio deprehenduntur, quod ut omnium malorum, ita huius etiam feraciſſimum fuit. Novum barbariei incrementum acceſſit ex Chriſtianorum, quorum iam latius diffundebatur cultus, formis loquendi, quae cum magnam parem ex moribus et lingua Judaeorum repetitae eſſent, iamque in linguam Romanorum, eorum etiam, qui a religione Chriſtiana alieni erant, quod ex ſcriptoribus illorum temporum ſatis apparet inveherentur, ſermonis latini puritatem et ipſae corrupere. Quibus quaſi fundamentis barbariei iactis cum ſeculo quinto populi maximam partem Germanici Imperium Occidentis invaderent, devictisque Romanis regna in eo conderent cum iam ipſorum lingua cum Romana fere coaleſceret quidquid priſtinae elegantiae ſupererat, plane deletum eſt. Nam et permultae voces, dicendique veteres formae, oblitteratae et quae manſere, ad alium ſenſum detortæ fuerunt, plurimaque nova rerum vocabula aliunde acceſſere et tota linguae conſtitutio ingeniumque eius ita immutatum fuit, ut ſibi ipſi plane diſſimilis eſſet Eaque barbaries ſequentibus etiam ſeculis non ſublata ſed aucta fuit, obtinuitque uſque ad ſeculum decimum quintum quo priſci ſermonis hactenus pauciſſimis cognitum decus reſtitui coepit. Itaque pleraque omnia quae per tantum temporis ſpatium litteris mandata fuerunt, latinitate illa barbara conſcripta ſunt, eaque qui legere cupit, (cupit autem quisquis iuri patrio publico privatoque, et hiſtoriae aliisque bonarum litterarum partibus legitimam operam navare, aut nomina ſaltem plerarumque, quae nunc vigent artium, intelligere conſtituit, ei interiore aliqua iſtius linguae notitia opus eſt. De quo cum perſuaſum eſſet hominibus eruditis, maximo omnium plauſu excepti ſunt *Cangii* et *Carpentarii* labores doctiſſimi, quibus omnem *mediae et infimae*

Latini-

Latinitatis copiam complecti, et explicatam reddere conati sunt.

Et *Cangii* quidem Glossarium, quadraginta fere ante annos, a viris doctissimis *Toustain*, *d'Antin*, et aliis, emendatum, auctum, novoque splendore editum, tanto est apud omnium gentium eruditos honore et nomine, ut non opus sit, in eo pluribus verbis laudando commorari. De *Carpentarii* opere tantum nostris in oris haud ita celebrato pauca sunt monenda. In edendo Cangii Glossario iam potiorem in se sumserat partem vir doctus, et quinto Volumine a. 1734. edito, omne editionis onus in illo uno recubuerat. Absoluta hac editione, non itidem studium laboremque suum absoluit, sed assiduus fuit in perscrutandis codicibus, tam inpressis, quam manu exaratis, et quum in tanta messe, quantam bibliothecae et diplomatum scrinia ipsi aperuere, opus in dies crevisset, novum tantum *Glossarium* in lucem edidit, hac inscriptione: *Glossarium novum ad Scriptores medii aevi, cum Latinos, tum Gallicos seu Supplementum ad auctiorem Glossarii Cangiani editionem. — Collegit et digessit D. P. Carpentier, O. S. B. Praepositus S. Onesimi Donchériensis, Parisiis 1766. fol.*

Haec autem duo Glossaria, quamvis innumeros fere tam rerum, quam verborum complectantur thesauros tamen non ita hac opera defungi licuit doctissimis eorum auctoribus, ut nihil omnino in iis desideraretur. Nam primo cum omnia conquirerent illi non solum quae ad verba explicanda pertinerent, sed etiam quae rebus ipsis quarum nomina proponebant, lucem aliquam afferre viderentur, integrosque adeo libellos infererent, coniunctum illud eorum opus in decem voluminum maximae formae, eorumque satis spissorum molem excreuit, eoque ipso fortunam plerorumque doctorum virorum qui tantos, quantum opus est, sumtus huic Glossario impendere non possunt, excessit. Et pro-

fecto poterant cum in rebus ipsis multa omitti, tum vero etiam verborum magna vis, quae non latina sed prorsus barbara, Gallica nempe, Hispanica, Germanica &c. erant, praeteriri, et, quod familiam ducit, ingens illa exemplorum, ad res saepe notissimas probandas, in medium prolatorum multitudo, sine vllo operis detrimento imminui. Deinde apparebat, ut multa superflua allata, ita longe plurima plane necessaria esse praetermissa, ex monumentis potissimum in Germania editis, quorum maximus numerus est. Denique hoc etiam incommodi accedebat, quod uniuscuiusque vocabuli causa, duo Glossaria erant evolvenda, *Cangianum* scilicet et *Carpenterianum*.

Quae cum ita essent, non alienum visum est, novum opus edere, quod incommodis illis, quantum fieri posset, careret, cuius primum Volumen iam tradimus lectoribus. In quo opere quae nisi praestitimus, certe praestare conati sumus, haec sunt. Omnia retinere visum est vocabula, quae in Glossario Cangiano, a sodalibus societatis religiosae quae Benedicti regulam sequitur, aucto, quaeque in Glossario Carpenteriano reperiebantur, iis tantum, utplurimum praetermissis, quorum ne terminatio quidem Latium sapiebat. Vocabula, quae Carpentarii opus suppeditavit crucis signo sunt notata. Cuiqne verbo definitio et explicatio addita est, brevis ea quidem, sed quantum fieri potuit accurata, vitatis potissimum verborum ambagibus, quibus nimium indulgent Cangius Carpentariusque. Vocum significationes, ubi erant multiplices et variae, ad meliorem, quemque res ipsa poscere videbatur, revocatae sunt ordinem; cuius rei testes habemus

vocabula

vocabula *Abbas*, *Altus*, *Bannum*, et alia plura. Explicationes verborum, ut et derivationes, multis in locis emendavimus, et illuſtravimus, potiſſimum ope linguae Germanicae, et reliquarum linguarum ſeptentrionalium, quarum docti Gloſſariorum auctores non tam gnari erant quam Gallicae, Hiſpanicae, Graecae, aliarumquae cum his coniunctarum; quem in finem etiam Germanica addita ſunt nomina aequivoca, ubi ad etymon vocis illuſtrandum non nihil facere viſa ſunt. Loca e diplomatibus et ſcriptoribus excerpta, in quibus congerendis aequo profuſiores haud raro ſunt Cangius et Carpentarius, omiſimus, ubi nulla plane ſignificationis obſcuritas, ea exigere videbatur, addita autem ſunt ubi aliqua inde illuſtratio repeti potuit. In rebus ipſis explicandis breviores fuimus, et tum quidem maxime, ubi ab inſtituto noſtro abhorrere viſae ſunt. Acceſſerunt denique vocabula haud pauca a Cangio et Carpentario praetermiſſa, ſed ea tantum, quae ſeſe quaſi ultro nobis obtulerunt, quum hoc conatu potius alios ad ſupplendum et augendum utrumque Gloſſarium, praeſertim e Germaniae monumentis, quae ſollicite ſcrutanti largam omnino promittunt meſſem, excitare voluerimus, quam ipſi hanc partem ſuſcipere. Ne vero alienam laudem vindicare nobis videremur, addita a nobis qualiacunque aſteriſci ſigno notavimus.

Primum hoc Volumen ſextam omnino partem tam Gloſſarii Cangiani, quam Supplementi Carpenteriani, complectitur. Fidem itaque facere poſſumus, totum hoc Lexicon Manuale, *ſex Voluminibus* iri comprehenſum; quod eorum cauſa monendum erat, qui fortaſſe verentur, ne ultra quam

quam fas eſt, et quam promiſimus, creſcat opus. — Haec illi. Nos, qui Freſnoi et Carpenterii Gloſſaria, legendis recteque intelligendis mediae et infimae Latinitatis Scriptoribus, ſcimus praeclaro adiumento eſſe, dudum optabamus, exoriri virum doctum, qui illorum Epitomen daret, ſuffecturam iis, qui amarent haec ſtudia, neque tamen ſufficerent emendis libris. Vehementer igitur laetabamur, cum veniret in manus noſtras talis ſpecimen Operis, quod ut eadem diligentia, qua coeptum eſt, perficiatur, etiam litterarum cauſa vehementer cupimus.



Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Maii Anno MDCCLXXII.

DISQUISITIONES DE MAXIMIS ET MINIMIS fluentium indefinitarum. *)

Auctore

LA PLACE.

Dedit primus generalem methodum omnia resolvendi problemata circa maxima et minima fluentium indefinitarum celeberrimus Eulerus, in pulcherrimo opere, cui titulus, *methodus inveniendi lineas curvas maximi minimive proprietate gaudentes, &c.* Istius ingeniosissimae methodi usus a geometria omnino independens in analysi pura versatur, sed ad eam devenitur per considerationem linearum curvarum, quae via et indirecta et talis, perillustri suo auctori visa est. Hancce materiam ex veris principiis, in tomo secundo Commentariorum regiae Societatis Taurinensis resumens sagacissimus Dom. de le Grange, directam dedit et simpli-

*) Conscriptae sunt et lectae in Academia Scientiarum Parisiensi, mense Martio, anni 1770.

ſimpliciſſimam methodum, ad omnia quae circa hoc maximorum genus proponi poſſunt reſolvenda; quae methodus inter pulcherrima huius ſaeculi inventa analytica merito refertur. Fatendum eſt tamen, eam paululum adhuc eſſe incertam in definiendis fluentis indefinitae punctis extremis, quod primum ſenſit Dominus de Borda; veras inſuper ingenioſiſſimus hic geometra pro his punctis aequationes, una cum nova methodo problemata huius generis reſolvendi dedit in Commentariis academiae Pariſienſis, pro anno 1767. Ecce nunc Conſiderationes quasdam circa hanc perutilem et arduam analyſeos partem, quae ad eam et perficiendam, et ulterius promovendam nos ſine utilitate eſſe mihi viſae ſunt.

In his diſquiſitionibus utar methodo Dom. de la Grange; et cum quantitates duplicem variationem neceſſario patiantur, fluxionibus deſigno variationem quantitatis in eadem fluente, littera *f*, praeterea indicante *fluxionem*, et littera *d* exprimo variationem quantitatis de fluente in fluentem.

II.

Sit $Fl.Z$, fluens indefinita, et Z functio determinata variabilium x, y, et fluxionum $\dot{x}$, $\dot{y}$, $\ddot{x}$, $\ddot{y}$, $\dddot{x}$, &c. Si haec fluens *maximum* aut *minimum* eſſe debeat, erit $Fl.dz = o$, unde facillime integrando per partes et parentheſi diſtinguendo valores quos recipiunt $\dot{x}$, dx, dy, &c. ad originem fluentis, concluditur

Digitized by Google

$$
\left.
\begin{aligned}
& Fl\left\{
\begin{aligned}
& \left\{\frac{dz}{dx} - f.\frac{dz}{d\dot{x}} + ff.\frac{dz}{d\ddot{x}} - fff\frac{dz}{d\dddot{x}} + \&c.\right\}dx \\
& + \left\{\frac{dz}{dy} - f.\frac{dz}{d\dot{y}} + ff.\frac{dz}{d\ddot{y}} - fff.\frac{dz}{d\dddot{y}} + \&c.\right\}dy
\end{aligned}
\right\} \\
& + \left\{\frac{dz}{d\dot{x}} - f.\frac{dz}{d\ddot{x}} + ff.\frac{dz}{d\dddot{x}} - \&c.\right\}d\dot{x} \\
& + \left\{\frac{dz}{d\ddot{x}} - f\,\frac{dz}{d\dddot{x}} + \&c.\right\}d\ddot{x} \\
& + \left\{\frac{dz}{d\dddot{x}} - \&c.\right\}d\dddot{x} + \&c. \\
& + \left\{\frac{dz}{d\dot{y}} - \&c.\right\}dy + \&c. \\
& - \left\{\left(\frac{dz}{d\dot{x}}\right) - f\left(\frac{dz}{d\ddot{x}}\right) + \&c.\right\}(dx) \\
& - \left\{\left(\frac{dz}{d\ddot{x}}\right) - \&c.\right\}(d\dot{x}) \\
& - \&c. \\
& - \left\{\left(\frac{dz}{d\dot{y}}\right) - \&c.\right\}(dy) - \&c.
\end{aligned}
\right\} = o \quad \text{(A)}
$$

Ista aequatio tres habet partes, quarum una signo *Fl* afficitur, aliae vero sunt extra signum, una ex illis originem, altera extremitatem fluentis spectat; et cum tres illae partes a se invicem nullo modo pendeant, separatim esse debent nihilo aequales; erit igitur

 $\Big\{\dfrac{dz}{dx}$

$$\left\{\frac{dz}{dx} - f\frac{dz}{d\dot{x}} + \&c.\right\} dx + \left\{\frac{dz}{dy} - f.\frac{dz}{d\dot{y}} + \&c.\right\} dy = o \quad (B)$$

$$\left.\begin{array}{l} \left\{\frac{dz}{dx} - f\frac{dz}{d\dot{x}} + \&c.\right\} dx + \left\{\frac{dz}{d\dot{x}} - \&c\right\} d\dot{x} + \&c. \\ + \left\{\frac{dz}{d\dot{y}} - \&c.\right\} dy + \&c. \end{array}\right\} = o \quad (C)$$

$$\left.\begin{array}{l} \left\{\left(\frac{dz}{dx}\right) - f.\left(\frac{dz}{d\dot{x}}\right) + \&c.\right\}(dx) + \left\{\left(\frac{dz}{d\dot{x}}\right) - \&c.\right\}(d\dot{x}) \\ \left\{\left(\frac{dz}{d\dot{y}}\right) +. \&c.\right\} (dy) + \&c. \end{array}\right\} = o \quad (D)$$

III.

Si dx, et dy, a ſe invicem non pendeant, aequatio (B) dat ſequentes

$$\frac{dz}{dx} - f\frac{dz}{d\dot{x}} + ff.\frac{dz}{d\ddot{x}} - \&c. = o \quad (1)$$

$$\frac{dz}{dy} - f\frac{dz}{d\dot{y}} + ff.\frac{dz}{d\ddot{y}} - \&c. = o \quad (2)$$

et ſi z ſit functio infinite parva primi ordinis, in qua poſſit eſſe, ad arbitrium x, variabilis aut conſtans, demonſtravit celeberrimus de la Grange art. 8. pulcherrimi ſui operis, unam ex iſtis aequationem ex altera neceſſario fluere, vel, quod eodem redit, hanc aequationem

$$\left\{\frac{dz}{dx} - f.\frac{dz}{d\dot{x}} + \&c\right\}\dot{x} + . \left\{\frac{dz}{dy} - f\frac{dz}{d\dot{y}} + \&c.\right\}\dot{y} = o$$

eſſe identicam, quod aliunde ita evinci poteſt:

Sit

Sit curva quaecunque BMH, cuius sit abscissa $Ap = x$, et ordinata $pM = y$, et consideremus fluentem Flz, in curva integra




Fig. 1.

BMH, si varietur abscissa Ap, quantitcte $po = dx$, et ordinata pM, quantitate $TS = dy$, ex praecedentibus facile apparet, variationem fluentis esse

$$d.Flz = \left\{\frac{dz}{dx} - f\frac{dz}{dx} + ff\frac{dz'}{dx} - \&c.\right\} dx + \left\{\frac{dz}{dy} - \&c.\right\} dy$$

sive $Fl.z$, spectata in curva $BMSmH$, hac quantitate superat $Fl.z$. in curva $BMmH$ spectatam; si nunc $po = dx$, supponatur aequale $pp = \dot{x}$, et $TS = dy$, aequale, $Rm = \dot{y}$, iam ambae curvae in unam coalescent, ac proinde variatio fluentis Flz, erit nulla unde erit

$$\left\{\frac{dz}{dx} - f.\frac{dz}{d\dot{x}} + \&c.\right\}\dot{x} + \left\{\frac{dz}{dy} - \&c.\right\}\dot{y} = o$$

quae aequatio vera erit, quaecunque supponatur curva BM, ac proinde identica. Est igitur

$$z = \left\{\frac{dz}{d\dot{x}} - f\frac{dz}{dx} + \&c.\right\}\dot{x} + \left\{\frac{dz}{dx} - \&c.\right\}\ddot{x} + \&c.$$
$$+ \left\{\frac{dz}{d\dot{y}} - f\frac{dz}{dy} + \&c\right\}\dot{y} + \left\{\frac{dz}{d\ddot{y}} - \&c.\right\}\ddot{y} + \&c.$$

 Evidens

Evidens eſt, demonſtrationem praecedentem iam non valere, niſi ſit z functio infinite parva primi ordinis, et ad arbitrium ſupponi poſſit $\dot{x}$, variabilis aut conſtans, ſecus enim ſubauditur ſemper variabilis quaedam, u, cuius fluxio ſupponitur conſtans. Ex. gr. ſit $z = \frac{x\ddot{y}}{\dot{x}} + \frac{\ddot{x}}{\dot{x}}$, erit

$z = \frac{x\dot{u}\ddot{y}}{\dot{x}\dot{u}} + \frac{\dot{u}\ddot{x}}{\dot{u}\dot{x}}$, fluxione $\dot{u}$, ſuppoſita conſtante; ſi

nunc eadem fluxio variabilis evadat, erit $z = \frac{x\dot{u}}{\dot{x}} f. \frac{\dot{y}}{\dot{u}}$

$+ \frac{\dot{u}}{\dot{x}} f \frac{\dot{x}}{\dot{u}}$, et problema, in quo quaeritur fluens Fl, z,

talis quae ſit *maximum* vel minimum, a curvo duplicis curvaturae pendet; quod idem eſt dicendum, ſi z functio ſit infinite parva ſecundi aut ſuperiorum ordinum.

IV.

Si ex conditionibus problematis eſſe debeat origo fluentis ad originem variabilium x et y, ſupponendo x fieri $x + (dx)$, et y, $y + (dy)$ initio fluentis, iam variabiles x et y minuuntur per totam fluentem quantitatibus (dx) et (dy), fluensque Flz recipit inde variationem $-(dx)\,Fl\,.\frac{dz}{dx} - (dy)\,Fl\,.\frac{dz}{dy}$, qui duo termini ſi addantur aequationi (D) erit

$$\left.\begin{matrix}\left\{\left(\frac{dz}{dx}\right) - f\left(\frac{dz}{d\dot{x}}\right) + \&c. + Fl.\frac{dz}{dx}\right\}(dx) + \&c. \\ + \left\{\left(\frac{dz}{dy}\right) - f.\left(\frac{dz}{d\dot{y}}\right) + \&c. + Fl.\frac{dz}{dy}\right\}(dy) + \&c.\end{matrix}\right\} = o\,(E)$$

Haec

Haec ingeniosissima consideratio domino de Borda debetur. Nunc vero observo, eliminari posse fluentes $Fl.\frac{dz}{dx}$, et $Fl.\frac{dz}{dy}$, mediantibus aequationibus (1) et (2), ex quibus concluditur

$$Fl.\frac{dz}{dx} = \frac{dz}{dx} - \left(\frac{dz}{dx}\right) - f.\frac{dz}{dx} + f\left(\frac{dz}{dx}\right) + \&c.$$

$$Fl.\frac{dz}{dy} = \frac{dz}{y} - \left(\frac{dz}{dy}\right) - f.\frac{dz}{dy} + f\left(\frac{dz}{dy}\right) + \&c.$$

hinc formam sequentem obtinebit aequatio (E)

$$\left.\begin{array}{l}(dx)\left\{\frac{dz}{dx} - f\frac{dz}{dx} + \&c.\right\} + (dx)\left\{\left(\frac{dz}{dx}\right) - \&c.\right\} + \&c. \\ + (dy)\left\{\frac{dz}{dy} - \&c.\right\} + \&c.\end{array}\right\} = o\,(F)$$

si z, non nisi fluxiones primi ordinis contineat, erit

$$(dx).\frac{dz}{dx} + (dy).\frac{dz}{dy} = o$$

similiter dat aequatio (C), $dx.\frac{dz}{dx} + dy.\frac{dz'}{dy} = o$; est igitur $\frac{(dx)}{(d\,)} = \frac{dx}{dy}$, quod pro solo casu curvae celerrimi descensus observavit sagacissimus de Borda.

V.

Si quaeratur *maximum* aut *minimum* functionis ex x compositae, quam per φ designo, non sufficit, fluxionem $\dot{\varphi}$ nihilo

nihilo adaequare, necesse est praeterea, ut idem pro x valor, quae fit $\dot{\phi} = o$, non ad nihilum redigat $\ddot{\phi}$, vel si id eveniat, ut eodem pro x valore evanescat ϕ; necesse est generaliter ut fluxiones successivae functionis ϕ evanescant in numero impari. Idem prorsus dicendum est de *maximis* et *minimis* fluentium indefinitarum; nunc vero determinemus aequationes, quae has fluxiones successivas nihilo aequando proveniunt. Ad calculi commodum, unam ex primis fluxionibus, v. g. $\dot{x}$, ut constantem, et puncta extrema quasi fixa spectemus. Est igitur

$$dFlz = Fl.dy \left\{\frac{dz}{dy} - f\frac{dz}{d\dot{y}} + \&c.\right\}$$

sit $dy = u\dot{x}$ et $\dot{x}\left\{\frac{dz}{dy} - f\frac{dz}{d\dot{y}} + \&c.\right\} = T$, ex quo fit

$d.Flz = Fl.uT$; characteristicis, d', d'' &c. ad secundas, tertias &c. differentiationes denotandas imposterum utar, erit consequenter

$$d'dFlz = Fl.d'(uT) = Fl.d'y.\left\{\frac{udT}{dy} - f.\frac{udT}{d\dot{y}} + ff.\frac{udT}{d\ddot{y}} - \&c.\right\} =$$
$$+ Fl.Td'u$$

$$= Fl\,d'y.\left\{\begin{array}{l} u\left\{\frac{dT}{dy} - f\frac{dT}{d\dot{y}} + ff\frac{dT}{d\ddot{y}} - \&c.\right\} \\ +\dot{u}\left\{-\frac{dT}{d\dot{y}} + 2f.\frac{dT}{d\ddot{y}} - ff\frac{dT}{d\dddot{y}}\right\} \\ +\ddot{u}\left\{\frac{dT}{d\ddot{y}} - \&c.\right\} \\ + \&c. \end{array}\right\}$$
$$+ FlTd'u$$

Sed

Sed ex conditione maximi aut minimi, eſt $T = o$, et conſequenter $Fl \,.\, T d' u = o$. Si ergo nihilo aequalis ſupponatur, $d' d F l z$, obtinebitur

$$o = u \left\{ \frac{dT}{dy} - f \frac{dT}{d\dot{y}} + ff \frac{dT}{d\ddot{y}} - \&c. \right\}$$
$$+ \dot{u} \left\{ - \frac{dT}{d\dot{y}} + 2f \frac{dT}{d\ddot{y}} - \&c. \right\}$$
$$+ \&c.$$

haec aequatio valere debet, quaecunque ſupponatur u, cum iſta variabilis ab x et y ſit prorſus independens; obtinebuntur ergo ſequentes aequationes:

$$\frac{dT}{dy} - f \frac{dT}{d\dot{y}} + ff \frac{dT}{d\ddot{y}} - \&c. = o$$
$$\frac{dT}{d\dot{y}} - 2f \,.\, \frac{dT}{d\ddot{y}} + \&c. = o$$
$$\frac{dT}{d\ddot{y}} - \&c. = o$$

ex quibus erit

$$\frac{dT}{dy} = o, \quad \frac{dT}{d\dot{y}} = o, \quad \frac{dT}{d\ddot{y}} = o \quad \&c.$$

Si ergo ſit $d F l z = o$, et $d' d F l z = o$ neceſſe eſt ut ex aequatione $T = o$ evaneſcant termini $\frac{dT}{dy}$, $\frac{dT}{d\dot{y}}$, &c.

VI.

Nunc perpendamus, quales aequationes ſuppeditet aequatio $d'' d' d F l z = o$; per ratiocinia praecedentibus

 ſimilia

ſimilia facile apparent, et eodem prorſus modo, quo ex differentiationibus ſucceſſivis fluentis F/z, nihilo aequatis, prodire debeat. Hinc ſtatui poteſt, utrum aequatio $T = o$, maximum aut minimum denotet. Ut vero haec omnia clarius pateant, ſit

$$\frac{dT}{dy} - f\frac{dT}{d\dot{y}} + ff \cdot \frac{dT}{d\ddot{y}} - \&c. = M$$

$$-\frac{dT}{d\dot{y}} + 2f\frac{dT}{d\ddot{y}} - \&c. = N$$

$$\frac{dT}{d\ddot{y}} - \&c. = P$$

&c.

et $d' y = v\dot{x}$

erit $o = d'' \, Fl \, . \, d' y \, [Mu + N\dot{u} + P\ddot{u} + \&c.] =$

$= Fl\,[M\dot{x}\, d''(uv) + N\dot{x}\, d''(v\dot{u}) + P\dot{x}\, d''(v\ddot{u}) + \&c.] +$

$$+ Fl\, d''y \left\{ \begin{array}{l} uv\dot{x}\left\{\frac{dM}{dy} - f\frac{dM}{d\dot{y}} + ff\frac{dM}{d\ddot{y}} - \&c.\right\} \\ +f(uv)^{\cdot}\dot{x}\left\{-\frac{dM}{d\dot{y}} + 2f\frac{dM}{d\ddot{y}} + \&c.\right\} \\ +ff(uv)^{\cdot\cdot}\dot{x}\left\{\frac{dM}{d\ddot{y}} - \&c.\right\} \\ + \&c. \\ + v\dot{u}\dot{x}\left\{\frac{dN}{dy} - f\frac{dN}{d\dot{y}} + ff\frac{dN}{d\ddot{y}} - \&c.\right\} \\ +f(v\dot{u})^{\cdot}\dot{x}\left\{-\frac{dN}{d\dot{y}} + 2f\frac{dN}{d\ddot{y}} - \&c.\right\} \\ +ff(v\dot{u})^{\cdot\cdot}\dot{x}\left\{\frac{dN}{d\ddot{y}} - \&c.\right\} \\ + \&c. \end{array} \right\}$$

$+ Fl\, d''y$

Digitized by Google

$$+ Fl d'' y \left[\begin{array}{l} + v \ddot{u} \dot{x} \left\{ \frac{dP}{dy} - f \frac{dP}{d\dot{y}} + ff \frac{dP}{d\ddot{y}} - \&c. \right\} \\ + f(v\ddot{u})\dot{x} \left\{ \frac{-dP}{d\dot{y}} + 2f.\frac{dP}{d\ddot{y}} - \&c. \right\} \\ + ff(v\ddot{u})\dot{x} \left\{ \frac{dP}{d\ddot{y}} - \&c. \right\} \\ + \&c. \end{array} \right]$$

est autem ex suppositione, $dFlz = o$, et $d' dFlz = o$, unde, $o = Fl\,[M\dot{x}\,d''(uv) + \&c.]$ Praeterea nihilo aequari debent coefficientia quantitatum uv, $v\dot{u}$, $\dot{v}u$, $\dot{v}\dot{u}$, $v\ddot{u}$ &c. unde erit

Primo $\frac{dM}{dy} - f\frac{dM}{d\dot{y}} + ff.\frac{dM}{d\ddot{y}} - \&c. = o.$

Secundo, cum sit $f\,(uv) = v\dot{u} + \dot{v}u$, et quantitas $\dot{v}u$, ex sola fluxione $f\,(uv)$ oriatur, erit

$$o = \frac{dM}{d\dot{y}} - 2f\frac{dM}{d\ddot{y}} + \&c,$$

Tertio, cum sit $ff(uv) = u\ddot{v} + 2\dot{v}\dot{u} + v\ddot{u}$, et $u\ddot{v}$, ex sola fluxione $ff\,(uv)$, oriatur, erit

$$o = \frac{dM}{d\ddot{y}} - \&c.$$

Quarto, coefficiens quantitatis $v\dot{u}\dot{x}$ est

$$\left\{ \frac{dM}{d\dot{y}}\ 2f\frac{dM}{d\ddot{y}} + \&c. + \frac{dN}{dy} - f\frac{dN}{d\dot{y}} + \&c. \right\}$$

qui nihilo aequari debet: cum vero sit iam

$$o = \frac{dM}{d\dot{y}} - 2f\frac{dM}{d\ddot{y}} + \&c.$$

 erit

erit $o = \frac{dN}{dy} - f\frac{dN}{d\dot{y}} + ff\frac{dN}{d\ddot{y}}$

et sic deinceps, unde erit $\frac{dP}{d\ddot{y}} = o$, $\frac{dP}{d\dot{y}} - 2f\frac{dP}{d\ddot{y}} = o$, sive $\frac{dP}{d\dot{y}} = o$, similiter $\frac{dP}{dy} = o$, unde coefficientia fluxionum $\dot{y}$, $\ddot{y}$ &c. in fluxione termini $\frac{dT}{d\ddot{y}}$, evanescere debent.

Erit pariter $\frac{dN}{dy} = o$, $\frac{dN}{d\dot{y}} = o$, $\frac{dN}{d\ddot{y}} = o$ &c.

et $\frac{dM}{dy} = o$, $\frac{dM}{d\dot{y}} = o$, $\frac{dM}{d\ddot{y}} = o$ &c.

VII.

Ut vero methodus praecedens exemplo illustretur, et ipsius necessitas extra dubium statuatur, quaeratur curva in qua maximum aut minimum sit fluens $Fl\left(\frac{x}{q} - \frac{\dot{y}}{\dot{x}}\right)^2 \dot{x}$, & quae praeterea per puncta A et M transeat, posita in A origine coordinatarum x et y, ita ut sit $AP = a$, et $PM = \frac{aa}{2q}$. Ex conditione *maximi* aut *minimi* reperitur per formulas praecedentes $f\left(\frac{x}{q} - \frac{\dot{y}}{\dot{x}}\right) = o$, ex quo integrando

Fig. 2.




Fig. 2.

do, $\frac{xx}{2q} = y + Ax + B$. duae vero constantes arbitrariae A et B, nihilo, ut patet, sunt aequales, cum posito $x = o$, sit $y = o$, unde $B = o$, et posito $x = a$, sit $y = \frac{aa}{2q}$, unde $A = o$. Est ergo $y = \frac{xx}{2q}$, $\frac{x}{q} - \frac{\dot{y}}{\dot{x}} = o$, et $Fl \left(\frac{x}{q} - \frac{\dot{y}}{\dot{x}}\right)^{*} \dot{x} = o$. Porro, si huic casui methodum praecedentem applicemus, patet, aequationem $\frac{xx}{2q} = y$, neque *maximum*, neque *minimum* indicare. Tunc enim est

$$T = \frac{3\dot{x}f}{} \cdot \left(\frac{x}{q} - \frac{\dot{y}}{\dot{x}}\right)^{2} = \frac{6\dot{x}}{}\left(\frac{x}{q} - \frac{\dot{y}}{\dot{x}}\right)\left(\frac{\dot{x}}{q} - \frac{\ddot{y}}{\dot{x}}\right),$$

unde ex aequatione $\frac{x}{q} - \frac{\dot{y}}{\dot{x}} = o$, evanescunt, $\frac{dT}{d\dot{y}}$, et $\frac{dT}{d\ddot{y}}$, est proinde $d' \, d\, Fl\, z = o$,

at $M = \frac{6f}{x^{2}}\left(\frac{\dot{x}}{q} - \frac{\ddot{y}}{\dot{x}}\right) - \frac{6ff}{}\left(\frac{x}{q} - \frac{\dot{y}}{\dot{x}}\right) = o$

$N = \frac{6}{}\left(\frac{\dot{x}}{q} - \frac{\ddot{y}}{\dot{x}}\right) - \frac{2.6f}{x^{2}}\left(\frac{x}{q} - \frac{\dot{y}}{\dot{x}}\right) = -\frac{6}{x^{2}}\left(\frac{\dot{x}}{q} - \frac{\ddot{y}}{\dot{x}}\right)$

et $P = -\frac{6}{}\left(\frac{x}{q} - \frac{\dot{y}}{\dot{x}}\right)$, unde $\frac{dN}{d\dot{y}} = \frac{6}{\dot{x}}$, et $\frac{dP}{d\dot{y}} = \frac{6}{\dot{x}}$, quae quantitates, posito $\frac{x}{q} - \frac{\dot{y}}{\dot{x}} = o$, non evanescunt. Non erit per consequens. $d'' \, d' \, d\, Fl\, z = o$.

Aliunde sic confirmari potest aequationem $\frac{xx}{2q} = y$

maximum aut *minimum* non indicare. Sit enim (Fig. 2.) linea recta AM, cuius aequatio sit $y = \frac{ax}{2q}$, erit $Fl\left(\frac{x}{q} - \frac{\dot{y}}{\dot{x}}\right)^3 \dot{x} = Fl\left(\frac{x}{q} - \frac{a}{2q}\right)^3 \dot{x} = \frac{\left(x - \frac{a}{2}\right)^4 - \left(\frac{a}{2}\right)^4}{4q^3}$, quae posito $x = o$, evanescit, unde tam pro linea recta AM, quam pro curva parabolica ABM, est $o = Fl\left(\frac{x}{q} - \frac{\dot{y}}{\dot{x}}\right)^3 \dot{x}$, a puncto A ad punctum M.

Iam vero patet, infinitas dari lineas, in quibus est $Fl\left(\frac{x}{q} - \frac{\dot{y}}{\dot{x}}\right)^3 \dot{x}$, nihilo maior, aut minor.



Fig. 3.

Sit enim recta AM, cuius aequatio est $y = \frac{ax}{2q}$ et $Ao = x$, et $on = y$, et applicata infinite proxima $ps = y'$, quae augeatur quantitate $sr = \alpha e$, tunc variatio fluentis $Fl\left(\frac{x}{q} - \frac{\dot{y}}{\dot{x}}\right)^3 \dot{x}$, erit $3\alpha e f\left(\frac{x}{q} - \frac{a}{2q}\right)^2$, quae positiva esse potest aut negativa.

Hinc patet necessitas methodi superius expositae ad secernendum, utrum aequatio ex prima differentiatione Flz, nihilo

nihilo adaequata, *maximum* aut *minimum* denotet. Sine hac enim pro maximo aut *minimo* haberetur id, quod re ipsa ex his neutrum est.

VIII.

Si semel certum sit, aequationem $T = o$, *maximum* aut *minimum* denotare, ad secernendum utrum ex his locum habeat, methodus sequens adhiberi potest.

Suppono, simplicitatis gratia, quantitatem T, non nisi fluxiones secundi ordinis, et z duntaxat fluxiones primi ordinis continere, praetereaquae lineam BH curvam esse *maximi* aut *minimi* et unicam applicatam $pm = y$ quantitate $ms = dy = ae$, augeri; erit per methodum Eulerianam $dFlz = ae\left(\frac{dz}{dy} - f.\frac{dz,}{d\dot{y}}\right)$




Fig. 4.

z et y &c. denotantibus quantitates $z - \dot{z}$, $\dot{y} - \ddot{y}$, &c. Sit $Q, = -f\frac{dz,}{d\ddot{y}}$, et supponatur $y + ae$, adhuc quantitate ae, augeri, erit $d'dFl.z = ae.\frac{dQ,}{d\ddot{y},}d\ddot{y},$; est autem $d\ddot{y}, = d(y' - 2y + y) = - 2ae$ ac proinde $d'dFlz = - 2ae^2\frac{dQ,}{d\ddot{y}}$ seu $d'dFlz = - 2ae^2 x\frac{dT}{d\ddot{y}}$

unde,

unde, si quantitas $\dot{x}\,\frac{dT}{d\dot{y}}$, sit positiva, aequatio $T = 0$ maximum indicabit, secus vero si $\dot{x}\,\frac{dT}{d\dot{y}}$, sit quantitas negativa. Sit v. g. ut in curva celerrimi descensus $f\,l\,z = Fl\,\frac{\sqrt{\dot{x}^2 + \dot{y}^2}}{\sqrt{x}}$, erit $\dot{x}\,T = -\frac{f\,.\,\dot{y}}{\sqrt{x}\,.\,\sqrt{\dot{x}^2 + \dot{y}^2}}$, unde $\dot{x}\,\frac{dT}{d\dot{y}} = \frac{-\dot{x}^2}{\sqrt{x}\,.\,(\dot{x}^2 + \dot{y}^2)^{\frac{3}{2}}}$, quae quantitas cum sit negativa, sequitur, aequationem $T = 0$ minimum indicare.

IX.

Si desiderentur aequationes pro punctis extremis, quae ex horum variationibus secundis, tertiis, quartis &c. nihilo aequatis, oriuntur, differentiandae sunt aequationes (C) et (F). Cum haec omnia nullam difficultatem patiantur, istis amplius insistere prorsus inutile foret.

X.

Huc usque supposuimus $Fl\,.\,z$. fluentem indefinitam: si vero sit definita, iam nullum est *maximum*, aut *minimum*, et nihilo aequari debent termini signo Fl affecti in expressione fluentis, $Fl\,.\,z$; quam in articulo secundo dedimus. Erit igitur

$\frac{dz}{dx}$ —

Digitized by Google

$$\frac{dz}{dx} - f\frac{dz}{d\dot{x}} + ff\frac{dz}{d\ddot{x}} - \&c. = 0$$

$$\frac{dz}{dy} - f\frac{dz}{d\dot{y}} + ff\frac{dz}{d\ddot{y}} - \&c. = 0$$

quae aequationes valere debent, quaecunque ſupponantur variabiles x, y, ac proinde erunt identicae.

Si poſſibilis ſit, $Fl\,Fl.z$, invenietur integrando per partes

$$Fl\,Fl.dz = Fl\,Fl\left\{\frac{dz}{dx} - f\frac{dz}{d\dot{x}} + \&c.\right\}$$
$$+ Fl\left\{\frac{dz}{d\dot{x}} - 2f\frac{dz}{d\ddot{x}} + \&c.\right\}$$
$$+ \&c.$$

id omne quod ſub duplicibus ſignis $Fl\,Fl$, et Fl, reperitur, per ſe debet evaneſcere, unde aequationes ſequentes erunt identicae:

$$\frac{dz}{dx} - f\frac{dz}{d\dot{x}} + ff\frac{dz}{d\ddot{x}} - \&c. = 0$$

$$\frac{dz}{d\dot{x}} - 2f\frac{dz}{d\ddot{x}} + \&c. = 0$$

hic unicam duntaxat variabilem ſpecto, altera aequationes analogas praebente.

Si poſſibilis ſit $Fl\,Fl\,Fl\,z$, obtinebuntur tres aequationes ſequentes identicae, quas aequationes *conditionales* voco.

$\frac{dz}{dx} -$

$$\frac{dz}{dx} - f\frac{dz}{d\dot{x}} + ff \cdot \frac{dz}{d\ddot{x}} - \&c. = o$$

$$\frac{dz}{d\dot{x}} - 2f\frac{dz}{d\ddot{x}} + \&c. = o$$

$$\frac{dz}{d\ddot{x}} - 3f\frac{dz}{d\dddot{x}} + \&c. = o$$

Lex harum aequationum clare perſpicitur, & hinc facile eſt concludere aequationes conditionales, ut poſſibilis ſit $Fl''z$, ita ut ſi poſſibilis ſit $Fl''z$, his aequationibus erit locus, et reciproce, ſi valeant hae aequationes, poſſibilis erit $Fl''z$. Poterit ergo ſtatui, utrum fluxio quaecunque z fluentem habeat finitam.

Haec omnia videri poſſunt, directa et pulcherrima methodo demonſtrata in calculo integrali illuſtriſſimi Marchionis de Condorat.

Ecce nunc Theorema quod ex praecedentibus deducitur, et mihi utile viſum eſt.

XI.

Theorema.

Si z fluxio ſit exacta alterius fluxionis B, infinite parvae primi ordinis, et in qua poſſit ad libitum fieri $\dot{x}$, variabilis aut conſtans, ut evenire debet in problematibus quae unice a conſideratione duarum variabilium pendent, erit

$Fl.z$

Digitized by Google

$$Fl.\,z \text{ aut } B = \left\{\frac{dz}{d\dot{x}} - 2f\frac{dz}{d\ddot{x}} + \&c.\right\}\dot{x} + \left\{\frac{dz}{d\ddot{x}} - \&c.\right\}\ddot{x} + \&c.$$

$$+ \left\{\frac{dz}{d\dot{y}} - 2f\frac{dz}{d\ddot{y}} + \&c.\right\}\dot{y} + \left\{\frac{dz}{d\ddot{y}} - \&c.\right\}\ddot{y} + \&c.$$

Demonstratio.

Cum sit $Flz = B$, et $Fl\,Fl\,dz = Fl\,dB$, facile reperietur integrando per partes

$$Fl\,Fl\,az = Fl\,Fl\left\{\frac{dz}{dx} - f\frac{dz}{d\dot{x}} + \&c.\right\}dx$$

$$+ Fl\,Fl\left\{\frac{dz}{dy} - f\frac{dz}{d\dot{y}} + \&c.\right\}dy$$

$$+ Fl\left\{\frac{dz}{d\dot{x}} - 2f\frac{dz}{d\ddot{x}} + \&c.\right\}dx$$

$$+ Fl\left\{\frac{dz}{d\dot{y}} - 2f\frac{dz}{d\ddot{y}} + \&c.\right\}dy$$

$$+ \left\{\frac{dz}{d\dot{x}} - 2f\frac{dz}{d\ddot{x}} + \&c.\right\}dx + \left\{\frac{dz}{d\ddot{x}} - \&c.\right\}d\dot{x} + \&c.$$

$$+ \left\{\frac{dz}{d\dot{y}} - 2f\frac{dz}{d\ddot{y}} + \&c.\right\}dy + \left\{\frac{dz}{d\ddot{y}} - \&c.\right\}d\dot{y} + \&c.$$

$$\text{et } Fl\,dB = Fl\left\{\frac{dB}{dx} - f\frac{dB}{d\dot{x}} + \&c.\right\}dx$$

$$+ Fl\left\{\frac{dB}{dy} - f\frac{dB}{d\dot{y}} + \&c.\right\}dy$$

 $+ \left\{\frac{dB}{d\dot{x}}\right.$

$$+\left\{\frac{dB}{d\dot{x}} - f\frac{dB}{d\ddot{x}} + \&c.\right\}dx + \left\{\frac{dB}{d\ddot{x}} - f\frac{dB}{d\dddot{x}} + \&c.\right\}d\dot{x} + \&c.$$

$$+\left\{\frac{dB}{d\dot{y}} - f\frac{dB}{d\ddot{y}} + \&c.\right\}dy + \left\{\frac{dB}{d\ddot{y}} - \&c.\right\}d\dot{y} + \&c.$$

Si hi duo valores fluentis $Fl\,dB$ inter ſe comparentur, facile apparet, in prima, partem ſigno $Fl\,Fl$ affectam, ex ſe in nihilum abire, cum ex hypotheſi poſſibilis ſit $Fl.z$; deinde partes in utroque valore ſigno Fl affectae, debent eſſe inter ſe aequales, aeque ac partes extra ſignum: erit ergo

$$\left\{\frac{dB}{d\dot{x}} - f\frac{dB}{d\ddot{x}} + \&c.\right\}dx + \left\{\frac{dB}{d\ddot{x}} - \&c.\right\}d\dot{x} + \left\{\frac{dB}{d\dot{y}} - \&c.\right\}dy + \&c. =$$

$$= \left\{\frac{dz}{d\dot{x}} - 2f\frac{dz}{d\ddot{x}} + \&c.\right\}dx + \left\{\frac{dz}{d\ddot{x}} - \&c.\right\}d\dot{x} + \&c.$$

$$+\left\{\frac{dz}{d\dot{y}} - 2f\frac{dz}{d\ddot{y}} + \&c.\right\}dy + \left\{\frac{dz}{d\ddot{y}} - \&c.\right\}d\dot{y} + \&c.$$

Coefficientes vero quantitatum dx, $d\dot{x}$ &c., dy, $d\dot{y}$ &c. inter ſe debent eſſe aequales, unde

$$\left.\begin{array}{l} \left\{\frac{dB}{d\dot{x}} - f\frac{dB}{d\ddot{x}} + \&c.\right\}\dot{x} + \left\{\frac{dB}{d\ddot{x}} - \&c.\right\}\ddot{x} + \&c. \\ + \left\{\frac{dB}{d\dot{y}} - f\frac{dB}{d\ddot{y}} + \&c.\right\}\dot{y} + \left\{\frac{dB}{d\ddot{y}} - \&c. - \&c.\right\}\ddot{y} + \&c. \end{array}\right\} = B \text{ (ex art. 3.)} =$$

$$= \left\{\frac{dz}{d\dot{x}} - 2f\frac{dz}{d\ddot{x}} + \&c.\right\}\dot{x} + \left\{\frac{dz}{d\ddot{x}} - \&c.\right\}\ddot{x} + \&c.$$

$+\left\{\frac{dz}{d\dot{y}}\right.$

$$+\left\{\frac{dz}{d\ddot{y}} - 2\int\frac{dz}{d\dddot{y}} + \&c.\right\}\dot{y} + \left\{\frac{dz}{d\dddot{y}} - \&c.\right\}\ddot{y} + \&c.$$

Sit v. g. $z = \frac{y\dot{x}^2\ddot{x} + \dot{x}^2\dot{y}^2 + 2x\dot{y}\ddot{y} + x\dot{y}^2\ddot{x} + \dot{y}x^3}{\dot{x}^2}$, erit

$$\beta = \frac{dz}{d\ddot{x}}\dot{x} + \frac{dz}{d\ddot{y}}\dot{y} = \left(\frac{y\dot{x}^2 - x\dot{y}^2}{\dot{x}^2}\right)\dot{x} + \frac{2x\dot{x}\dot{y}}{\dot{x}^2} = \frac{y\dot{x}^2 + x\dot{y}^2}{\dot{x}}$$

Si *Fl Fl z* aequalis foret fluxioni *B*, infinite parvae primi ordinis, in qua possit ad arbitrium fieri $\dot{x}$, constans aut variabilis, per eandem methodum *B* facile reperiretur, id quod dicendum est pariter de fluentibus superioribus.

CATALOGUS CODICUM MSS. BIBLIOTHECAE Bernensis, Annotationibus criticis illustratus: addita sunt specimina scripturae ex Codicibus variae aetatis, tabulis sculptis exhibita, et Praefatio historica: curante I. R. SINNER, Bibliothecario.

Bernae, Tomus I. Alph. 2. MDCCLX. Tomus II. cum excerptis quamplurimis, Alphab. 1. plagg. 17. MDCCLXX. Tomus III. Alph. 2. plagg. 4. MDCCLXXII. octonis.

Nihil profecto vel ad literas bonas iuvandus potest esse utilius, vel ad horum doctores aut incitandos, aut sublevandos adcommodatius, quam si bibliothecarum publicarum thesauri omnium notitiae exponantur. Quae res si pro parva et contemnenda habenda esset, non in tali labore conficiendo temporis tam multum tot summi homines collocassent. Et videmus quam cupide comparentur, quam sae-

 pe

pe adhibeantur Catalogi Codd. MSS. ab iis, qui auctorem aliquem antiquum accurate, id est critica diligentia, edere constituunt. Careremus sane ad hunc usque diem permultis optimae notae editionibus, nisi praesidia hisce Catalogis indicata peti inde, et in usum communem adhiberi potuissent. Etsi autem non contemnendi tales Catalogi, qui Indicem modo Codicum continent: videntur tamen haud paullo meliores, qui sic sunt instituti, ut et de aetate atque bonitate Codicum possit cognosci, additis subinde et aliis, quae rei Criticae prodesse putantur. Talem Catalogum cum nobis dederit industria Sinneri, Viri doctissimi, non dubitamus, quin gratum id sit futurum omnibus harum rerum et studiosis et peritis, longeque iucundissimum. Sequutus est Vir Celeb. hanc rationem, ut primo loco collocaret Codices, qui ad rem Theologicam pertinerent, adiunctis scriptis Judaicis et Muhammedanis; secundo auctores Graecos et Latinos, usque ad Carolum M. tertio scriptores Historicos a Caroli M. temporibus; quarto alia scripta recentiorum ad varia doctrinae genera spectantium. Jam de singulis quaedam commemorabimus.

Pag. 15. est Codex Bibliorum Hebraicorum membranaceus e Saeculo XIII. de quo, quia nostris temporibus Critica Veteris Testamenti eo videtur adducta, ut diligentius quam ante tractetur, licet a paucis, et illis non superstitiosis, ipsius Cel Sinneri verba si adscribamus, non videtur absurdum. „*Scriptionis haec est ratio: Singulae membranae quadratae fere paginae in 3. columnas lineis ductis distinctae sunt, — quo factum est, ut ubique fere vocabula secanda fuerint. — Characteres literarum grandes sunt, crassi, satis elegantes, scriptor tamen huius textus, vel imperitus, vel supine negligens*, (sed quot sunt Codd. qui a scriba docto et perito sint scripti?) *omnia haec non pro solita accuratione Judaeorum in libris sacris exarandis. Multa enim a prima manu fuerant perperam scripta, levibus dehinc lituris emendata, multa omissa,*

omissa, minuto charactere ad marginem suppleta: (bene fuisset factum, si indicatum esset, an atramentum eandem habere videatur aetatem; et etiamsi sunt multa a recentioni manu correcta, tamen inde non sequitur, scriptorem fuisse neglgentem, nam potuit in suo codice eam scripturam, quam dedit, habere.) — *Punctorum vocalium atque accentuum, qui per totum librum adiecti sunt, maior est accuratio, — haec a secunda — manu adiecta sunt*, (ab eadem, an a recentiori?) *Vitiosa toties scriptio, scriptoris negligentiam et festinationem prodit; felix nonnunquam error, qui pro lectione possit obtrudi, casui, non meliori codici debetur, cuius auctoritate motus sit scriptor.* Ultima haec viri Cel. talia sunt, quibus assentiri non posse videmur. Quodsi enim lectionem casui tribuere velimus, statim id arripiunt superstitiosi, contendentque, omnes lectionis varietates esse e casu, et fortuitas, et ideo incertas; quas nemo diiudicare, etiamsi sit peritissimus, possit. Essent itaque editores textus vulgati eius quem quisque haberet, *θεόπνευστοι*, et paullatim tota ars critica tolleretur, quod a Viri Cl. sententia longe esse alienum plane confidimus.

Pag. 16. et seq. recensentur Codices bibliorum Latinorum Hieronymianorum, et quae quisque Codex contineat. Non ab re credimus fuisset, si quaedam de illorum Coddi indole et natura essent commemorata, saltem aliquot locis, ex quibus videri possit, num consentiant versioni vulgatae, quae nunc est, an retineant quaedam versionis illius antiquae Italae, de qua, ut notum, Blanchinus multa laboravit.

Pag. 64. n. 219. est Cod. Membr. Saec. VIII. qui continet Eusebii Chronicon Hieronymo interprete. Cuius codicis, qui etiam differt ab editione Scaligeri, accurata descriptio, digna est quae cognoscatur: lectu etiam digna sunt, quae pag. 98. sqq. de libro, *le fameux livre des trois Imposteurs*, traduntur. Putat nempe Cl. Sinnerus, esse hunc librum partum Saeculi XVII. sive XVIII. Pag. 109. n. 152. est Codex Membr. Saec. XIII. *Lotharii Levitae et Cardinalis liber de utilitate*

utilitate conditionis humanae, quem ignotum fuisse Fabricio, Caveo, et Oudino, et forte esse ineditum, observat Cl. Sinnerus. Accurate describitur Codex anecdotus, scriptus Saec. XVI. *Nili Paradisus s. Carmina tetrasticha Hexametra et Pentametra*, additis speciminibus versuum. Pag. 138. recensetur Cod. Saec. IX. continens poemata poetarum Christianorum, editorum iam et ineditorum. Inter alia est carmen de Herico, sine auctore, tributum ab aliis Paulino, Aquileiensium Patriarchae. Edidit hoc denuo Cl. Sinnerus, addiditque notas, ad Geographiam atque Historiam antiquam cognoscendam utilissimas, additis etiam variis lectionibus, editionis Abbatis le Boeuf. Pag. 175. est Codex Chart. Saec. XVI. *Pselli Stichi Politici in Cantica*, Graece, recentior ille quidem, sed tamen, ut Cl. Sinnerus observat, additis etiam speciminibus, auctior eo, quo Meursius, qui hoc opus edidit, usus est Pag. 245. est Cod. Saeculi XIII. *Salvatoris infantia, seu Thomae Hysmaelitae Tractatus de operibus Jesu*. Diversum hoc opus esse ab eo, quod ab aliis iam est editum, monet Cl. Sinnerus, cui subiuncta est alia narratio, *de assumptione vel transitu b. Mariae*, sine auctore, quae tota edita est. Pag. 278. est Cod. Claudii Caesaris Arati Phaenomena. Differre eum valde ab editione Grotiana, et qua collocationem figurarum, observat Cel. Sinnerus, et qua lectiones; et praeterea esse auctiorem versibus 29. qui iam eduntur. Pag. 299. n. 56. et 331. sunt duo Codd. Martiani Capellae, de nuptiis Philologiae et Mercurii, quorum prior libros habet novem, et est Saeculi IX. alter Saeculi decimi tantum VII. priores. Cuius Scriptoris cum et rarae et paucae sunt editiones, et pauci qui de ipso aliquid dixerunt, haud videbitur absurdum, si ea, quae Cl. Sinnerus dedit, descripta cum Lectore communicaverimus. „*Hi duo*, inquit, *Martiani Capellae Codices, non modo haud aspernendae vetustatis notam praeferunt; sed uterque, praecipue vero Codex 56. b. antiquior, et maiori diligentia exaratus, nobis aliquando emendatiorem, quam in editis extat, auctorem exhibere videtur.*

Optimam

Optimam Hugo Grotius olim publici iuris fecit editionem, et viri eruditi, qui eum praecessit, Bon. Vulcanii labores haud aspernendi; non omnia tamen viros eruditos, vel ad emendandum auctorem, vel ad explicandam eius mentem, observasse comprobavi, postquam diligentius Codices nostros cum ipsorum editionibus contuli. Multa quidem Vulcanius ex iisdem, quas habemus, glossis eruit, sed non omnia, ne quidem Grotius. Utile itaque fore existimavi omnibus, si ex ipsis Codicibus nostris varias lectiones, glossas etiam, quas neque Grotius, neque Vulcanius adhibuerunt, publici nunc primum iuris faciam, additis aliquando meis observatiunculis. — Monendum autem, in utroque Codice praemitti ea, quae de vita Martiani Capellae edita sunt in capite eiusdem auctoris, Basileae evulgati apud Henr. Petri 1532. Abit tamen noster codex ab editis, ubi sic legitur: Introducitur in fronte istius libri quaedam Satira, id est Venus, Martiani amica, hos versus iu honorem Hymenaei cecinisse. *Noster vero Codex ea verba,* id est Venus, *omittit.* Haec Cel. Sinnerus de Codd. Capellae. Subiiciamus et specimen Glossarum, quas ille dedit.

„Et ritu nictantis antistitis, priusquam fores aditumque reseraris, γυμνολογιζεις.

Glossa. *Nictantis dicit, id est vigilantis, a graeco νύξ, quod est nox. Et tangit morem Romanum: Romani enim cum in bellum essent profecturi, Pontifex mane, antequam pergerent, surgebat, et antequam templum aperiret, solebat verba aut preces fundere in Templo Martis, et tollebat uexilla in manibus, dicens,* Mars vigila.. *Et postea aperiebat templum, ut ingredientes milites precarentur Martem.*

„Ne tu, inquam, desipis, admodumque perspicui operis, ἐγερσιμιον, noscens creperum sapis? nec liquet Hymenaeo praelibante disposita nuptias resultare?

Glossa. *Id est resurrectionum. Est vero Egersimion, Liber apud Graecos de Apotheosi, et est sensus: Cum, inquit.*

E e an

audieris hymenaeum praelibantem, id est praegustantem disposita, scilicet carmina, et cum tibi notus sit liber ille Egerimion elegantissimi et perspicui operis apud graecos, cur creperum sapis, id est dubitas de nuptiis deorum me velle loqui, cum audias Hymenaeum nuptias resultare, id est resonare.

„Atque in conspectu quatuor urnulas adopertas vicissim atque alternis inspectionibus enudare.

Glossa. *Quatuor urnulae significant quatuor anni tempora. Per ferrum significatur fervor et duritia aestatis. Per argentum significatur vernale tempus, quod est clarum et temperatum.*

„Haec Saturni vocatur exitium.

Glossa. *Exitium Saturni dicitur hiemps, non quod Saturnus exitium pateretur, sed quod infert; hiemali enim tempore omnium rerum pulcritudo deperit. Unde est ficta fabula de Venere et Adone.*

„In secunda autem mansitabant praeter domum Jovis, quae ibi quoque sublimis, ut est in omnibus, praediatus, Quirinus Mars, Lar militaris.

Glossa. *Lar militaris, Deus illius ignis, qui a militibus, dum proficiscuntur ad militiam, fertur. Novensiles dii dicuntur, quasi novem salientes, id est Saltatores Jovis.*

„De tertia Regione unum placuit corrogari; nam Jovis secundani, et Jovis opulentiae, Minervaeque domus ibi sunt constitutae.

Glossa. *Jovis secundani, qui praeerat prosperitatibus; Jovii opulentiae, qui praeerat opibus. Unum autem ex hac regione dicit euocatum, id est Plutonem, quia reliqui iam evocati erant.*

„Huic rosis decusatim vinctis sertata connectio.

Glossa. *Id est Veneri; decussatim id est ornate.*

Adpo-

Adponamus etiam locum ex lib. II. initio, etſi longiorem illum, nam Cl. Sinnerus non infeliciter tractaſſe eum videtur.

„Itaque primo, conduceret ne connubium — ex nuptiali congruentia numero conquirit. Moxque nomen ſuum Cyllenii que vocabulum, — quod naſcenti ab ipſo Jove, ſiderea nuncupatione compactum, ac per ſola Aegyptiorum commenta vulgatum, fallax mortalium curioſitas aſſeuerat, in digitos calculumque diſtribuit; ex quo finalem utrimque litteram ſumit quae numeri primum perfectumque terminum claudit; dehinc illud, quod in fanis omnibus ſoliditate Cybica dominus adoratur; litteram quoque quam vim mortalitatis aſſerere prudens Samius aeſtimauit, in locum proximum ſumit; ac ſic mille ducenti decem et octo numeri refulſerunt, quos per novenariam regulam diſtribuens, minuenſque per monadas decadibus ſubrogatas, in tertium numerum perite reſtrinxit. Suum quoque vocabulum per ſeptingentos viginti quatuor numeros explicatum in quaternarium duxit, qui uterque numerus congruenti ambobus ratione ſignatur.

Iſte locus admodum torſit omnes interpretes. Ad veram auctoris mentem prope acceſſit Grotius, qui nomen illud Mercurii, per Aegyptiorum commenta vulgatum eſſe ΘΩΥΘ *indicavit, quum Gloſſae noſtrae neſcio quod nomen* ΚΥΡΡΙΟ *ſomniarint; primam illam quidem litteram eſſe* X *exiſtimarunt, pro qua* K *reponunt. Aſſerunt autem, ut hoc probent, locum Priſciani de Ponderibus, ubi ait: Si ex utroque latere ductis virgulis finita ſit littera* X, *primum Cybum, id eſt ſolidum numerum, ex denario conficere, id eſt millenarium, hac nempe figura* IXI: *et hoc addunt eaedem Gloſſae, ſuper ſtatuas Mercurii litteram* X *clauſam ſcriptam fuiſſe, et de hoc loqui Martianum Capellam, ubi ait:* quod in fanis omnibus cubica ſoliditate dominus adoretur. *Sed haec omnia a mente auctoris aliena. Nomen Mercurii Thouth, vel, uti graecis litteris ſcribitur,* ΘΩΥΘ, *hic innuere Capellam patet. In interpreta-*

tione

tione tamen litterae Ω erraſſe Grotius videtur, qui ſoliditutem cubicam in eius numero, qui ſecundum vim alphabeti graecorum eſt 800, fruſtra quaeſivit. Nam numerus quidem octonarius eſt cubicus, non itidem numerus 800. Soliditas cubica forſan referenda erit ad antiquam formam litterae Ω vel O, *quae olim eandem vim habebant. Illa autem forma antiqua huius litterae erat quadrata, vel cubo ſimilis, ut patet ex variis monumentis, quae exhibet Monteſalconius in Palaeographia graeca. Forſitan Capella a figurae ſimilitudine alluſit ad lapides, ſive columnas quadratas, quibus olim Aegyptii ſcientiarum inventa inſculpebant; hos lapides Sophoclis Scholiaſtes ad Electrae verſ. 722. vocat* Κυβοειδεῖς λίθους. *Eas Columnas* Thoth *vocatas fuiſſe, quae deinde fingendo numini anſam praebuere, docet Jablonski in Pantheo Aegyptiorum Lib. 5. Cap. 5. Hos vero lapides ſive columnas in Templis repoſitas fuiſſe conſtat, teſte Georg. Syncello in Chronographia, et aliis multis. Eorum ſoliditatem cubicam repreſentabat littera Ω in nomine Mercurii.*

Haec, licet longiora libenter deſcripſimus, quia ſunt teſtimonio, quam non vulgariter Cl. Sinnerus in univerſa antiquitate tractanda verſatus ſit.

Inter alios multos eminent Codd. Gellii, quorum ab editis varietates exhibitae ſunt p. 383. et Gloſſaria antiqua latina, et integra, et fragmenta quorum ſpecimina ſunt a pag 387 uſque ad 415. Non dubitamus, quin multi ſint futuri, quibus horum cognitio iucunda videatur. Permultos praeterea antiquorum auctorum habet illa Bibliotheca Codd. inprimis Poetarum, ut Lucani, Ovidii, Virgilii etiam Petronii, cuius a Burmanni editione affert Cl. Sinnerus varietates; ſed quia iam nimis verborum feciſſe videmur, mittimus primum hunc Tomum, et ad ſecundum nos convertimus.

Secundus

Digitized by Google

Secundus igitur totus verſatur in exponendis copiis ad hiſtoriam medii aevi pertinentibus. Huius, ut primi, magna olim pars fuit Bibliotheca Bongarſiana. Ea ratione, qua in Primo Tomo verſatus eſt Cl. Sinnerus. Non nudos librorum commemorat titulos, ſed et eos curioſe deſcribit, dat excerpta, et non pauca inedita prius evulgat. Age et ipſi quaedam, quae cognitu non inutilia arbitrati ſumus, deſcripta cum Lectore communicemus.

Eſt pag. 46. Codex olim Bongarſii, Saeculi XII, continens deſcriptionem terrae Sanctae, Auctore Anonymo Ex pluribus quae Cl. Sinnerus dat, ipſum ſecuti doctiſſimum Auctorem, haec ſelegimus. Sic autem ille:

Capita tria ultima hos titulos habent,

„De fertilitate terrae ſanctae, de vineis terrae ſanctae, de „habitatoribus terrae ſanctae.

Ea praecipue ideo edimus, quia de hoc argumento, nempe de fertilitate terrae ſanctae, (quam poſt alios etiam egregie Cel. Shaw in eruditiſſimo Itinerario vindicavit,) *noſtro aevo diſputatum eſt. Monumentum, quod edimus, 600 fere annorum antiquitatem quum prae ſe ferat, qualis tunc fuerit Terrae S. ſtatus ſcire cupientibus gratum erit:*

„Terra autem ſancta, ſicut et ſcribitur et legitur, erat „in veritate egregia inter omnes terras, licet quibusdam, qui „ipſam diligenter non conſideraverunt, contrarium videatur. „Eſt tamen fertilis valde in frumento quod fere absque la„bore magno colitur et creſcit. Cum duobus enim bobus, „ut ſaepius vidi, trahitur aratrum in tota terra, nec eſt neceſſe „equos annectere propter facilitatem arandi. Sed nec „ſtercorari ibi unquam vidi terras aut agros, herbas mul„tas ſponte profert humus; feniculus, ſalvia, ruta, et roſae, „paſſim etiam in campis creſcunt; lana ſuccida creſcit, „in quibuſdam fructectis quae alta ſunt uſque ſuper genua „hominis ſuper terram, et ſingulis annis de novo creſ„cunt vitis foliis fere ſimilia, et in ipſis creſcunt folli-

„culi quidam, in quibus eſt lana, quae colligitur circa fe-
„ſtum Michaelis. Cannae mellis ſimiliter creſcunt ibi in
„locis opportunis quae ſunt ſimiles cannis communi-
„bus exterius, ſed maiores multo. Interius enim non
„ſunt &c.

Magna deinceps recenſetur multitudo Chronicorum partim ineditorum, quae ad antiquam domus Auſtriacae et regum Franconicorum hiſtoriam pertinent, et latina, et antiqua lingua Franco-Gallica conſcriptorum. Inter quae eminet, nec lectu eſt iniucundum, quod totum iam editum eſt, carmen germanicum de Bello Argovienſi, (p. 81.) quo Helvetii iuſſu Concilii Conſtantienſis Friderici Auſtriaci editionem invaſerunt. Coniuncta ſunt cum hoc carmine varia de Conventu Friderici Imperatoris cum Carolo Burgundiae Duce in urbe Treverorum habito, anno 1473. et de nuptiis Marchionis Budenſis cum Auſtriaca anno 1447. celebratis.

Excipit Codex continens narrationem Anonymi de Praelio Laupenſi. Apparet ex illis particulis, quas Cl. Sinnerus edidit, eruditis ſubinde ſubiectis animadverſionibus, quae ratio fuerit eo tempore civitatis Bernenſis et Civitatum Silvaticarum.

Pag. 109. Commemoratur Anonymi Hiſtoria Piſanorum, Gallica, ſcripta Saeculo XV. Incipit a prima urbis origine, et pertinet uſque ad annum 1405. quo Florentini Urbem Piſarum, proditione Iohannis Gambacurtae, poſt longam obſidionem expugnarunt, quo bello Piſani amiſere libertatem. Multa ex codice ſunt edita a Cl. Sinnero, et obſervationibus ad hiſtoriam eius temporis ſpectantibus egregie illuſtrata. Pag. 338. eſt carmen Graecum hiſtoricum, de bello ſacro Chriſtianorum, a Godefrido Bullonio et Petro Heremita, uſque ad tempora Michaelis Palaeologi. Specimen eſt hoc:

Θέλωντας

Θελωνασι ἀφιγεσθω ἀφηγισιν μεγαλην
Και ἀ ηθελεις ναμε ἀκροασης, ὀλπιτωνας ἀρέση,
Ὁταν τὸ ἰτος ἥτοναι ἀπο Κτισεως κοσμȣ
Ἐξακης χιλιαδος δε, και ἰξακης ἑκατονταδος
Και δωδεκα ἐνιαυτȣς, τοσον και ȣ̓χι πλεον
Δια συνεργειας και προθυμιας, μοχθȣπολȣ τῆ κοπȣ
Τȣ μακαριȣ ἰκεινου Φρεπιερȣ ἐρημιτȣ
Οςις ἀπηλθε ἰς την Συριαν ναεψει προκυνησι
Εσω ἐις τα Ἱεροσολυμα, εἰς τον χρισου τον ταφον.

Ad quos verſus haec obſervat Cl. Sinnerus: *Verſibus* politicis, *quos ſic vocatos dicunt, quia in triviis* per urbes *recitabantur, exaratum eſt Carmen noſtrum, lingua graeco-barbara, metra Jambica quindecim Syllabarum. — Suſpicamur carmen noſtrum idem eſſe quod ſaepe citat Joh. Meurſius, gloſſario graeco-barbaro, ſub titulo Anonymi de Bello ſacro, cuius metra cum noſtris eadem ſunt. Haud dubitamus, quin multa lectu digna hic reperiantur, quamvis et ſermonis barbaries, et ſcripturae vitia quamplurima, hunc laborem moleſtum reddituri ſint.* Antequam ad Tomum tertium progrediamur non poſſumus non indicare, egregiam nobis videri collectionem operum et monumentorum hiſtoricorum a Bongarſio olim factam, et adhuc in Bibliotheca Bernenſi ſuperſtitem. Multa ſane deprehendimus, quae ad bene et accurate cognoſcendas res Saeculi XV. et XVI. egregie facere videntur, non pauca itidem ad noſtram Saxoniam, et turbas a crypto Calviniſtis excitatas ſpectantia. Neminem ſpondemus poenituerit, etiam hunc Tomum totum perlegiſſe. ita eſt et rerum varietate, et doctiſſimis Cl. Sinneri ſubinde adiectis obſervationibus, diſtinctus.

Tertio iam *Tomo* paullulum laboris tribuemus, et pauca quaedam, ne nimis evagari videamur, ſeligemus. Abſolvitur hicce Tomus duabus partibus, quarum una continet,

net quae ad Jurisprudentiam, Medicinam, Mathematicam, variaque eruditionis et artium genera ſpectant: altera habet Criticos, Epiſtolographos, Lexica, Grammaticos, Rhetores et Poetas medii et recentioris aevi. Acceſſit Supplementum, varia, prioribus tomis omiſſa, tractans, cum Indice in omnes Tomos ſatis copioſo et inſtructo.

Memorabilis videtur, quae indicatur p. 61. *Tranſactio de Juribus Regni, inter Henricum III. et Barones Angliae, condita anno 1267.* cuius, quia deeſt inter acta Rymeriana, ſatis magnam partem vulgavit Cl. Sinnerus, vocibus etiam Latinitatis recentioris brevibus notis illuſtratis.

Neque omittendus Codex, cuius deſcriptio pag. 108. haec eſt. *Joannis Neſii Florentini ad Petrum Medicem Laurentii Filium, de moribus libri quatuor, Florentiae 1550. Scriptum eſt,* inquit Cl. Sinnerus, *opus ſtilo ſatis nitido, multifaria, uti nobis viſum eſt, doctrina refertum; in dialogos quatuor, vel libros diſtributum; inſcriptum Petro Mediceo, Laurentii filio, fratri Leonis X. Pontificis. — Hoc opus, et autorem, quot nobis evolvere licuit, Bibliographi praeterierunt, dignum quod typis edatur. Prior codicis pars exhibet Platonis de Republica libros, ex verſione latina* Uberti Decembris, *Manuelis Chryſolorae diſcipuli de quo etiam fruſtra evolvimus Fabricii Biblioth. graecam et alios.*

Proderit itaque antiqua haec verſio, quia ſine dubio ex codice facta eſt, et uſum criticum habere poteſt, ſi quis Platonem de novo, quod optandum eſt, recenſere aggrediatur.

Edita eſt pag. 143. Epiſtola *Henrici Bullingeri* ad Berchtoldum Hallerum, de ratione ſtudii; quae quia non vulgaris iudicii et peritiae eſt, cum Lectoribus communicandam duximus. Poſt exordium breue, ſic habet:

„Imprimis neceſſe eſt, ut diem diſpartiaris in partes, „quibus et eccleſiaſtica officia expedias, corporis curam in edendo,

„edendo, bibendo, deambulando, aut otiando, agas, acce-
„dentes audias, iis consulas, iis denique discutias quaestio-
„nes, et literis invigiles, cum sacris, cum prophanis. Auro-
„ram impendito studiis severioribus, ac sacris. Post meri-
„dianas locato prophanis; post prandium ac coenam iis de-
„ambulando responde, qui (ut fieri solet) nos adeunt, et
„senties, quod alias non crederes, partitione ista temporis,
„et quod suo quaeque facias tempore, laborem omnem ali-
„quo modo levari, et brevi multa posse fieri et celeriter. Sa-
„cra lecturus oratione fideli incipito. Nolo ut quorun-
„dam more legas, qui nunc in Veteri, mox Novo Testa-
„mento legunt, iam vero commentarios consulunt, nunc
„aliud instituunt. Sacra lecturus, integrum tibi authorem
„aut librum propone nec aliud tibi sume quam istum rite
„absolueris. Exempli causa Mosen lecturus Genesim, aut
„Deuteronomium, quae Mosaicorum operum nucleus sunt,
„ab ipso protinus capite ordior primo, progredior ad secun-
„dum, et sic denique. Non enim aliud legendum occipio,
„quam istum absolverim. Ceterum dispartior et Authoris
„capita in dies, ut quaeque dies vel integrum habeat caput,
„vel dimidiatum. — Nec aspernor veterum aut neoteri-
„corum Commentarios, sed iis modice et certo modo utor.
„Nullum vero invenias certiorem exponendi modum, quam
„si consulas Hebraica in Vetere Testamento, Graecanica in
„novo. Sed quis hoc potest: — Tot nunc sunt studio-
„rum subsidia (*quanto magis nostro tempore!*) in utraque
„lingua, ut omnino discere nolit, qui difficultatem aut in-
„superabilem laborem causarit. Tot sunt translationes,
„tot Annotationes, tot Commentaria doctorum hominum,
„tum prisci, cum nostri Seculi; tot sunt rudimenta, introdu-
„ctiones, Grammaticae, Dictionarii, ut aliud alio sit cla-
„rius. — Sane omnibus aliis donis praefero, si quis non
„prorsus alienus sit a linguarum cognitione, homo alias pius,
„doctus, et iudicio pollens. prophanarum literarum lectio-
„nem volo nihilominus sit accurata et solida, ut non prius

Digitized by Google

„alius ſumatur in manus author, quam prior ille ad finem „usque ſit lectus et perlectus. Interim nolo te vagari in „authoribus, ut nunc huius, nunc illius principium libri vel „finem legas, ceteris neglectis. Nam obnubilat et memo„riam diſtrahit et conturbat. Inprimis autem legendos „cenſeo hiſtoricos et philoſophos. — Medullam vero, cum „Graecarum, tum Romanarum hiſtoriarum, legerit, qui vi„tas Plutarchi legit. Brevia ſcripſit Iuſtinus, copioſa Li„vius. Sacra Joſephus, hiſtoricus nobiliſſimus. Nec in„terim aſpernandus eſt Euſebius. Volo autem in iis ob„ſerves hominum mores, conſilia, eventus, actus, ut inde, „ceu ex humanae vitae ſpeculo, exempla liceat produce„re. — Ex Philophis, ſi chriſtianam Religionem ſpectes, „nullus ſimilior noſtris L. An. Seneca, is in primis legen„dus eſt. Huic iungantur Ciceroniana: Cicero enim, „amoeni et iucundi ingenii homo, breviter, perſpicue, et „facili eaque inſtructiſſima eloquentia, colligit quae apud di„verſos Philoſophos intricate traduntur.

„Inde ſi ſolidum malis legere, et ex profeſſo philoſo„phicum virum, Platonem legas. Nam ut Cicero alias in „Oratorio praeſtat, ſic Plato in Philoſophia. — Imprimis le„gatur Tertullianus de praeſcript. haereticorum liber. „Subdatur qui de Trinitate adverſus Praxeam conſcriptus „eſt, et Apologeticus adverſus gentes. Huic iungantur „duo iſti celeberrimi Libri D. et non Magni Athanaſii adver„ſus gentes ſcripti. Rurſus elegantiſſimi iſti, doctiſſimi et „piiſſimi 6. de inſt. divina libri Luc. Caelii, Lactantii Fir„miani. Septimus chiliaſten recipit, et idcirco cum iudi„cio legendus. — His pulchre iunxeris doctos Auguſtini „de doctrina Chriſtiana libros. — Ceterum Poetica dele„ctat, movet, et pulchre imo evidenter pingit cum ſceleri„bus ſceleratos. Ad delectationem ergo legas, ut leves ſtu„dii nauſeam; interim tamen dicendi vim obſerves et homi„num mores diſcas. At certos ego a te legi velim, Home-

„rum

Digitized by Google

„rum, Virgilium, Horatium, inprimis Terentium maxime, „et Ovidium. — Denique et Institutiones oratorias Quin„tiliani.“ ——

Insignem hanc epistolam, etsi longiorem, libenter descripsimus, quia indicio est, veteres optime, et fortasse melius quam nostri homines, intellexisse, quid, et qua ratione legendum sit.

Multas alias, et ad doctrinam, et ad sacrarum et politicarum rerum cognitionem, a summis viris scriptas epistolas, edidit Cl. Sinnerus, quas, ut totum opus, legendas, vehementer commendamus, quia plura commemorare hic locus permittere non videtur.

SYSTEMA JURIS GENTIUM, quod — sub Directoratu FRANC. WENCESL. STEPH. DE CRONENFELS, J. U. D. Sac. Caes. et Apost. Maiest. a Consiliis apud inclytum in Castro Pragensi Appellationum tribunal, Facultatis Juridicae Praesidis et Directoris &c. publicae disputationi submittit ADALBERTUS S. R. I. Comes CZERNIN DE CHUDENITZ Sacrae Caesareae Regiae Apostolicae Maiestatis Camerarius.

Pragae, 1768. pag. 404. in 4to.

In Universitatibus litterarum, praecipue Romano-Catholicis Germaniae, mos est atque consuetudo valde laudabilis, ut summorum virorum filii, cursu academico absoluto, integros, atque a suis doctoribus conscriptos libros, publice defendant; unde fit, ut libri saepenumero praeclari, qualis etiam hic est de quo iam dicere instituimus, proferantur in lucem; alioquin aut prorsus non, aut certe tardius prodituri.

turi. Intelligimus autem et ex opere cuius titulum supra posuimus, abstinere Scriptores Romano-Catholicos, hoc nostro tempore a certis quibusdam praeiudiciis, quae semper ab eorum religionis principiis putabantur inseparabilia; saltim certis ea terminis circumscribere. Prae ceteris vero ius naturae et gentium, fundamentum Iureconsulti uniuscuiusque solidi atque iudiciosi, inter eos ex aliquo tempore, via a celeberrimo *Ickstatio* bono successu aperta, efflorescere videtur. Loquimur vero tantum de meliori illorum parte. Nam *Desingius* et *Bandelius*, homines, ipsis fatentibus Romano Catholicis sagacioribus, nullius momenti, dudum et suo merito contemnuntur. Auctor systematis iuris gentium, quod lectoribus proponimus, ornamento revera est Academiae Pragensi. Est idem ille, ut ex ipso libro pag 1. 125. vidimus, qui anno 1765. Ius publicum universale, disputationis forma simili, cum plausu eruditorum edidit. Rumor tunc erat, *Schrodtum*, Professorem Pragensem, esse auctorem, et quantum nos scimus, nemo dubia contra eam opinionem movit. Nam est vir solida doctrina, et iudicio subacto. Ex libro eius hoc quoque apparet, eum optimos protestantium scriptores iuris naturae et gentium legisse. Opera *Grotii, Puffendorfii, Cocceii, Burlamaqui, Huberi, Achenwallii, Kulpisii, Thomasii, Boehmeri, Vatteli, Dariesii, Wolfii, Iusti*, multorumque aliorum, non solum ei fuere nota, sed iis quoque bene usus est. Nulla est in haeresi, sed ex omnibus id quod ei visum est optimum, elegit. Refellendo alios semper modestiam coniunxit omnique abstinuit acerbitate. Quid plura? ex adverso oppositus *Desingio* et *Finetto*. —

Nunc vero et disponemus argumentum, et summa proferemus principia, ut deinceps de toto iudicare possimus opere. Principio nonnullas notionis et ambitus iuris gentium praemisit praemonitiones. Neque hic consuetudinarium ius adsumsit auctor, sed omnes inter populos liberos ex regulis decori tantum deduxit consuetudines, pag. 5. Ius gentium

gentium ut moris eſt, in abſolutum et hypotheticum diviſit, illud vero iterum in perfectum et imperfectum, ab eorum igitur ſententia diſcedit, qui, (ut nobis videtur meliori ratione,) de neceſſitatis officiis tantum in iure naturae et gentium agunt, pag. 12. Summum auctoris principium eſt aequalitas et perfectio populorum, pag. 14. Hoc autem ordine ipſum ſyſtema eſt perſequutus: prima et altera parte iura atque officia liberorum populorum, quae pacis tempore erga ſe invicem praeſtant, et abſoluta et hypothetica, tertia vero et ultima ius belli, cum quo ſimul doctrinam de pacis foederibus et legationibus explicavit. Officia abſoluta gentium liberarum ſunt aut officia erga ſe ipſas, aut perfecta erga alias, aut imperfecta erga exteras nationes. Ad claſſem primam, de qua in cap. I. agitur, pertinent et omnia officia, quae ad ſuſtentationem ſui ipſius et perfectionem ſpectant, et iura ea, quae ut augendae ſalutis reipublicae media ſunt conſideranda. Officia abſolute perfecta populorum erga ſe invicem, (cap. II.) omnia nituntur hoc principis: natio nulla alteri inferre iniuriam neque eius ſtatum reddere deteriorem debet, quod tamen aequalitate et libertate naturali violatis fieret, quod propterea inprimis vitandum eſt. Itaque, natura, nullus ordo aut praerogativa in liberis populis eſt, ſed eiusmodi praerogativae nituntur tantum pactis et inſtitutis. (Auctor admodum leviter tangit doctrinam de officiis populorum liberorum, et ipſorum principum, ratione honoris externi. Nihil v. c. de novorum titulorum aſſumtione et agnitione dixit, quae tamen res eſt minime praetereunda, cum exempla in hiſtoria nova memorabilia reperiantur.) — Unaquaeque gens, ab omni erga alias abſtinere debet ſuperbia; nec ullo modo imperium populi inculti, praetextu morum illius emendandorum, ad ſe trahere poteſt. Iure igitur tyranno poteſtas defendendi ſubditos alienae regionis adverſus principis iniurias negatur, et quomodocunque ſe interponendi negotiis externi regni, niſi quid de ſuo iure detrahatur, aut eo evidenter

denterr eipublicae ſalus periclitetur. — Quatenus respublica aliqua teneatur nec ne, damna alii genti a ſuis civibus illata, ut latrociniis, piratica, rapinis, et talibus, praeſtare, reos tradere, aut multare? id cum aliis eo pertinentibus quaeſtionibus accurate examinatur. — In diiudicandis imperfecte abſolutis officiis, (Cap. III.) maxime auctor *Ickſtatium* ſequutus eſt ducem. Principia hoc in loco praeclara occurrunt, imprimis ratione diverſitatis religionis. Inter alia pag. 177. „Caeterum, ait, quemadmodum „difformitas religionis non tollit communionem iuris natu„rae inter gentes, ita nemo dixerit, communia ſiue neceſ„ſitatis, ſive humanitatis iura, gentibus ex capite heterodoxae „religionis deneganda eſſe, quin potius omnia ſocialitatis of„ficia ipſis ex aequo praeſtanda veniant." Vehementer optandum eſt, ut ſemper ita cogitent Catholici. Nunc ad alteram venimus partem, quae de iuribus hypotheticis liberorum populorum, domi, itaque de poſſeſſione et pactis agit. Primo de Poſſeſſione in univerſum, eiusque acquiſitione primitiva, nempe de occupatione, loquitur. Ad quaeſtionem: an Oceanus poſſit occupari? reſpondere ut poſſet, duplicem auctor fecit diſtinctionem: primum inter totum Oceanum, eiusque partes ſingulas; deinde inter ius poſſeſſionis et principatum. Nationes liberas occupatione ſingulas partes Oceani nonnunquam, excepto tamen dominio ſummum ſimul imperium acquirere poſſe exiſtimat. — Cap. II. iura et poſſeſſionis effectus in populis liberis explicat. Ad tria capita auctor ea redigit, ad poſſeſſionem, ad uſum, et ad venditionem: (nos tamen poſſeſſionem non tanquam effectum dominii conſiderare vellemus, multo magis cauſa eſt primitiva dominii, ſiquidem occupatio adiuvante poſſeſſione efficitur. Malimus igitur dicere, poſſesſionem in ſtatu naturali fundamentum eſſe dominii.) — In quaeſtione: ſit ne in ſtatu naturali, itaque etiam in liberis populis, traditio ad rem vendendam neceſſaria? neque *Grotio* aſſentitur, qui omnino eam defendit, neque eius adverſario, neque *Puffendorfio*,

dorfio, qui quadam distinctione defendendam esse putavit; sed media processit via, atque certis demonstravit rationibus, nullam ad dominium consequendum traditionem esse necessariam, sed ad illud tantum exercendum. — De praescriptione quidem nihil constituit, sed praecipue ab eorum partibus stare videtur, qui praescriptionem a nostra memoria longissime remotam, non tam ob tempus praeterlapsum, quam ob argumentum, quod deest adversario, accipiunt. Capita tria ultima huius partis exponunt pacta. Cap. III. in genere liberorum populorum pacta, in IV. speciatim foedera, et V. pacta accessoria, distribuit est. Pactum id, in quo peccatum est, auctor neque omni tempore esse ratum, neque semper irritum existimat. Si enim error promittenti tribuendus sit, stat pactum; contra ea si in accipiente sit culpa, qui alterum in errorem, aut negligentia aut, malitia induxit, irritum est pactum, et hic praeterea alteri damnum praestare tenetur, si error essentialis, nec tantum fortuitus; in quo posteriori tamen promissum, ex iudicio auctoris, stat, quanquam indemnitati sit locus. Si denique error a tertio originem habeat, inter se invicem obligantur paciscentes. — Pactis vi, eaque illegitima extortis, verum inter gentes liberas tribuit valorem A. et talem necessitatem non obesse libertati agendi recte existimat, dum ex duobus minimum malum eligere possimus. (Libertas summa, ubi ex duobus necessario eligendum unum est malum! Tunc demum liber ago, cum nihil me impedit, ex omnibus possibilibus et licitis, quae ratione certi cuiusdam suppositi locum habere possunt, ea eligere, licet, quae mihi quidem maxime arrident. Potest ne id dici de Principe, vi armorum ab hoste coacto, ut praescriptas accipiat conditiones? Obiectio, quam auctor de foederum obligatione deduxit, facile tolli potest. Pactorum inter gentes liberas longe alia est ratio. Nam si victor iustam belli caussam habuerit facile intelligi potest, armis subactum propterea pacem extortam colere debere, quod ipse violator iam tenetur

tenetur satisfacere alteri, quae erant pacis conditiones, quanquam antea non promiserit. Posito autem quod innocens a fortuna belli fallaci opprimatur, et a victore pacem incommodum afferentem accipere debeat, ea quidem stare non potest, cum medio armorum strepitu sit extorta. Sed pax, depositis armis, factisque antea induciis, itaque tempore eo, quo coactio realis cessat, ab utrisque, ut mos est, denuo comprobata, rata esse debet, etiamsi victis a victore ipso sit iniuria illata. Obligatio vero non tam ex promissione mediis armis, quae tanquam extorta est irrita, quam e comprobatione posthac facta, libera, est deducenda.) Pacto ab usurpatore sancito, neque respublica, neque princeps legitimus tenetur, nisi aut reipublicae adferat utilitatem, aut a principe legitimo denuo comprobetur. Belli foedus magis esse defensivum quam offensivum, auctor putavit, non ex ea quidem a *Grotio* ratione prolata, *quod foedera belli offensiva sint odiosa, et defensiva favorabilia*, sed propterea, quod defensiva naturali foederum fini, nempe communi securitati sociorum, maxime convenire videntur. — Itaque Auctor prudenter, et longe aliter ac plerumque a Romanae fidei sociis fit, hoc loco de Christianorum foederibus cum infidelibus factis, et de pactis religionis causa ictis, iudicavit. — Ab auctore divisiones foederum, nobis non ignotas, in paria et imparia, in belli et pacis foedera in determinata et indetermitata, in realia et personalia, non praeteritas, sed bene explicatas esse, unusquisque facile nobis non dicentibus intelligere potest. Tertia pars, quae ius belli continet, duabus constat partibus, quarum prima de statu belli ipso, observandisque inter gentes liberas officiis, altera de pacis foederibus et de Legatis agitur. Jura belli (Sect. I.) sequentibus sex capitibus explicantur: Caput I. est de iure belli in genere quod auctor non solum ex parte iuris gentium, sed simul quoque ex iure Suprematus, consideravit. Cap II. de iustis et legitimis belli causis. Merito hic causam belli ab occasione et initio, eius distinxit,

xit et bella ſic dicta recte punitiva reiecit, quorum defenſionem *Grotius* et *Daries* ſuſceperant. — Perfectorum tantum violatio officiorum, nullo autem modo imperfectorum, eſt iuſta belli cauſa. Metus propter creſcentem alienae nationis poteſtatem neque conſeruatio aequilibrii, quod a plerisque tam ſtrenue defenditur, ius dant belli inferendi; imminens ad minimum iniuria et periculum, moraliter debent eſſe certa. (Utinam libellus praeclarus *Juſtii*, de aequilibrii chimaera, non fuiſſet auctori ignotus. Omnino digna eſt haec materia, quae accuratius, quam hic factum eſt, explicetur. Quaeſtiones ſequentes: quando talis certitudo moralis adſit, et quando talis tantum eſſe videatur? ex quibus rationibus ea cognoſcatur? quid faciendum reipublicae creſcente vicinorum potentia? ſintne media licita impediendi, quo minus vicinus creſcens regno noſtro noceat? quaenam ea ſint? omnes iſtae quaeſtiones accuratiſſime explanandae, neque praetereundae fuerant. De bellis religionis cauſa ſuſceptis praeclare iudicat. — Bellum tunc demum eſſe licitum, ait, ubi media mitiora nihil proſunt: recte. Sed ſed ſub certis tamen conditionibus non ſimpliciter; iſtas hic praeterire non debebat auctor, propterea quod inconſequentiae inde duci poſſunt. Quomodo autem inde neceſſitas belli indicendi appareat, nos non intelligimus, cum plerumque id fiat hoſtilibus armis iam diu expeditis. — Cap. III. de hoſtium iuribus in hoſtes. Omnia, quae de his dici poſſunt, hoc nituntur principio: „Gens in bello „iuſto habet ius, non tantum plenam a gente laedente ex„torquendi ſatisfactionem, ſed et tantam violentiam adhi„bendi, quanta ſufficiat ad ſuperandam hoſtis iniuſti reſi„ſtentiam, ad eius vires frangendas, ad ipſum adigendum, „ut ab hoſtili animo deſiſtat, et amplius nocere non poſſit.“ Igitur eſt licitum milites hoſtium interficere, minime autem cives hoſtium inermes. Ratione diſtinctionis, quam nonnulli inter licita atque illicita fecerunt arma, dubitare auctor videtur. (Nos non perſpicimus rationem, cur, ſe-

eundum ius naturae, ab usu cuiusdam generis armorum abstiuendum sit, quanquam et consuetudine aut pactis tale quid constitui possit.) — Stuprare hostium mulieres, omni tempore iniustum est. — Praedari omnino licet, contra vastatio rerum, quarum hostis est dominus, eatenus, quatenus illius vires bellum continuandi debilitatur. — Cap. IV. de victoriae iure. Victoria auctori est *praevalentia armorum in hostes, vel, is operationis bellicae exitus, quo quantitas vis unius hostis efficit, ut alter porro resistere nequeat.* Jura victoris sunt: 1) ius plenam postulare ut satisfiat; 2) ea, quae armis redegit, conservare; 3) victos eo redigere, ne victori ullum porro inferre damnum possint; 4) denique hostes ad deponendum arma cogere, ut bellum finiatur. — Captivi non sunt interficiendi. — Cap. V. de pactis inter arma sancitis. Magna hic diligentia de induciis, de litteris commeatus liberi, de militibus in securitatem datis, de transactionibus, de redemtione, et talibus, auctor egit. Cap. VI. de neutrius partis studio, atque auxiliis. Auctor multam operam navavit, quaestionum huc pertinentium interpretandarum caussa. Num sufficienter? id quidem non credimus. Passim certe dubia quaedam subeunt animum nostrum. Notionem genericam neutrius partis studii, ex difficillimis esse capitibus iuris gentium, inprimis applicando, existimamus, et nostro quidem iudicio nunquam satis accurate ista materia tractata est. Sectio secunda partis ultimae capitibus IV. constat, Cap. I. de pacis foederibus et sponsionibus. Auctor regi captivo, sine ullo discrimine ius pacem faciendi ratam tribuit: (nos quidem putamus, pluribus sententiam *Grotii* arrisuram.) — Ex sponsionibus summis in angustiis factis, obligatio exoritur. — Cap. II. de perenni dictorum factorumque venia atque oblivione, (amnestia,) et pacis foederum duratione. Quaestio: Sitne universali oblivionis lege, restitutio regionum locorumque occupatorum tacite subintelligenda? sine omni exceptione adfirmatur, tamen ratione rerum mobilium negatur. — Triplici modo pax rumpi

potest,

potest, aut rempublicam omnem, aut singulos eius subditos, aut socios pacis foedere iunctos violando. — Cap. III. de pacis conciliatoribus, et sponsionibus pacis foederum. Nemo absolutae potestatis princeps, se bellum gerentibus conciliatorem obtrudere potest. — Neque sponsio invito populo eo praestari potest, contra quem ea valere debet. — Sponsor pacis, si pax rumpitur, adflictos non prius, quam rogatus, adiuvare debet. Cap. IV. de Legatis. Hoc caput voto nostro non respondet. Classes Legatorum diversas A. non plene indicavit, et quaestionem de iure mittendi Legatos, de quo tamen diu multumque certatum est, leviter tantum tetigit. Cur auctor subsidiis non est usus, quae inprimis *Wicquefortus* et *Vattellus* suppeditarunt? In universum, nihil in compage operis reprehendi potest, nisi quod rarius tantum exempla prolata sunt. Talia, paucis exceptis locis, omnino desiderantur, etsi sunt ex historia vetere nonnunquam repetita. Expositio iuris gentium eo magis utilis redditur, si exemplis e historia, eaque novissima depromtis, exornatur: luculenter tum huius disciplinae vsus apparet, et assuescimus, ut omnia ad agendum transferamus. Haec tamen omnia de huius libri vero pretio nihil, aut certe parum detrahunt.

THESAURI DISSERTATIONUM JURIDICArum selectissimarum in Academiis Belgicis habitarum. VOL. I, TOMVS II.

Bremae et Lipsiae, sumtibus Io. Henr. Crameri, 1769. 386 pagg. quaternis.

Cum nuper Tomum I. indicaremus, de huius collectionis, ab *Oelrichio* V. Amplis. institutae, praestantia et consilio mentionem fecimus. Nunc magna cum voluptate Tomum alterum indicamus. Tenendum vero

 est,

eſt, diſſertationes, quas hic Tomus continet, etiamſi auctorum doctrinae ſolidae documenta praebeant non contemnenda, tamen ſuperiores non aequare. Sunt vero ſequentes, et numero quidem continuo hic propoſitae:

VIII.) *Ger. Schroederi*, Leyda Batavi, Diſſert. inaug. ad Leg. II. ff. de LL. et SCt. &c. Lugd. Bat. 1737. Haec diſſertatio eſt diligenter ſcripta; et critice et dogmatice deſcriptiones, eo in loco allegatas, *Demoſthenis* et *Chryſippi* explicat de lege.

IX.) *Luc. Tripp*, Drenthini, Diſſert. inaug. de parte ventris hereditaria, ad L. III. D. ſi pars hered. pet. Traj. ad Rhen. 1736. pagg. 29. Haec decantata lex critice, hiſtorice, et iuridice examinatur. Omnia autor ea, quae ad partem criticam pertinent, dubia, et coniecturas Doctorum de lectione in hunc Pauli locum, congeſſit, inprimisque haec verba: Sed et tergeminos ſenatores cinctos vidimus Horatios, ab emendationibus vindicavit non neceſſariis. Hiſtorica pars ſpectat ad hiſtorias multiplicis partus, quas *Paulus* commemorat, quibus hic nonnulla alia exempla, aut magis fabulae, ſunt addita. Quod vero attinet ad partem criticam, ea verum a Paulo prolatae opinionis ſenſum explicat et reſpondet ad quaeſtiones quae hic poſſunt obiici, quibus tamen enodandis non admodum multae difficultates ſuperandae fuerunt.

X.) *Theod. Woertmanni*, Traiectini, Diſput. iurid. ad L. un. π. ſi quis ius dic. non obtemp. Praeſide *Jac. Voorda*, habita Traj. ad Rhen. 1738. pag. 55. Iſte pandectarum titulus hic ad verbum explicatur, eamque ob cauſam non pauca, ne tironi quidem ignota, etiam hic leguntur, quae

quae ad compendium optime referri poterant, imo etiam debebant: v. c. quid iurisdictionem defendere significet, quid sit magistratus, et talia, quae nos mittimus, et ad graviora animum advertimus. Ulpiani sententiam, Duumviros in municipiis auctoritatem iurisdictionis suae poenis non debere defendere, auctor sic interpretatur: Duumviros quidem sua exsequi iudicia posse, excepto tamen casu, si reus repugnasset, tum ipsos eum poena afficere non potuisse, sed ad praesidem provinciae rem deferre eos debuisse. De extremo in iurisdictione A. varias enarravit opiniones, et tandem ad illorum accessit partes, qui exsecutionem iudicii simul intelligunt. Hanc constitutionem etiam pertinere ad accusatorem, *Labeo* dicit. Putat vero auctor, de casibus illis in vindicatoriis actionibus id esse intelligendum, ubi accusator recusat, id, quod a iudice decretum est, tradere possessori.

XI.) *Adolph. Fischer*, Amstel. Bat. Disput. inaug. ad L. XXV. π. de fideic. et mandat. Lugd. Bat. 1709. pagg 81. Auctor hunc locum esse vulgo dictam legem fugitivam putavit, quae ad titulum de minoribus XXV. annis pertineat. Mavult igitur eam cum L. 16 pr. D. de minor. quae non minus quam haec ex Ulpiani undecimo libro ad Edictum desumta est, coniungere, et emendationem, quam *Contius* protulit (Lect. subcesf. II. 3.) verbis *ei* in *eis*, et *his* in *huic* mutatis recipere. Sensus igitur foret: pupillo, aut personae cuilibet in universum, quae sub tutela est, in eo casu, ubi quis pro ea sponsor pacti,

 invito

invito tutore initi, factus fuisset, restitutione in integrum opus non esse, sedesse iam ipso iure tutum, siquidem iura lam tali sponsori actionem ad interesse contra pupillos concedunt.

XII.) *Ottonis Arntzenii*, Arenaco-Gelri, Dissertat. iurid. inaug. de Milliario aureo, ad L. CLIV. D. de V. S. Traj. ad Rhen. 1728. pagg. 95. Tribus in partibus *Arntzenius* de etymologia et significatione verbi, milliarii, egit, de milliario aureo ipso, quod Romae est, tandem de quaestione: utrum milliaria ab hac columna, an magis a moenibus numerata fuerint? Non, ut *Brissonius* et *Lipsius*, existimat, hanc statuam auro solidam fuisse, sed verisimile reddit, nonnisi inauratam, et caelatam, ceterum marmoream fuisse; qua in re praecipue ad *Missonii* testimonium provocat, cuius fidem sequitur. Ad quaestionis summam contra expressa verba legis 154. D. de V. S. respondit, et operam in *Holsteinii* opinione refellenda perdidit.

XIII.) *Wilh. Cornel. Tepell*, Culemburgensis, Disp. inaug. ad L. LXVI. D. de Donat. int. vir. et uxor. Traj. ad Rhen. 1736. pagg. 123. Occasione huius loci ostenditur, quam accurate tempus contractae donationis observandum sit, ut donatio ante nuptias a vera inter virum et uxorem donatione recte distingui atque accurate possit. Sed haec nemo ignorat.

XIV.)


XIV.) *Ioan. Leonh. Wintgens*, Duisburgensis, Dissert. inaug. de animalibus ferocibus, qua vulgo iter fit non habendis, ad L. XL. XLI. XLII. D. de aedilit. edict. Traj. ad Rhen. 1730. pagg. 145. Hae leges, ex antiquitatibus et institutis Romanorum accurate explicantur, et multa doctrinae et lectionis copia.

XV.) *Dionys. Godefr. van der Kessel*, Daventriensis, Dissert. inaug. de usucapione partus et foetus rei furtivae Lugd. Bat. 1761. pagg. 179. De hoc argumento summa diligentia et iudicio egit auctor. Obiter nonnullas annotationes in diversa alia addidit, v. c. de usucapione pro herede; in regulam iuris, favorabilia extendenda esse, odiosa restringenda; in *Branchu* Observat. cap. XVIII. et XIX. et alia plura.

XVI.) *Fovo Sytzes Reiding*, Dissert. inaug. ad L. XIX. D. de ritu nupt. Franequerae 1747. pagg. 265. Demonstratur, quatenus pater, post tempora legis Juliae de maritandis Ordinibus, sine respectu potestatis patriae, cogi potuerit, ut consensu suo liberorum suorum matrimonium comprobaret.

XVII.) *Engelb. de Man*, Noviomago-Gelri, Dissert. inaug. de thesauro, ad L. III. §. 3. D. de acquir. vel amitt. possess. Traj. ad Rhen. 1740. pag. 303. Quaestio est haec: a quonam tempore possessor fundi, in quo thesau-

thesaurus in terra absconditus latet, etiam huius thesauri possessor sit iudicandus? Diversarum, regionum, diversissima in his iura sunt; ut adeo, etiamsi quid naturalis aequitatis sit facile intelligas, tamen, quid iuris sit in universum, non aeque definire possis. — Rogamus Editorem, ut ne consilium continuandae huius Collectionis abiiciat, sed prosequatur potius ea alacritate, qua scimus bonis eum litteris bene cupere.



Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Junii Anno MDCCLXXII.

CONSTITUTIO CRIMINALIS THERESIANA, seu Romano-Caesareae, Hungariae, et Bohemiae &c. Reg. Apostol. Majest. Mariae Theresiae, Archiducis Austriae Constitutio Criminalis.

Viennae, apud Joh. Thom. de Trattnern, 1769. pagg. 282. fol. sine additamentis, et cum XVII. tabulis aeneis.

Nulli iurisprudentiae parti magis necessaria, quam iuri criminali, fuit emendatio. Praeiudicia enim inveterata, quae turpitudini sunt humanitati, indeterminata et fluctuantia principia (quae hoc minus hic toleranda sunt, quo magis ab illis pendet civium salus,) communem omnino requirunt emendationem. Id autem neque uno tempore, neque omnibus in regionibus simul, neque ubique eadem perfectione potest effici, cum aut plura, aut pauciora sint removenda impedimenta. Multae hactenus in Austriacis regionibus fuerunt causae, de inepta iuris criminalis administratione conquerendi, quae inprimis ex tam magna diversitate iurium ibi introductorum criminalium orta est. Nam in nonnullis provinciis Caroli V, in aliis Ferdinandi, in non-

nullis Leopoldi, iterum in aliis Josephi constitutionem criminalem secuti sunt; quasdam praeterea singulares constitutiones habebant provinciales; denique, deficientibus legibus propriis ad ius Romanum confugerunt JCti. Quae diversitas et imperfectio, adhuc in legibus criminalibus animadversa, occasionem dederunt Aug. Theresiae, unius perfectae constitutionis criminalis, ad communem suarum regionum usum, per delegatos aulicos conficiendae, quam hic lectoribus nostris indicare constituimus. Quod nobis primum, cum hanc nouam in manus sumeremus constitutionem, in mentem venit, fuit tortura, hic innocentium terror, haec veritatis inimica. Excelsissimam enim legislatricem, exemplis Catharinae mitis Friderici sapientis, motam, medium veritatis investigandae tam incertum, ex quo etiam saepissime effectus fini contrarii oriuntur, ex iudiciis suis sustulisse putabamus; sed principia tantum quaedam leniora reperimus. — Nonnunquam tamen prudentia legislatoris videtur requirere, ex caussis quibusdam occultis, quas homo privatus divinare non potest, vetustissimum iudicii morem, consuetudine et longitudine temporis principium fere irrefutabile factum, non subito abolere. De toto autem si iudicare licet, tria praecipue sunt laudanda, per quae haec constitutio criminalis a plerisque aliis facile distingui potest: ordo, claritas, et perfectio. Jurisprudentia criminalis recte in duas partes dividitur, quarum una est de ratione experiundi iuris criminalis, altera de delictis eorumque poenis. Quam divisionem etiam huius constitutionis auctores sunt secuti, eamque, accurata ad materiarum connexionem naturalem attentione, plane systematice fecerunt. Sic v. c. in parte I. statim initio articuli I. de delictis in genere, in II. de casibus criminalibus speciatim, eorumque diversitate, in III. quomodo, a quo, et in quem delictum comissum? in IV. de poenis in genere, in V. de suppliciis, in VI. de poenis corporalibus, in VII. de extraordinariis et arbitrariis poenis, in VIII. de mulctis etc. agitur. Potestne autem melior in systemate ipso ordo optari? In genere

Digitized by Google

nere hic non legislatorem solum, sed praeceptorem quoque reperimus. Nos hoc dicto id volumus, eam simul systematis formam accepisse. Quaelibet enim materia in connexione cum definitionibus et diuisionibus exactissimis proponitur. Tractatione diligenti indiciorum legalium, determinationeque accurata circumstantiarum, unumquodque delictum aut gravantium, aut lenientium, multis certe confusionibus et dissensionibus occurritur. Judex inprimis ratione ordinis et cautionum, quae in quolibet genere criminali ab initio ad finem sunt observandae, ubique tam perfecte et clare instruitur, ut ei casus dubii relinquantur paucissimi. — Sine dubio lectores nostri accuratius singularum propositionum expectant iudicium: igitur iam nonnulla, quae prae ceteris studioso iuris criminalis in oculos incurrunt, inprimisque lectoris attentionem ad se trahere videntur, decerpemus. Pag. 9 §. 5. Præcipitur, nonnulla duriora supplicia vt suffocationem, excoriationem defossionem vivam, stipitis per medium hominem vivum adactionem, dissecationem in quatuor partes, mulierum rotae supplicium, et stipitis adactionem, (ratione huius tamen poenae tumultu et perduellione exceptis,) in regionibus Austriacis non sumi, nec in posterum esse sumenda. (Pag. 10. §. 3 – 5.) Fustigatio quidem, his tamen limitationibus, retinetur: 1) ut virgae veneno non tingantur, (ex quo hunc poenae horrorem in provinciis istis adhuc vsitatum fuisse apparet;) 2) Poena illa non in indigenis, aut in iis, qui per decem annos ibi honeste habitarint, si Christiani sint, sed in Judaeis tantum, indigenis et peregrinis, sit exercenda (Id quod etiam Carolus VI. iam A. 1724. constituerat. Optandum autem esset ut poena illa, quae rectum iter in malam rem ducit, exemplis Saxonicarum, Hannoveranarum, et Würtembergicarum regionum, plane tolleretur.) In proscribendo (pag. 13. §. 14.) singulares quaedam circumstantiae observari debent: 1) Persona expellenda, primum ter in nundinis diversis publice exponitur, ut

populus eam recte cognoscat, et in reditu illegitimo eo facilius exploretur. 2) Ad finem eundem semper accurata personae eiectae descriptio in provinciis omnibus publicari debet. 3) Qui autem ex vno tantum loco expellitur, stigma fronti eius non inuritur, si tamen proscriptio ad omnes provincias hereditarias se extendit, stigmate etiam punitur. (Non magis hic de stigmate, quam de virgarum poena legere vellemus; illud incommodis, quae inde oriuntur, hanc poenam longe superat. Nam stigmate notatus statum suum miserrimum nunquam celare potest, quia poena illa signa relinquit perpetua, neque igitur, si expellitur, aeque honeste victum comparare potest, quam is qui virgis publice caesus eiicitur.) 4) Relegatio universalis in indigenis locum non habet. Delicta quaedam, v. c. blasphemiae, crimen laesae maiestatis, patriae proditio, incendium, excitatum caedes structa, parricidium, fratricidium, sororicidium, domini aut dominae caedes, suppositio infantum, stupratio in linea adscendente vel descendente, sodomia, monetae adulteratio, denique delictum eorum, qui Christianos Judaeis aut Turcis vendunt, nunquam possunt praescribi, p. 30. Institutum est vere bonum, (p. 33. §. 13. 14.) quod non in unoquoque iudicio solum protocolla quaedam conficiantur de criminum reis, sed trimestres etiam tabellae singulares iudiciis supremis, de statu processuum criminalium et reorum, exhibeantur. Modus, eiusmodi protocolla habendi, pag. 42. seq accuratissime praescribitur. — Si ad confessionem per se legitimam quoque accedat convictio, reus, nulla eius revocationis ratione habita, poena ordinaria puniendus est, pag. 87. — Confessio falsa, etsi reus sit innocens, propter pravitatem arbitrarie punitur, pag. 88. — Articulus 36. defensionem reorum continens, notatu dignissimus est. Nam durante inquisitione plane nulla, sed finita demum reo conceditur oralis defensio, quam intra tres dies ante sententiam dictam, in examinatione ad eam audiendam constituta, sine advocato proferri

oportet.

Digitized by Google

oportet. Defensio a patrono confecta, ex caussis inprimis moventibus tantum pro sententia iudicis recipi debet. Magnus fine dubio abusus, qui a parte defensorum plerumque committitur quo etiam criminalia sine ullo necessitatis argumento saepissime protrahuntur, ad hoc constituendum dedit occasionem. Id nobis tamen paullo durius videtur. Nam vincula et inquisitio specialis, maximum iam reo, etsi etiam finita inquisitione eum esse innocentem appareat, adferunt incommodum. Nec tamen ei conceditur medium unicum, quo incommodum a se removere possit. Praeterea neque humanitatem iudicis neque doctrinam in antecessum certo scimus, ita ut nunquam omissurus sit, ex caussis revera gravibus defensorem concedere reo. In rebus autem quae ad civium salutem pertinent, iudicis inferioris arbitrium tantum, quantum fieri potest, esse cohibendum nobis, videtur: omnes enim cives, aut partium studio, aut vindictae amore iudicum perire periclitantur. — Poteftne autem via media excogitari, abusus defensionum criminalium coercendi, mediis tamen reo non detractis, quibus se defendere, periculumque imminens effugere possit? — Hic torturam esse retentam supra iam dictum est, sed limitationes non sunt praetermittendae: 1) Si reus iam convictus, quanquam factum neget, non est torquendus, sed statim poena ordinaria afficitur. 2) Quodque indicium torturae duobus testibus confirmari debet. 3) Tormenta, nisi de vita agatur, non adhibenda; in aliis autem casibus, maxime tantum ad terrorem iniiciendum, aut verbalem, aut realem, (qui tamen posterior, de instrumentorum applicatione tantum, sine ullo dolore, accipiendus est, procedere licet. — Praeterea tortura, in obduratis maleficis, nonnunquam, pro sententia supremi iudicii in duo aut tres dies distribui potest. — In Bohemia paulo alius est torquendi modus, quam in Austriacis regionibus reliquis. Illic consistit: a) in manicis, cum aut sine pulsatione manicarum, b) in fi-

diculis a parte antica, *c*) in extensione super equuleo, *d*) urendo duobus fasciculis candelarum sebacearum quorum quisque ex particulis octo constat. Contra ea in Austria tres tantum sunt gradus: *a*) Manicae cum, aut sine pulsatione, *b*) fidiculae a posteriori, uno, duobus, ad summum tribus ligamentis, *c*) extensio in aerem, ope rotae, una, duabus, aut tribus cessationibus, et suspensione ponderum gravium in altera aut tertia cessatione. In XVII. tabulis aeneis additis cuiusque generis torturae modus, et instrumenta ipsa, minimas usque ad circumstantias sunt delineata, vid. Artic. XXXVIII. — Egregia est (pag. 117.) constitutio, acta criminalia non summatim proponere in dicunda sententia, sed tota praelegere, ut circumstantia nulla in praeiudicium rei praetermittatur, in casibus valde confusis referenti quoque concedere correferentem. Tale autem institutum multum temporis, eoque pauciora praesupponere Acta videtur. — Praeiudium plebis iure meritoque pag. 128. eradicatur, quasi malefico, si tribus gladii ictibus non perierit, aut laqueus rumpatur, aut mulier ei nubere velit, necessario venia danda sit. Multi regulam plerorumque maleficorum corpora honeste sepelienda, nisi ad exceptiones in hac constitutione factas pertineant, (pag 129.) mirabuntur; sed tamen rationi bene convenit. — In posterum Urphedae non iuramento confirmabuntur, ratione tamen poenae, si violentur, eodem modo ac iuratae punientur, pag. 135. Medium imitatione dignum, magnam periuriorum multitudinem, quae committuntur quotannis, evitandi. — Jus detractus malis crescentibus, non solum adhuc in nonnullis regionibus Austriae viguit, sed in posterum quoque retinebitur, pag. 143. — Maledicta in sanctos inprimisque Mariam, inter blasphemias esse relata, nemini mirum videbitur. Tres blasphemiae gradus sunt constituti; 1) si quis Deum ipsum, nomenque divinum, immediate verbis aut factis ignominiose convicietur; aut Deo quid indig-

ni

ni tribuat, aut detrahat quod eius eſt; quae igne punitur, et nonnunquam ad poenam augendam antea mutilatione: 2) Qui Mariae, aut Sanctis maledicit, crucem aut ſanctorum imagines ſciens et ſpontanee frangit, aut labem adſpergit, trucidatur ferro: 3) Si quid indecori petulanter tantum committitur, quod quodammodo et mediate Deo Sanctisque ſit ignominiae, ut in ſacramentis aut cruci ſaluatoris quis imprecetur, aut aequo animo maledictum alterius audiat, huncque magis incitet, poena tantum circumſtantiis conveniente, (quae autem hic non accurate conſtituta eſt,) afficitur. Poteſtne autem lex, qua ii, qui religionem Chriſtianam cum Judaica, Mahometi, aut paganorum religione mutant, ferro et publicatione bonorum puniuntur (pag. 166) ratione ſacrisque litteris confirmatae libertati ſentiendi convenire? — De magia, et iis, quae ad illam pertinent, (artic. LVIII.) tam ſobrie iudicatur, quam poſt Chriſtiani Thomaſii tempora optari poterat, cuius ſcripta in hac re adhibita eſſe videntur. — Periurium ordinarie gladio punitur, et eadem poena illos manet, qui aliquem ad periurium impellunt, (artic. LIX.) Adulterium (artic. 77.) niſi aliud quid accedat, mulcta pro rei opibus, aut carcere, aut ſimili modo punitur. Nonne autem ex inſtitutione pag. 215. iudici ſatis clare data, hoc delictum in ſummis viris non ulciſcendi, malae conſequentiae, poſſunt oriri? Lex enim publica eo magis movet, ſi omnes, nulla ratione perſonarum aut ordinum habita, puniat. Legislatori ſemper tamen licitum eſt in caſibus, ubi ei placuerit, poenam mitigare. — Ad infanticidia crebriora reprimenda etiam inter alia haec ſunt conſtituta: 1) Mulieres vitiatae non publice puniendae, multo magis obſtetrices iureiurando tenentur, eiusmodi perſonas, ſub poena periurii, reticere, ſi ipſis ſe credant, earumque auxilium petant: 2) Concubinus, ſub gravi corporis poena, compreſſam deſerere ne audeat, ſed omnia ad ſuſtentationem illius neceſſaria comparet: 3) Parentes

et

et propinqui, feveritate immodica, ad defperationem ne dent occafionem. — Et haec quidem excerpta, ut putamus, fufficient, ad pretium huic conftitutioni ftatuendum. Sed nec additamenta nec praetermittenda funt: 1) Forma tabellarum trimeftrium, quae ab omnibus iudiciis capitalibus mitti debent; 2) Inftructio de infpectione corporis delicti in caede et vulnerationibus; 3) Supra laudata adumbratio torturae; 4) Formulae iudicibus praefcriptae; 5) huius conftitutionis criminalis auctorum nomina.

GEORGII D' ARNAUD VITAE SCAEVOLArum. Differtatio poftuma. Edidit, adiecta praefatione, obfervationibus, et indice, HENRICUS JOANNES ARNTZENIUS.

Trajecti ad Rhenum, ap. Kroonium 1767. 122. pag. praefatione et indice exceptis, in 8.

Arntzenius, quem iam dudum elegantem effe Iurisconfultum novimus, magnam apud eruditos omnes gratiam iniit, hac adfecta ab *Arnaldo* relicta elegantiffima differtatione publicata. Huic fini etiam a *Cannegietero* illam acceperat. Operae omnino pretium eft, in hiftoriam magnorum Iurisconfultorum, qui ex Muciorum et Scaeuolarum genere originem traxerunt, diligenter inquirere, cum eis iurisprudentia, quod apud omnes in confeffo eft, multum debeat. Eam materiam *Balduinus*, commentario de iurisprudentia Muciana, illuftravit quidem, fed non exhaufit; quid quod ea omnia, quae ad accurate diftinguendos Jurisconfultos eiusdem nominis pertinent, neglexit. *Arnaldus* igitur nonnulla accuratius conftituit, etiamfi, quod ingenue fatemur, haec eius differtatio ceteris fcriptis, quibus exornavit litterariam rempublicam, nullo modo comparari poffit.

Digitized by Google

possit. In quatuor §§. primis in universum de familia Mucia, auctoreque familiae, C. Mucio Cordo, docta praemonita praemisit. Cognomen Scaevolae, quod ille tulit, duxit a fabula non ignota, quam scriptores Romani de eius virtute re contra Porsennam male gesta, memoriae prodiderunt, cui vero *Arntzenius* annotatione pag. 10. repugnat. Postea de omnibus Muciis Scaevolis, qui apud scriptores inveniuntur, sigillatim agitur. Anno 268. V.C. Tribunus eiusdem nominis vixit, §. 6. A quo autem tempore anno V. C. 510. pontifex maximus P. Mucius Scaevola apud Macrobium iterum occurrit, §. 7. Q. Mucium, quem Pomponius (l. 2. §. 37. D. de O. I.) legatum ad Carthaginenses Romanum anno V. C. 520. laudavit, auctor ex gente Mucia deleuit, et cum *Ruperto* Maximum, loco Mucii, legi mavult, §. 8. Sed *Alciatus*, et nuper *Bachius* noster, egregie demonstraverunt, hac emendatione opus non esse. Filius pontificis maximi Q. Mucius Scaevola fuisse videtur, qui per quatuor annos, ab anno V. C. 538. ad 541. Sardiniae provinciae praetor fuit, §. 9 duo reliquit filios, Publium et Quintum, qui anno V. C. 574. duo simul praetores fuere, et deinceps singuli Consulatum gesserunt, §. 10. A Quinto originem Quintus Mucius Scaevola duxit, Augur, Ciceronis praeceptor, qui eum ut Jurisconsultum laudat magnum, et eloquentissimum, qualem omnino fuisse oportet, quem Cicero laudet. Huius vitam et characterem auctor §. 11 – 13. descripsit. Contra ea Publius liberos procreavit P. Mucium Scaevolam, et P. Licinium Crassum Mucianum, qui posterior adoptione in gentem Liciniam et familiam Crassorum transiit §. 14. 15. ille vero anno V. C. 620. Consul fuit, §. 16. inprimisque sententia sua, a Manilii Brutique decisionibus abhorrente, clarus, quae hic ex parte accurate exponuntur et diiudicantur, In quaestione: an, quod ancilla peperit, etiam ad fructus sit referendum? quod Mucius hic, Bruto omnibusque posterioribus JCtis repugnantibus, defendit. *Arnaldus* Scaevolae sequitur opinionem §. 18. Sed ab *Ulpiano* (l. 27. pr. D,

 de

de hereditat. petit.) obiectio allata: quia non facile ea de causa ancillae comparantur, vt pariant: ea est, vt nos quidem existimamus, tam gravis, et notio quam Romana iura cum verbo fructus coniungunt, tam contraria, ut ei adsentiri recte nemo possit; quamquam nos concedimus, oppositionem, in aliis corporis iuris locis hominem non ut fructus considerari debere, futilem esse, quia hoc principio posito, omnis de servitute doctrina facile ex iure Romano potest eiici. — In l. 66. pr. D. solut. matrim. et quidem in verbis: nam is in Licinia, Grachi uxore, statuit: verbum *is* in *id*, ut sensus comodior appareat, mutandum censet, pag. 53. Etsi vero ea mutatio lenis est, et tolerabilis, nobis tamen non necessaria videtur. Nam verborum tantum coniunctio, quae tamen in Pandectis saepe occurrit, paululum sensum obscurat. Singularem ambitus aedium apud Romanos descriptionem, de hoc P. Mucio Cicero (Topic. c. 4.) memoriae prodidit, quem locum difficilem auctor eodem modo, et iisdem fere verbis §. 21. interpretatus est, ut iam olim in variis coniecturis (lib. II. c. 25.) fecit, quibus ex hac dissertatione nonnulla loca sunt inserta. — Ceterum hic iuris consultus optime pila lusisse dicitur, de qua re quatuor paginas impleuit *Arnaldus* §. 24. quod est, ni fallimur, extra oleas vagari. Jam ad caput rei venit, nempe ad Q. Mucium Scaevolam, pontificem maximum, qui anno V. C. 656. Consul fuit, et ex sua gente iurisprudentiæ sine dubio plurimum profuit. Missis iis, quae de eius honoribus et dotibus protulit, §. 27–34. nos ad annotationes, quae propius ad iurisprudentiam accedunt, progredimur. Defensio litis famosae Curii omnibus nota est, pag. 91. Cicero, Velleius, Pomponius, et alii, doctrinam eius laudant vehementer, pag. 96. De scriptis eius, inprimisque libris de iure civili in §. 38. et 39. magna diligentia agitur. — In eius inventis et opinionibus singulari attentione digna est cautio Muciana, §. 40. *Arnaldus*, primum illam, cum esset Praetor, edicto suo constituisse putat; quae coniectura

non

Digitized by Google

non eſt contemnenda. Nollemus autem cum auctore rationem ex Novellis (XXII. c. 43.) ſumere, quo in loco verbum κωμωδεῖσθαι ad id reſpicere debeat. Auctor contentus eſt, locis, in quibus opiniones Mucii allegantur, tantum nominandis, §. 42. Balduinus eum labore, illas interpretandi, liberavit. De diligentia Mucii in determinandis inſtitutis veteribus, (praecipue ſacris,) et verbis, multa exempla e Cicerone, Macrobio, Varrone, Gellio, aliisque ſcriptoribus allegantur, §. 43–45. Exitus eius erat triſtis, in funere enim Marii anno V. C. 775. vulneratus, obiit. Nonnullorum recentiorum JCtorum vitium adnotavit auctor, qui quatuor annis ante fuiſſe trucidatum dicunt; cum tamen in dicto tumultu, eodem tempore commoto, tantum vulneratus fuerit. Annotationes, quas editor adiecit, ut in ceteris eius libris maximam partem anxie corraſa ſunt collectanea, vid. pag. 4. 5. 14. 41. 117. nonnullae etiam produnt, non interpretationis cauſa ſcriptas eſſe. Quis v. c. occaſione loci Mamertini (Panegyr. Julian. 20.) ubi Scaevola quidam cum Manlio et Servio occurrit, explorationem de ſana lectione nominis Manlii legere cupiat? p. 23. Cui in mentemveniat in ſententiae P. Mucii, quae eſt in l. 66. pr. D. ſolut. matrim. interpretatione iuſtam deſcriptionem de duobus in bibliotheca civitatis Zutphanienſis editionibus Pandectarum ſeculi XV. quaerere pag. 53. Paſſim tamen auctor emendatur atque ſuppletur.

Digitized by Google

ACTA SANCTORUM OCTOBRIS EX LATINIS et graecis aliarumque gentium monumentis, servata primigenia veterum scriptorum phrasi, Collecta, Digesta, Commentariisque et Observationibus illustrata, a CONSTANTINO SUISKENO, CORNELIO BYEO, JACOBO BUEO, JOSEPHO GHESQUIERO, e Societate Jesu Presbyteris Theologis. TOMVS II. *quo dies tertius et quartus continentur.*

Antwerpiae, apud Petrum Iohannem van der Plassche, MDCCLXVIII. folio.

Est hic alter Tomus mensis Octobris, continens non nisi tertium et quartum diem, ut, quale futurum sit totum opus, possit intelligi, vel solius huius mensis copia, ut nihil de reliquis dicamus. Quid de eo in genere potuerit observari nuper a nobis dictum est. Certe de hoc opere aliter Romani, aliter Protestantes iudicabunt. Illi quidem: esse opus splendidum, grave, utilissimum, Deo, sanctis, totique ecclesiae honorificentissimum, et quod alienis, et ipsis haereticis ostendere queat, nec eruditionem sibi, nec fidem deesse. Quare non mirum est, si illa bibliotheca potius quam liber, tot per annos, tanta industria ac apparatu continuetur, et cupide ematur a monasteriis atque bibliothecis, cum tanta pars religionis, quanta ad auctoritatem, Ecclesiae, venerationemque sanctorum pertineat, in eo contineatur. Protestantes contra, merita haec ei libro neutiquam abiudicantes, laudantes etiam collectorum modestiam, quae leni articulo dissentientes tractet; industriam, quae egregia monumenta antiquae historiae, geographiae morum, eruat; sinceritatem, quae fabellas inspersas ipsa passim non inficietur: dubitaremus tamen adhuc, fuerint ne hi omnes tales animo, quales vita, tales vita,

quales

Digitized by Google

quales in historia. Certe lux temporum, et veritatis dux historia, praecipue in Sanctis eclipses suas passa forsan est. Sed haec alias. Et adversus omnem historiam hoc dici potest. Nos pro fide maiorum non cavemus.

Haud procul ab initio luculenta disputatio de Sto. Dionysio Alexandrino invenitur, claro in historia viro, saeculo post Christum tertio. Ubi cum de natalibus eius A. dixisset, dein ad eius conversionem sacramque dignitatem vertitur, et quot ille, una cum ceteris Christianorum Aegyptiacorum, turbas passus sit, Decianis temporibus, quibus nihil in annalibus sacris fuit atrocius, exponit. Quibus cum multi defecissent a fide, vellentque recipi, quos Novatiana secta negabat admitti posse, obstitit Dionysius, variisque litteris caussam infirmorum egit. Altera cum dissensio oriretur, de baptismo haereticorum, inter Stephanum Papam et Cyprianum Afrum, Dionysius scripto utrumque ad concordiam invitavit, ipse visus cum Cypriano sensisse. Valeriana persecutio iterum fugere coegit. Postea haeresibus Ecclesiam turbantibus, Sabellianae fortiter restitit; ipse, ob minus accurate dicta quaedam visus Arianismo praelusisse, in quo late defenditur ab auctoribus nostris sed suspicio tamen haeret ob testimonia antiquorum. Ceterum, ipsa eius vita et scripta sollicite recensentur, quod in controversiis ac vexationibus illorum temporum magnam lucem accendit. Sequuntur minores vitae, inter quas Romanae uti et Mennae, Virginum, non carent suavitate sua si perpendamus, et sexui et illis temporibus facile aliquid tribui posse. In Ewaldis Saxoniae antiquae situs et historia praecipue memoria digna est. Gerardi Abbatis, olim militis, vita tota fere occupata est monasteriis templisque condendis, in quo praecipue illorum temporum pietas videtur occupata fuisse. Thebaeae legionis fata operae pretium est cognoscere, ea enim nihil est e Diocletiani temporibus celebrius. Corpora horum militum, praefectorum praecipue Tyrsi, Bonifacii, cum sociis, undecimo de-

mum saeculo, indicio tabulae plumbeae, apud Trevirenses in crypta quadam templi sunt reperta, quorum acta, et historiam mortis, et inventionem et translationem ossium, copiose narrant, AA. cedente reverentia reliquiarum tandem, ut fit, in religionem, vel mercaturam etiam, ut clare indicetur illud Apocalypseos XVIII, 13. καὶ σωμάτων etiam defunctorum, quae adhuc multos nutrire debent. Et certe gloriari licet, in nulla religione plus superstitionis esse cum ossibus, quam in Romana, qualis apud nullos gentiles fuit aut est, cuius iam et ipsos poenitere occipit.

Vitas mulierum cui legere volupe est, cognoscat S. Domninae Berinnae, et Prosdoces, fata, quibus adiecta est Io. Chrysostomi de iisdem oratio. Amonis Nitriensis vita ex Palladio, simplicitatis multum habet, quae videri posset ridicula, nisi genium illorum saeculorum consideremus. Curiosa est historia, quomodo nuptae suae persuaserit semper ut virgo esset. Magnum oratorem oportuit fuisse! nostris certe tam facile non persuaderet. Petronii Bononiensis, patris templorum et monasteriorum, acta, plerumque istiusmodi aedificationibus occupantur, cuius praecipue in reliquiis inventis, et ultro citroque donatis, largi sunt auctores nostri: claro documento, quantum sit ineptiarum in illa veneratione, quamque vera sint quae nos pronunciamus in Articulis Smalcald. II. 2. Quinto: Sit sane, si placet, pietas, defunctorum ossa sollicite habere; sed sit pietas erga defunctos, neutiquam religio. Certe ille cultus mortuorum in superstitionem cedit.

Legitur e. gr. p. 468. Incertum esse, Pallium quo involvit Maria Jesum. De praesepio et de sputo. De mensa ubi coenavit et de relliquiis coenae. De corrigia et columna ubi ligatus fuit. De loco montis Oliveti. — De vestimentis et sepulcro Mariae. — Petri de corpore, capillis, et barba, et sic certum tales reliquias. Quis daemon divinare potest, an sint nomina-

Digitized by Google

minatorum ſanctorum? Subolet illud ipſis ſcriptoribus noſtris, quare in nota *u* ineptum deſcriptorem vocant. Sed cur haec non publice ad populum? Aureae Abbatiſſae, et Magdalvei Epiſcopi geſta, nihil fere ſingulare continent.

Sed feſtinat animus accedere ad hiſtoriam uberrimam Sti. Franciſci Aſſiſienſis. De quo citra odium vel favorem, quorum cauſſas procul habemus, quam modeſtiſſime indicabimus, nec agemus per ſcommata vel convicia, quos flores maiores noſtri a Pontificiis didicerant, quod nunc utrinque videtur ſenſim defervere. Fuit certe, quantum ex ipſis narrationibus ſuſpicari licet S. Franciſcus, quem nec noſtri Confeſſores plane damnare videntur, Apol. Aug. Conf. n. III. de dilect. et impl. leg. n. 90. celeberrimus, de quo multa etiam abſurda narrantur, e. g. in libro Alcoran des Cordeliers, it. antiquo Germanico, *Der Barfüſſer Eulenſpiegel*, quae conſulto commentatores noſtri praeterierunt. Nobis licuit ex narrationibus, ſat latine ſatque pie ſcriptis, tantum intelligere: fuiſſe Franciſcum temperamenti ſanguinei, et in iuventute ad delicias proni, dein evigilante ratione, et per morbos quosdam graviores excitata conſcientia, (quales homines ſexcentos inter nos habemus, ſed nondum ſanctos ex illis facimus,) coepiſſe circumſpicere de modo placandi Dei, eique placendi. Incepiſſe itaque, pro bonitate animi, liberalem eſſe, quod iam antea fuerat, in pauperes, mitem etiam in ipſa animalia, et miſericordem, de quo varia exempla non contemnenda recenſentur. Affecerant morbi corporis etiam rationem quodammodo, non ut deliraret, ſed ut inſaniret tamen, hic vel illic, quanquam ſerio Deum et virtutem quaereret. Et valebat ſane de eo, quod de aliis narras Paullus: *Μαρτυρῶ γὰρ αὐτοῖς, ὅτι ζῆλον Θεοῦ ἔχουσιν, ἀλλ' οὐ κατ' ἐπίγνωσιν*, Rom. X, 2. Et quia ſummam perfectionem putabat eſſe in vita monaſtica, eiusque ſolitudine et paupertate proxime accedi ad Deum, (uti quondam ipſe pater Lutherus poſtea, hanc potiſſimum vitam amplexus eſt,) novae regulae

regulae, et rigidiſſimae fere auctor fuit. Quare etiam ad barbaras gentes tendiſſet proſelytorum faciendorum cauſſa, niſi morbis ex itinere retractus eſſet, quod martyrii conſequendi cauſſa ſuſceperat. Precibus ceteroquin et meditationi rerum ſacrarum deditus, modeſtus nullique moleſtus, quam ſibi, dum corpuſculum tam ſevere haberet, ut continuo fere langueret. Fanaticum fuiſſe, apparet ex Stigmatibus quae ad Salvatoris modum numerumque, in manibus pedibus ac latere divinitus ſe accepiſſe oſtendebat; quod quibus impoſturis pateat, hiſtoria Dominicanorum Bernenſium tempore Reformationis luculenter demonſtravit. Vivi eſt mortui multa miracula narrantur, incredibilia quaedam, alia ſat naturalia, ut ſolet nihil eſſe eo in genere ſuſpectius. De eius cadavere mirae ſunt diverſitates inter ipſos Pontificios. Alii hoc recens eſſe, pedibusque inſiſtere aiunt, ſed nemo ad illud admittitur. Alii in oſſa et cineres ſolutum dicunt, alii cor et inteſtina extracta ſeparatum aſſervari. Quo minus fiduciae poteſt reliquiis adhiberi in tanta diverſitate. Nos certe collaudamus Commentatorum inſignem induſtriam ac diligentiam, ſinceritatem praeterea, qua ſponte negant et refutant, quicquid ſalva ſuae Eccleſiae auctoritate negari ullo modo poteſt. Venimus interdum legendo in ſuſpicionem, loqui illos cum multis, ſentire cum paucis, ac timere conſenſum imperitorum, quos ſapiens libenter evitat, quia ſe illis parem non fore exemplis omnis hiſtoriae cautus intelligit. Plebs ubique ſtulta eſt, eiusque perverſiſſimas opiniones

Tutatur numerus, iunctaeque umbone phalanges.

PETRI

Digitized by Google

PETRI LAMBECII HAMBURGENSIS, Commentariorum de Augustissima Bibliotheca Caesarea Vindobonensi LIBER PRIMVS, *editus in lucem auspicio ac liberalitate Sacratissimi Gloriosissimique Principis et Dn. Imp. Caes. Leopoldi I. Pii, Felicis, Inclyti, Victoris ac Triumphatoris, semper Augusti. Editio altera, opera et studio ADAMI FRANCISCI KOLLARII, Pannonii Neosoliensis, Mariae Theresiae Augustae a Consiliis, et Vindobonensis Bibliothecae Palatinae Custodis primarii.*

Vindobonae, typis et sumptibus Ioan. Thomae Nob. de Trattnern, Augustae Aulae Typographi et Bibliopolae Vindobonensis: Anno a partu Virginis cIↃIↃCCLXVI. fol. mai. cum fig. aen.

Et haec Bibliotheca Vindobonensis, digna Imperatorio splendore, et tali aula atque orbe, cuius antiqua fama per totam Europam migravit. Ii, qui ex illis regionibus ad nos perveniunt, satis collaudare se posse negant, et librorum copiam, et aedificii dignitatem, et eam, qua omnium utilitati inservitur, sapientiam atque liberalitatem. Vere ψυχῆς Ἰατρεῖον, ut Aegyptius rex primae bibliothecae inscripserat. Sed illi nihil deerat ante hos centum annos, quam strenuus cultor, qui labor Lambecii erat, nemini cognitus, nisi qui ipse bibliothecae publicae praeest. Cuius Commentarii ante centum annos, et ultra, excusi, dignique tali bibliotheca, et referti omni genere eruditionis, rarescere coeperant, et aucta bibliotheca imperfecti fieri. Surrexit ergo, qui Lambecianum Nesselianumque opus denuo ederet, mul-

tisque modis locupletaret, Kollarius, civis noſter, nullique Lambecio inferior, magnoque hoc munere et gloriae Auſtriaci nominis, et honori ſuo, et omnium utilitati proſpiceret.

Nos itaque primo in Tomo nunc ſubſiſtemus, cuius prima pars narrationem Lambecii, de ſuo itinere, atque impetrato Bibliothecarii munere poſtquam propoſuit, dein ipſam Bibliothecam deſcribit, eiusque in codicibus et ſcriptis et impreſſis divitias, ſed non minus, qua in confuſione atque ſordibus omnia repererit, incuria deceſſorum, quorum negligentia et codices quidam deſiderari, et qui erant non laute haberi conſueverant. Paſſus eſt ergo Lambecius, ſi fas eſt magnis parva comparare, haud diſſimile quiddam cum Fellero, Academicae Lipſienſis Bibliothecario, qui exantlatos labores et taedia oratione quadam luculenter depinxit. Excurrit eadem epiſtola L. ad ſingularia quaedam, et antiquitatis veneratione ſuavia, nummos ſcilicet ac monumenta vetuſta, quae inter pretioſa Domus Auſtriacae inveniuntur, non deſcripta ſolum, verum etiam de picta ex parte. Sequuntur Additamenta quibus origo Auguſtae Bibliothecae a Friderico III. magno fautore litterarum, uſque ad noſtra tempora, deductae codices recenſentur orientales, praecipue Hebraici, Turcici, Perſici, Arabici. Poſtea deſcenditur ad Iuridica et Medica, nec non Philoſophica MSta. Sed in iis omnibus iactura ſi qua forte futura eſſet, poterat ſuccedentium ingeniis ſuppleri; non ita in hiſtoricis, quorum copia eo glorioſior eſt, quo irreparabilior ſemel facta iactura.

Veniamus iam ad doctiſſimi Kollarii ſupplementa. Primo loco eſt Lambecii vita, continens interiora eius vitae, praecipue illud de mutata religione, et uberrima recenſio ſcriptorum eius. Inconſtantiam tribuit Lambecio, qui morbus videtur per totam eius vitam decurriſſe. Multa edenda promiſit, quorum fidem non liberavit, utiliſſima praecipue in Hiſtoria ſacra et civili. Altera vita eſt Dan, Neſſelii,

lii, qui Lambecio successit, studiorum ratione et religionis mutatione ei perquam similis. Tres ergo praeteritum saeculum vidit eruditione claros, quos, mutata Evangelica religione, Vienna in altum evexit: Holstenium, eius cognatum Lambecium, et Nesselium. Kollarius in Nesselii laboribus curam desiderat et fidem, cuius larga indicia affert. Pergit ad ea quae Nesselio fuerant edenda, si tempus et vita superfuisset, partim nunc ab aliis edita, partim non, illustrantia praecipue Ungariae et Bohemiae historiam. Gentilotus postea successit, et catalogum illum Viennensem ad finem perduxit. Cui defuncto *Garellius* successere et Riccardus, quo tempore Carolus Imperator aedificium Bibliothecae, et apparatum, ad eum quo nunc fulget splendorem deduxit. Nostro aevo illustris *Swietenius*, medicorum summus, discipulus Boerhavii qui nuper e vita discessit.

Sufficiant haec de utilissima editione, quae priorem longo intervallo superat, et singularem usum omni generi eruditionis praebet. Plura imposterum, de hoc atque altero Tomo.

DANIEL SECUNDUM SEPTUAGINTA, ex Tetraplis Origenis, Romae Anno 1772. ex Chisiano Codice primum editus.

Goettingae, apud viduam Vandenhoekii, 1772.
octonis.

In volumine Alexandrinorum V. T. interpretum, nos hactenus Theodotiana Danielis versione usos esse satis constat. Cum ergo Alexandrinorum interpretum versio nuper Romae in lucem protracta esset, Cl. *Michaelis*, multis modis de philologia sacra promeritus, carere nos diutius noluit hoc bono, ipsumque textum graecum ex editione Romana recudendum curavit, missis omnibus aliis, ut facilius

in manus hominum veniret ipſa verſio, interpretumque ſtudia exercere poſſet. Servavit ergo textum gracum, qualem in editione Romana repererat, cum omnibus notis veterum grammaticorum diacriticis, iisque bene multis, quas editores Romani e codice ipſo ediderant. De ſuo nihil addidit V. Cl. neque enim editoris perſonam ſuſcepit, ſed hanc a civibus ſuis gratiam inire voluit, ut ab ſe potiſſimum tam caro munere bearentur. Ac nos quidem cum magna gratiarum actione illud accipimus, et quidquid inde commodi ceperimus, id V. CL. nos ex parte debere agnoſcemus.

Non integrum eſt, editione Romana nondum conſulta, de re omni iudicare; ſed illud videmur nobis intellexiſſe, interpretationem hanc, ſi cum Theodotione comparetur, multo liberiorem eſſe, et ad intelligendum faciliorem: quaedam adeo tam graece, tamque perſpicue expreſſa ſunt, ut vix aptius dici poſſe videatur. Ex hoc genere eſt I, 15. *ἡ ἕξις τοῦ σώματος κρείσσων τῶν ἄλλων*, pro Theod. *αἱ ἰδέαι ἀγαθαὶ καὶ ἰσχυραὶ ταῖς σαρξὶν ὑπὲρ τοὺς ἄλλους*: ibid. v. 13. *χρῆσθαι τινὶ*, pro Theod. *ποιεῖν μετά τινος*: ibid. v. 10. *κινδυνεύσω τῷ ἰδίῳ τραχήλῳ*, pro Theod. *ὑμεῖς καταδικάσετε τὴν κεφαλήν μου*, *veſtra cauſa periculum vitae adibo.* Qui ſunt I, 3. *φορθομμὶν*, ii hic *ἐπίλεκτοι* dicuntur; rurſus *νεανίσκοι ἄμωμοι*, v. 4. quos Theodotio dixerat *νεανίσκους, οἷς οὐκ ἔστιν ἐν αὐτοῖς μῶμος.* Sed multis modis interpolata et mutilata videtur haec verſio: quod omnibus illis interpretationibus graecis accidiſſe conſtat. Conſpirat etiam, id quod ipſi comparando intelleximus, cum Archaeologia Joſephi, in nominibus praeſertim, tam amice, ut Joſephus non tam hebraica, quam hos Alexandrinos ſecutus videatur.

Haec interea ſaltem indicanda putavimus, ne defuiſſe lectoribus noſtris videremur. Optandum vero eſt, ut quamplurimi ſe ad hanc rem quaerendam ſtudioſe dent, cum magna magnae utilitatis ſpes propoſita ſit; praeſertim ſi quis

quis Josephum, Vulgatum interpretem, et Hieronymum ubique consulat. Quae quidem sic, ut optavimus, eventum esse, sperare nunc tanto certius licet, quanto peritius hoc literarum genus in praesenti colitur, quantoque attentiores omnes reddit opus illud codicis hebraei, quod Anglia nunc molitur.

C. C. TITTMANNI, A. A. M. ET LONGOsalissensis Ecclesiastae, tractatus de vestigiis Gnosticorum in Novo Testamento frustra quaesitis.

Lipsiae, MDCCLXXII, plagg. 17. in 8.

Satis nota est opinio eorum, Moshemii nominatim et Bruckeri, qui Gnosticos in permultis N. T. locis repererunt, ideoque orientalem quamdam philosophiam constituerunt, eamque mysticam, quaestionibus argutis de Deo, mundo, naturisque intelligentibus repletam, unde sectam gnosticam ortam esse contenderent. Missis omnibus, quae ad ipsas Gnosticorum opiniones pertinent, V. Cl. hoc egit, ut *primo* doceret, sectam hanc aetate Apostolorum inferiorem esse; *deinde* loca N. T. quae huc trahi solent, sic interpretaretur, ut nulla superesset Gnosticorum suspicio. Duabus ergo sectionibus absolvitur libellus, *historica*, quae Gnosticorum sectam Saeculo secundo vindicat; et *philologica*, quae in interpretandis locis versatur.

Tradiderunt Epiphanius, Clemens Alexandrinus, Hegesippus, Tertullianus, Firmilianus, omnes errores atque haereses recentiores esse, religionem veram antiquiorem; nec exstitisse haeresin, quae vere et accurate diceretur, cuius origines saeculo secundo priores essent. Quidam adeo coram *diserte negant*, Gnosticos ceteris haeresibus antiquiores fuisse. Huic scriptorum auctoritati, quae non levis esse

debet, aliud adiunxit V. Cl. nec Josephum, nec Philonem Gnosticorum mentionem fecisse, aut ea tradidisse, quae ad illam orientalem philosophiam pertinerent, quod mirum foret in iis, qui de sectis plurimis illorum temporum diligenter egerunt, praesertim si omnia Gnosticis iam plena, ipsisque Judaeis Gnostici admixti fuissent. Denique, cum omnes veteres, etiam ecclesiastici scriptores, omnem philosophiam in graecam et barbaram dividere soleant, orientalem vero illam ignorent, (nam Magi Persarum atque Chaldaeorum omnia alia docuerunt egeruntque, quam quae Moshemius ad orientalem philosophiam retulit,) cogitur, hanc orientalem esse commenticiam, quae incertis quibusdam coniecturis ac vestigiis nitatur, neque adeo gnosticam Sectam ex ea promanare potuisse. Sic ergo V. Cl. historicam partem persecutus est, et, cum his ipsis argumentis iam alii hanc omnem rationem oppugnassent, defensores autem Gnosticorum argumenta haec suo modo elevassent: tamen omnibus examinandis statuit, tantum esse horum argumentorum pondus, ut iis resisti iure nullo modo posset.

Ceterum ipse V. Cl. pag. 249. sqq. agnovit, sine dubio iam ante Apostolorum aetatem multa his de rebus, quas Gnostici postea tradiderunt, argute et operose, ut fit, disputata passim esse: id quod et nobis semper ita visum est, et ipsa res arguit. Neque enim adparet, unde demum propagata sit gnostica disciplina, nisi iam ante opiniones eiusmodi lente serpserint, quae eam pepererunt Quid autem docuerint auctores harum opinionum, et ubi, quo tempore, auctus sit eorum numerus, et in iustam sectae magnitudinem excrescere coeperit, ac non nulli se veluti capita huius familiae gesserint, ea omnia utique incerta esse arbitramur.

In hac autem historica sectione subdubitavimus, quoties V. Cl. iis Patrum locis, veluti Tertulliani, pag. 18. usus

usus est, in quibus errores, h. e. haereses, omnes esse veritate recentiores docent. Neque enim huiusmodi loca nobis eam vim videntur habere, quae in testimoniis esse debet, quibus res in facto positae confirmentur: sunt enim haec argumenta disputantium, non narrationes eorum, qui eventa memorabilia tradunt. Non fugere potest V. Cl. in toto opere Clementis Alexandrini passim doceri, veritatem s. veram religionem esse antiquissimam, inque Mosis libris elementa omnis philosophiae graecae reperiri. An vero hinc concludat aliquis, graecam philosophiam recentiorem Mosis aetate esse? Est utique recentior; sed non adparet hoc ex huiusmodi locis subtilis disputatoris, verum ex ipsa historia: e qua cum constaret, Mosen priorem philosophis graecis fuisse, visus sibi est Clemens ita differere posse, opinionesque adeo eorum a Mose repetere. Similiter, nisi ipsius historiae testimoniorumque auctoritate certa constet, Gnosticos secundo demum seculo ortos esse, illa loca de veritatis vetustate, errorisque novitate, ad historicam fidem parum valebunt. Ergo, quantum quidem nobis videtur, praeter loca ea, quae hoc diserte tradunt, ut Eusebii p. 15. Epiphanii, p. 10. et unum Clementis, pag. 11. nulla alia certam fidem facient lectoribus.

Praeterea in hac sectione, pag. 27. ea, quae vulgo de Simone Mago, Gnosticorum, omniumque adeo sectarum parente, tradi solent, breviter repetuntur et docte refutantur.

Restabat illud, an eiusmodi loca N. T. exstarent, quae ita aperte Gnosticorum mentionem facerent, ut nulla dubitatio relinqueretur. Quod cum Viro Cl. secus visum sit, omnia loca, quae huc referri solent, examinanda et interpretanda sibi sumsit. Paucis ergo videamus, quidnam hic praestiterit. Ac maxime quidem adversari nitun-

tur

tur eo, quod Paulus (Col. 2, 8.) *inanem et deceptricem philosophiam* reprehendit, quam multi ipſam illam Gnoſticam ſapientiam eſſe defendunt. Sed V. Cl. contra dixit, Judaicam intelligi theologiam, qualis quidem illa fuerit aetate, in ritibus praeter modum urgendis adſiduam, omninoque nugis atque commentis plenam. Hanc interpretationem ſuam his fere argumentis confirmat. Primo ſumit, quod ſumi profecto poteſt, omnis generis ſcientiam graece σοφίαν et φιλοσοφίαν dici ſolere: deinde monet, cum totus hic locus ſcriptus ſit adverſus rituum defenſores, horum ſapientiam inanem eſſe hic intelligendam, nullo modo philoſophiam gnoſticam, quam nemo umquam dixit in ritibus Judaicis defendendis verſatam eſſe. De priore argumento paucis egit; et eſt res certa: verum cum hinc unum illud adpareat, poſſe ſic φιλοσοφίαν explicari; an vero debeat, contextu verborum definiendum ſit, in haec altera parte de ſerie orationis diutius moratus eſt, omnemque epiſtolae nexum, atque loci ipſius conſilium prolixe expedivit. Quod ſi ubique Judaici ritus repudiantur, non adparet, cur hoc potiſſimum loco nugax illa philoſophia orientalis refutetur. Quid enim pertinet ad rem? Reliquam huius capitis partem ſingulatim perſecutus eſt, ut conſtaret, nec θρησκείαν τῶν ἀγγέλων, nec πλήρωμα τῆς θεότητος, nec στοιχεῖα τοῦ κόσμου, cogere nos poſſe, ut de Gnoſticis dicta haec omnia ſtatueremus. Nam στοιχεῖα τοῦ κόσμου eſſe dicit (p. 107.) inſtitutionem religionis, quam Judaei habuerint, cum eſſent tirones et quaſi infantes, h. e. quam diu legis ritualis diſciplina continerentur; ideoque ipſam legem ritualem intelligi, cui, ut imperfectae, perfecta Chriſti doctrina opponatur. Quae omnia confirmat ex v. 20. et Galat. 4, 3. Hic, ut nemo negare poteſt, praeſertim qui Hebr. 5, 12. inſpexerit, στοιχεῖα dici poſſe *rudimenta ſcientiae*, ſic obſcurius eſt, cur τοῦ κόσμου addatur. De quo V. Cl. ſic videtur, (p. 108.) legem opponi τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν, ideoque ut N. T. doctrina nomen habeat a coelo, ſic legem V. T. poſſe doctrinam

nam τῦ κόσμυ adpellari, et v. 20. ζῶντας ἐν κόσμῳ esse eos, qui per omnem vitam adstricti esse velint doctrinae illi veteri, a qua tamen nos ad doctrinam Christi transire oporteat. Cui rationi nos quidem in neutram partem pretium statuere audemus; an vero ea, quae de κόσμῳ dixit, multos adstipulatores habitura sint, subdubitamus. Nobis semper placuit, σοιχεῖα τῦ κόσμυ interpretari, *tenuem scientiam humanam*, ut hoc ipso loco παράδοσις τῶν ἀνθρώπων dicitur: et fuit illa defensio rituum profecto mere humana scientia, σοφία τοῦ κόσμυ, σοφία τοῦ αἰῶνος τούτυ, inimica evangelio. Est ergo φιλοσοφία κατὰ τὰ σοιχεῖα τοῦ κόσμυ, scientia tenuis et mere humana, οὐ κατὰ Χρισόν, non Christiana, h. e. divina a Christo orta, aut ei probata. Sensus autem v. 20. hic est: Si deservistis, religione duce, illam tenuem humanamque sapientiam, ritus urgentem, quare tandem vivitis sic, ut si vobis cum hominibus agendum esset, aut ab hominibus discenda sapientia. Imo Christus vos meliora docuit. Sed reliqua, a V. Cl. deinceps de singulis verbis exposita, repetere nunc non licet; et sunt pleraque iam nota, videnturque nobis multo brevius tractari potuisse.

Alius est Pauli locus (1 Tim. 6, 20.) de γνώσει ψευδωνύμῳ, h. e. ut V. Cl. vult, de depravata, corruptaque religione Judaica, quacum Paulus in tota hac epistola contendit. Ideoque si γνῶσις ψευδώνυμος est *scientia falso sic dicta*, et omnis hic locus sapientiam, a Judaeis adfectatam, castigat: vix dubitari potest, ipsam hanc nunc quoque intelligendam esse. Cetera verba huius loci singula excutere, fortasse non necessarium fuit: neque enim quaeritur, quid in se κενοφωνία sit, et alia; sed quid h. l. ea sibi velint, quod totum pendet a verborum contextu.

Ea vero, quae Gnosticos veluti dignito monstrant, ζωή, φῶς, λόγος, μονογενής, apud Ioannem, ea igitur et ipsa V. Cl. aliorsum refert interpretando. Nam cum vulgo sic argumententur, ut, quia haec omnia verba Gnosticorum fuisse

 constat

constat, ea a Gnosticis mutuatum esse Ioannem defendant, id V. Cl. p. 222. invertit in hunc modum: Gnosticos haec ex N. T. sublegisse, fraudumque tegendarum causa servasse: neque enim errori obnoxia ea videri potuisse, quae essent disertis verbis a Ioanne tradita. Et est ita statuendum, si constat, Gnosticos demum seculo secundo ortos esse. Sed ut ad interpretationem V. Cl. redeamus, quam p. 154. exorsus est, primo λόγον repetit e V. T. et iis quidem argumentis, quibus bene multi usi sunt: quae quidem mallemus a V. Cl. robore quodam munita esse, non tantum repetita, cum ab aliis haec dudum refutata sint. Sed φῶς et ζωὴ sunt initio evangelii Ioannei eodem modo, ut in reliquo narrationis decursu, interpretanda, ideoque utroque verbo salus felicitasque significatur: ita enim ubique Ioannes dixit. Quod argumentum non spernendum videtur. Μονογενὴς, ut bene monet, est *unus*: ἀντίχριστοι vero in prima Ioannis epistola non Gnostici sunt, sed ψευδόχριστοι et impostores, qui, repudiata religione Christiana, Servatorem e medio sublatum voluerunt, seque in eius locum substituere conati sunt. Quibus omnibus favet contextus verborum.

Nec Petrus, capite secundo posterioris epistolae, aut, qui eadem habet, Judas, de Gnosticis loquuntur, cum falsorum doctorum turpitudinem describunt: nam eodem iure, quidquid uspiam in N. T. de falsis doctoribus dicitur, ad hos potissimum referri posset, aut adeo deberet, cum in hoc Petrino loco nihil sit, quo veluti proprio signo Gnosticos agnoscamus.

Interdum, quod in huiusmodi disputatione licet, V. Cl. coniecturis coniecturas reddidit, eaque, quorum species adversarios illexit, et in aliam partem converti posse dixit: cuius generis nonnulla passim iam attigimus. Praeter alia et hoc reprehendit, quod multae Gnosticis opiniones tribuuntur, quas an aluerint, nullis certis argumentis doceri potest. Hausisse Gnosticos sua putat ex his fontibus: e philosophia

Digitized by Google

losophia Platonica et Pythagorea, fabulisque paganis, e Judaeorum Cabbala, et incredibili allegoriarum tractandarum studio, denique ex ipso religionis Christianae argumento; hisque omnibus miscendis veluti conflasse peculiarem disciplinam. Ortos esse Gnosticos in Aegypto his de causis arbitratur, quod Sectae huius principes omnes Aegyptii fuerunt, et in hac parte terrarum studium illud allegoriarum, de quo paulo ante diximus, maxime floruit.

Quodsi ante sectae gnosticae initia, ut videtur, iam passim innotuerunt opiniones, Gnosticis similes, ex quibus secta haec sua hauserit: tamen non credibile est, ecclesiam his nugis adeo iam tectam obrutamque fuisse, ut ad indoctorum quoque hominum notitiam vulgo pervenirent, apostolisque necessitas earum ubique refutandarum imponeretur, Quid quod Christiani, a doctrina alieni, eas ne capere quidem potuisse videntur: unde non utile fuisset, eos libros, quos Deus vellet omnibus omnino ad discendum et pie vivendum prodesse, refertos esse disputationibus, quas maxima Christianorum pars nec intelligere, nec diiudicare posset.

DE FORTUNA RUDENTIBUS APTA,

ad Cic. Tuscul. V. 14.

Auctore

CAROLO ANDREA BELIO,

Poes. Prof. Ord. Lips.

Est hoc innatum atque insitum animis mortalium, ut non solum ab omni parte beatii esse velint, sed scire etiam id ipsum, esseque sibi conscii praestantiae suae atque felicitatis; neque hoc solum, verum etiam certa quadam et constante bonorum suorum possessione frui. Quare genus

humanum, quamquam illo ipso nihil sit inconstantius, tamen horret fortunarum vicissitudines, mavultque tuto possidere pauca, quam multa cum amittendi periculo. Quo fit, ut saepenumero querelae gravissimae istorum beatorum, etiam in medio felicitatis atque deliciarum cursu, audiantur, nequaquam sibi belle esse, satis sibi constare de inconstantia fortunae, neque satis scire quid sperent, aut metuant, esse igitur ancipiti loco. Esse divites, sed metuere incendia, rapinas, fraudes, bella, dum interea viator et coram latrone cantet vacuus. Esse honoratos, et gratiosos apud omnes, igitur etiam potentes; sed ob eam rem invidiam metuere et pati, malevolentiam, machinationes adversariorum, cuniculos clandestinos, et, si nihil aliud, globo insistentem fortunam, quae modo det, modo eripiat, modo flentes cubitum mittat quos mane exhilarasset. Ex quo et hoc malum nascitur, quod suspiciosi sunt, et ad contumeliam omnia accipiunt, igitur caeca suspicione ducti, quorum fidei se committant fere nesciunt. Atque ista omnia incommoda, ab illa rerum humanarum domina fortuna proficiscuntur, quae quibus maxime aut quaeritur, aut adiuncta est, inimica est maxime. Primum in his locum tenere mercatores, nemo facile negaverit, nam istis et maxime quaeritur, et maxime fortuna adiuncta est, etiamsi solent plerumque consilio tribuere, quod maximam partem debebant fortunae. Ridebat talem fortunam in *Ciceronis* Tuscul. V. 14. Laco ille, qui glorianti cuidam mercatori, quod multas naves in omnem oram maritimam dimisisset, *non sane optabilis quidem ista*, inquit, *rudentibus apta fortuna*. Qui quidem locus Ciceronis dignus mihi visus est omnino, quem per hanc scribendi opportunitatem, cum esset nobilis olim mercatoris memoriae celebrandae praefandum aliquid, proponerem.

Quae igitur est illa *fortuna rudentibus apta?* Erat, cui ambiguum videretur. Si participium sit τὸ rudentibus, aiebat ille, et serio quidem, neque per iocum, videri Laconem

nem indicare fortunam voluisse aptam, hoc est adiunctam illis, qui ruderent asinis, igitur stupidorum hominum, qui, quod consilio adipisci non possent, id omne casu consequerentur. Neque adeo mirum debere cuiquam videri, Laconem fortunam eam minime optabilem existimasse. Ingeniosius, quam humanius, aut verius. Iam Comicus pervetustus idem dixerat:

Ἐπὶ χρήμασ' ἰδὼν ἔμπορος φροντῖ μέγα·
Ὧν ἐςὶ πάντων ἱςίοτ' ἄνεμος κύριος.

Satis profecto, si quid video, etiam in hoc Ciceronis loco, orationis series declarat, esse hic de nauticis funibus, de rudentibus sermonem, deque fortuna illis apta, id est nexa, ab illis suspensa. Talem fortunam, ait Laco, non esse, ut profecto non est, optabilem, quod nitatur rebus fluxis, et aeque instabilis sit atque incerta ac rudentes, sive naves ipsae, quibus reposita atque commissa est. Idem paullo ante, quam haec Laconis adferret, dixit Cicero: nisi stabili, et fixo, et permanente bono, beatum esse neminem posse; et ad Quir. p. red. 1. non quidquam homini magis in hac vita optandum esse, quam constantem, aequabilem, perpetuamque fortunam, secundo vitae, sine ulla offensione, cursu. Accedit, quod idem de Lacone, etsi paullo aliter, in Apophthegm. Lacon. *Plutarchi* legimus, οὐ προσίχω, inquit, εὐδαιμονίᾳ ἐκ σχοινίων ἀπηρτημένῃ. Digna profecto Lacone sententia, quem magister Lycurgus ita instituerat, ut non solum facetus esset, sed etiam odisset atque contemneret mercaturam, quae fere a casu penderet, effeminandis moribus aptam, et quae eapropter paene interdicta esset Spartanis. Hae sunt illae *Horatii* rates impiae, quae, etsi Deus abscidit prudens Oceano dissociabili terras, tamen, divitiarum et opum quaerendarum causa, non tangenda transiliunt vada; quae maciem terris, et novam febrium cohortem, quarum vix e longinquo fama constiterat, intulerunt,

lerunt, ita ut ſemoti prius tarda neceſſitas lethi corriperet gradum.

Sed ſunt et alia, quae iſtam plenam periculorum fortunam comitentur, et quae adeo minime optabilem reddant. Suffecerant hominibus, quae terra quaeque gigneret, neque erat vel antiquiſſimis temporibus rerum ad victum amictumve neceſſariarum ulla penuria; erant igitur inſigni frugalitate, quae virtus, ut in Tuſcul. *Cicero* dixit, reliquas virtutes paene omnes complectitur: poſteaquam navigari maria coeperunt, coepimus laborare varietate mercium et copia. At qualium? quibus beatum foret genus mortalium, ſi careret. Luxum pepererunt, qui vires animi et corporis ita emollit, ut ſint lorum in aqua, (et tamen hunc ipſum, futilibus de cauſis, utilem reipublicae et ſalutarem putant;) per luxum deinceps inopiam. Quid igitur inferunt? alienis nata terris, nobis vera venena, ipſo ſitu atque aëre marino iam infectas merces; metalla, irritamenta malorum; delicias peregrinas, Attalicam luxuriam, et, ne ſimplici morte periremus, etiam pravos mores. —

Si quis porro, quae hanc pendentem a rudentibus fortunam indubie comitantur, mala, (hoc maiora, quod ad animum pertinent,) angorem perpetuum atque trepidationem, illam per vices ſpei et metus ſucceſſionem, haec ſi quis probe penſitaverit, nae ille omnium minime optabilem putet, propterea, quod abducit homines ab animi tranquillitate, qua magna pars beatae vitae continetur, et ſine qua vivere continua mors eſt. Eſt igitur adverſa potius, quam ſecunda fortuna; eſt coeca, ut Cicero aliquo loco nominat, quae, quos complectitur, coecos plerumque efficit. Nam profecto, ſi addixerint rudentes, qui ſe tali fortunae permiſerunt, ſibi ſuaeque prudentiae atque ſapientiae, quidquid inde felicitatis conſecuti ſibi videntur, ſolent, non divinae benignitati tribuere; quod eſt ſine omni controverſia ſtultiſſimum, nam et fortuna divinitus contingit.

Et

Et quid fiet tandem, cum, (quam nemo unus umquam in potestate habuit,) tergiversari fortuna coeperit? profecto enim verissimum est illud *Senecae*:

— — — nemo se tuto diu
Periculis offerre tam crebris potest:
Quem saepe transit casus aliquando invenit.

Si igitur hic te casus invenerit, quid tum? nonne erit in consiliis, quibus ante nullis usus es, et vel maxime in divino nutu atque voluntate, vnicum perfugium? Recte ergo et sapienter rebus suis consulunt, qui, monente iam Horatio, non confidunt nimium secundis, omnium minime talibus, quae pendent a solo casu, cui evitando providentia, cautio, diligeutia denique omnis, frustra adhibentur. Equidem non ignoro, et est quotidiano usu comprobatum, in humanis consiliis omnibus, plurimum fortunae, prudentiae saepenumero aut parum, aut nihil deberi, potissimum bonis externis appetendis, (nam quae interna sunt, et ad animum pertinent, ea nec dare fortuna, nec eripere potest;) ut adeo fortunam dominam esse rerum humanarum recte Cicero dixerit: tamen, si et hic consilium accesserit, non praeceps illud et immaturum, sed deliberatum, et attemperatum rebus tuis, quomodocunque tandem res ceciderit, αὐτάρκεια nascetur, animi illa securitas, qua nescio an maius quidquam concedere divinum numen, ad beate vivendum, hominibus possit. Neque est praeter hanc manens fortuna: reliqua omnia fluminis ritu feruntur. Ridebit igitur sapiens, ut Laco ille, omnem aliam fortunam, qua efficitur, ut dies noctesque crucientur homines, ut iis nec satis sit quod est, et id ipsum ne non sit diuturnum ut timeant. Recte utetur rebus suis, neque se sibi soli, sed patriae, sed amicis, sed bonis omnibus, natum putabit; candorem et liberalitatem

cum.

eum fortuna coniunget, atque ista sua virtute id consequetur, ut diuturnam viventi felicitatem optent quamplurimi, sed vero et mortuum grata memoria, neque umquam intermoritura, prosequantur.

CHRISTOPH. JEREM. ROSTIUS,

Gymnas. Budissensis Rector, de Imitatoribus Epaminondae.

Epaminondam, cum propter eximias virtutes, tum propter rerum gestarum magnitudinem, Graeciae longe principem audisse, quis est qui nesciat? et summo quidem iure mea sententia. Etsi enim Attica seges tulerat Themistoclem, Aristidem, Periclem, atque Alcibiadem, Sparta admirata erat Lycurgum, Charilaum, Leonidam, Pausaniam, Archidamos atque Agesilaum, neque non Messenii, Aristomenum, Achaei Aratum et Philopoemena viderant, quos omnes nisi clarissimos maximosque dicerem, stultus atque rerum omnium ignarus videri deberem. Sed tamen illi nec rebus gestis, nec virtutibus, cum Epaminonda ullo modo comparandi videntur. Quo magis etiam dolendum est, eius viri vitam perscriptam a Plutarcho laudum tanti Thebani digno sane praecone, non tulisse aetatem. Nihilo tamen secius ex Cornelio Nepote, et Plutarchi Pelopida satis apparet, quantus ille vir fuerit: inprimis autem, quod bene percepisse atque meminisse velim, res inde manifesta est, quod eum viri primarii bene multi ad imitandum sibi proposuerint, seque totos ad eius similitudinem conformarint; in quorum numero eminent maxime Pelopidas Thebanus, Philippus Alexandri pater, et Philopoemen Graecorum ultimus.

Ac Pelopidam quidem, de hoc enim primo loco nobis dicendum est, inter atque Epaminondam, arctissima inter-

Digitized by Google

intercedebat necessitudo et amicitia, nata illa, ut quibusdam placet, in proelio Mantineensi, pugnato anno XIV. belli Peloponnesiaci quum Boeotii Lacedaemoniis contra Athenienses auxilium ferrent; quod proelium, opinor, distinguendum est ab illa pugna in qua Epaminondas a Gryllo, Xenophontis filio, interfectus est, cum eoque omnis Thebanorum vis atque virtus periit. Quorum si tu perpetui amoris consensum, quamvis simul fere reipublicae praefuerint, contempleris, odium contra atque invidiam Themistoclem inter atque Aristidem, Periclem inter atque Cimonem, Alcibiadem inter atque Niciam, aequalium, atque eodem tempore Athenis principatum obtinentium, perpendas, profecto obstupesces. Atque etiam ex nobilissima illa amicitia, ut mihi quidem videtur, quamvis alios nesciam, factum est, ut Pelopidas, Epaminondae magnitudinem, rei militaris scientiam, atque ceteras virtutes perspectas habens, eum ad imitandum sibi proposuerit. nisi tu neges, amicitiam honestis ex caussis ortam, et quae sola nitatur virtute, id efficere solere, ut alter alteri quam simillimus esse velit. Accedit, quod Plutarchus in vita Pelopidae scribit, eum summa cura Epaminondae humanitatem, liberalitatem, atque divitiarum contemtum, aemulatum fuisse. Quamvis vero Pelopidam hanc operam minime perdidisse non ignoremus: tamen minus vulgo notus est, quam Graeciae ille longe princeps, acciditque profecto, quod in duabus statuis uno eodemque loco repositis accidere solet, quarum quae pulcritudine praestat, ea sane venustate sua alterius nitorem ac splendorem obscurat. Fuit itaque Pelopidas, ut cum Nepote loquar, altera Thebis persona, sed tamen secunda. Primum enim locum non meretur, cum nihil fere, si illam Lacedaemoniorum ex Cadmea expulsionem exceperis, sine Epaminonda gesserit, ac variis laboraverit vitiis, quae tanquam naevuli quidam in pulcro isto corpore reprehendi solent.

Veniamus deinceps ad Philippum, Amyntae filium, Alexandri M. patrem, eundemque Epaminondae imitatorem admiratoremque egregium, qui quidem natus novem aut decem annos Thebas venit, ei populo obſes a fratre datus, atque in urbe ſeveritatis antiquae, et in domo Epaminondae, ſapientiſſimi viri, atque omnium bellicarum artium longe principis, prima pueritiae rudimenta depoſuit. Magiſtrum vero talem nactus, non eſt quod mireris, eum factum eſſe ſapientem, manſuetum, patientem, eloquentem: eum bellicas artes calluiſſe, temporibus inſerviſſe, atque adeo tot urbes expugnaſſe, tot gentes deviciſſe, omnesque ante ſe exortum reges Macedoniae rerum geſtarum magnitudine ſuperaſſe. Quamvis diſſimulandum non ſit, eundem Philippum non modo a Theopompo, qui eius vitam perſcripſerat, cuius quidem niſi parietinae ad noſtra pervenerunt tempora, maledicentiſſimo alias ſcriptore, et a Demoſthene, qui regem peſſime oderat, verum etiam ab aliis, qui odii atque inimicitiae cauſſas habuerunt procul, *multis nominibus* reprehendi ſolere. Vituperant autem Philippi ambitionem, perfidiam, accuſant incontinentiam, laſciviam, luxuriam, atque cetera eius vitia ſilentio non praetermittunt.

Sequitur Megalopolitanus Philopoemen, Achaeorum octies Strategus, cuius res geſtas atque vitam qui perſcribere aggreſſi ſunt, in hoc conſentiunt, ut dicant gnaviter id eum dediſſe operam, ut Epaminondae artes atque mores maxime exprimeret, et ut eius imitator facile agnoſci poſſet. Et ſane vitam egit honeſtiſſime, ſummaque vi eniſus eſt, ut vera loqueretur, unde tantam fidem eſt conſecutus, ut quae eſſet locutus, ea Achaei ex tripode Apollinis profecta plane putarent. Iniurias atque contumelias patienter tulit, a donis atque muneribus ſeſe abſtinuit. Vigilantia, alacritate, atque celeritate tanta fuit, ut cum crederes eum hic eſſe, illic eſſet, utque videretur

Ωςγορ

Ocyor et iaculo, et ventos aequante sagitta.

Neque vero non et strenui et callidi ducis officio semper functus est. Sed tamen hic summus vir, cum exceptione quoque laudandus esse videtur. Culpatur enim praeter iracundiam, eius ambitio, atque temeritas. Ac Megalopolitanis civibus suis, irae indulgens, quaedam oppida ipse eripuit, et Lacedaemoniis, quorum urbem paullo ante contra Romanos atque Achaeos defenderat, tantopere indignatus est, ut Spartam invaderet, Lycurgi disciplinam, qua per septingentos annos assueverant everteret atque sublata veteri reipublicae forma Laconicam civitatem enervaret. Ambitione autem prava ductus nemini parere, atque iis temporibus quoque summi ducis auctoritatem habere voluit, quibus Strategus non esset: domi vero quum omnia tuta ac tranquilla essent tantum abfuit ut quietus et otiosus latuisset, ut potius alias gentes, gerentes bellum, adiret. Neque vero non Philopoemena temeritatis arguunt, quod mediterraneus homo, Arcas ipse, atque ex eó populo prognatus, de quo Homerus, Graecorum naves enumerans, Iliad. B. v. 610.

- - Πολέες δ' ἐν νηὶ ἑκάστῃ
'Αρκάδες ἄνδρες ἔβαινον ἐπιστάμενοι πολέμοιο.
Αὐτὸς γάρ σφιν δῶκεν ἄναξ ἀνδρῶν 'Αγαμέμνων
Νῆας ἐϋσσέλμους, περάαν ἐπὶ οἴνοπα πόντον,
'Ατρείδης. 'Επεὶ οὔ σφι θαλάσσια ἔργα μεμήλει.

Atque quamvis certaminibus terrestribus clarus, belli vero maritimi rudis esset, nihilo tamen secius classe contra Nabidem pugnare; quae quidem pugna et infelicissime ipsi cessit, ausus est. Denique illud nobis quoque Philopoemenis dictum succurrit, quo quidem ipse sua quasi cecidit vineta. Perhibentibus quendam ducem strenuum, respondit, mirari

ſe, quare tantum errarent errorem, eumque, qui captus eſſet ab hoſtibus, ducem appellarent. O Philopoemen, cur cernis tam acutum in aliorum vitiis, ut aquila aut ſerpens Epidaurius! Haut ita pridem haec dixeras, quum incautius inter Meſſeniorum manus verſaus, ipſe captus, deportatusque Meſſenen es, atque veneno accepto diem obiiſti. Hic fuit Philopoemenis finis.

Atque his intellectis manifeſtum eſt, Pelopidam, Philippum, atque Philopoemena, etſi non omnino id conſecuti ſint, quod ſummo ſtudio fuiſſent ſecuti, tamen aliquanto propius ad Epaminondam, is enim identidem nobis nominandus fuit, acceſſiſſe, quam Imperatores illi, Commodus quidem, Caracalla, Geta, Heliogabalus, Diadumenus, Antonino Pio, cuius ipſi nomen aſſumſerant, ſimiles facti videntur. Sed haec hactenus.

ANIMADVERSIONES CONTINUATAE ad Platonis L. I. de Legibus.

Auctore

M. IO. CHRIST. GOTTLEBER,

illuſtris Afranei Rectore.

Coepimus nuper, praemiſſa ſumma primi libri Legum Platonicarum, animadverſionibus, verba et loquendi formas dialogi, adiecta lectionis varietate, grammatice interpretari, atque ſubſtitimus in enarrando loco, ubi Plato, ad demonſtrandam ſententiam, *bella externa non tantum diſcriminis habere, quam civilia, et omnino ſeditiones*, locum Tyrtaei laudat, eumque non de tumultu, ſed de externo bello intelligendum eſſe, auctor eſt. Meliores itaque, et maiori laude dignos iudicat eos, qui, quum inutiles cives res moliantur novas, fortiſſimos et optimos ſe exhibeant, uſus teſtimonio Theognidis, qui ita:

Illa

Ille auro argentoque mihi praeſtantior eſto,
Qui iuviſſe gravi ſeditione poteſt.

Virum fidelem itaque in ſeditione, tanquam bello graviſſimo, tanto praeſtantiorem eſſe iudicat eo, qui in bello externo tantum verſatus ſit, quanto excellentiores ſint iuſtitia, temperantia, et prudentia, una collatae virtutes, fortitudine, quae earum ſit ultima. Neminem enim fidelem et integrum eſſe in ſeditionibus poſſe, niſi qui virtutibus omnibus ſit ornatus. Quibus ex dictis elicit hanc praeceptionem: legislatori, in legibus condendis, reſpiciendum eſſe ad maximam virtutem, quam Theognis fidem (πιςότητα) dicat, et quam appellare quis poſſit iuſtitiam; non vero ad fortitudinem, laudatam tanto opere a Tyrtaeo: eam enim, quamvis praeclaram, quarto tamen loco eſſe ponendam. Quibus praemiſſis, nunc ipſam Platonis orationem, obſervationibus noſtris illuſtrabimus.

ὄντως τοὺς μὲν ὑπερῄνεσας,] (pag. 629.) in Ald. Baſ. 1. 2. deſunt verba: τοὺς μὲν poſt ὄντως. male; ſequitur enim τοὺς δ' — reliquae editt. ſequuntur Steph.

τοὺς πρὸς — γιγνόμενον πόλεμον ἐπιφανεῖς.] Euſebius (Praep. Ev. p. 574.) habet πόλεμον γενομένους ἐπιφ. Potuiſſet, opinor, ſic ſcribere Plato; ſed nihil immutandum in contextis. Paullo poſt ſequitur: γιγνομένους ἀρίςους ἐπιφανῶς.

ὁμολογοῖ.] Stephanus ad h. l. „Invenitur h. v. ſequente interrogationis nota. Scilicet in Baſ. 1. et 2. Reſpexiſſe quoque eum putem ad Ficini verſionem: concedet iſta Tyrtaeus? Et ſane ſic melius. Lugd. habet ὁμολογεῖ, male.

ποιητὴν δὲ καί.] Baſ. 2. et Francof. τὲ καί.

πιςὸς ἀνήρ.] Leguntur hi verſus apud Theognidem in Sent. (78. 79.) πιςὸς ἀνὴρ h. l. eſt δίκαιος, ut paullo poſt Plato interpretatur. „Atqui illa eſt, ut ait Theognis, in rebus gravibus atque difficilibus, fides (πιςότης), quam per-

 fectam

fectam iustitiam aliquis appellaverit." Πιστότης autem iustitiam significare potest quod, ut auctor est Cicero, (Off. L. I. c. 7.) fundamentum iustitiae fides est, h. e. dictorum conventorumque constantia. Iungitur et h. l. πιστὸς verbo ὑγιής. Qui sanus h. e. prudens in omnibus rebus agendis versatur, fidem exercet; qui ille ipse est quam iustus. Legenda est praeclara de iustitia disputatio apud Ciceronem, l. c. quae rationi Platonicae maxime accommodata est.

δικαιοσύνη καὶ σωφροσύνη.] Eusebius omittit σωφροσύνην.

διαβάντες δ' εὖ καὶ μαχ.] Eusebius διαβάντες δὲ καὶ εὖ μαχ. ut τὸ εὖ non ad διαβάντες referatur. In Tyrtaei loco (v. 16.) ad quem Plato hic respexit, deest τὸ εὖ quidem:

ὅστις ἀνὴρ διαβὰς ἐν προμάχοισι μένῃ.

sed additur in duobus fragmentis Tyrtaei, v. c. p. 5. et 32. ed. Klotzianae, et apud Lycurg p. 214. Reisk. reperitur etiam in editt. vett. Platonis. In interpretatione huius formae variant Interpretes. Apud Eusebium, l. c. conversus est hic locus: „ubi hostilem in regionem traiecerint, strenue dimicantes. Male: quod est εἰσβάλλειν, v. c. apud Aelian. II. 44. διαβαίνειν v. c. ποταμὸν, ut notum, satis frequens est; non autem significat simpliciter, *in hostium fines impetum facere.* Ficinus, et post eum alii, vertunt: *intrepide pugnant:* non male quidem, sed verbis non satis accommodate: εὖ διαβάντες, intrepide quidem pugnant; sed hac versione ratio pugnandi intrepide non exprimitur. Tenendum autem, hanc formam desumtam a Tyrtaeo ex Homero (Iliad. μ. 458.) ubi reddita est: firmiter, divaricatis cruribus stans. Eustathius ad h. l. (p. 914. ed. Rom.) notat: verba εὖ διαβὰς esse interpretationem verbi superioris: ἐρεισάμενος, et ea explicat: διαστήσας τὰ σκέλη vel τοὺς πόδας h. e. τὴν βάσιν πρὸς ἀντέρεισιν. Scholiastes minor nimis generaliter: ἰσχυρῶς στὰς, ut fere Ficinus. Salmas. ad Solin. (p. 663.) exponit de milite, qui gradum componit ad pugnandum, et excipiendum adversarii impetum, altero pede protenso.

Digitized by Google

protenso. Ita fere Casaub. ad Theoph. (p. m. 46.) qui huius loci Platonici meminit. Venerab. Ernesti ad Homeri l. c. vertit: magno gradu: eleganter; quod idem ac: divaricatis pedibus: quasi μακρὰ βιβάς. Hesychius βιβὰς – διαβαίνων. Clarissimus Lessingius, Epp. antiquar. (T. II. p. 56.) iconem delineatam inferi curavit, quae statum militis ἐυ διαβάντος, ut mihi videtur, bene exprimit. Alia habet et Klotzius ad Tyrt. p. 29. nec oblitus est, hunc Platonis locum Tyrtaeanis fragmentis suis addere, p. 134.

Καὶ μαχόμενοι.] Apud Tyrtaeum est ἐν προμάχοισι μένη (p. 66.) In primo fragmento (p. 5.) est: ποσὶν ἀμφοτέροισι μενέτω, ubi praecedit forma: ἐυ διαβάντες. Qui manent, et divaricatis pedibus stant, bene pugnant. Sic apud Diod. Sic. L. XV. p. 27. Wessel. de Chabriae militibus: καὶ τῇ τάξει μένοντας – –.

Ἐθέλοντες ἀποθνήσκειν.] Apud Tyrtaeum magis poetice: ψυχὴν καὶ θυμὸν παρθέμενος. quae forma haud dubie desumta est ex Homero (Odyss. β. 237. Odyss. γ. 74.) quae loca iam laudavit Klotzius, ad Tyrt. p. 84. Hesychius in παρθέμενοι, citat hunc Homeri versum, et explicat τὸ παρθ. παραβάλλοντες; de quo verbo v. Cerd. ad Virgil. Aeneid. II. 751. Eustathius (p. 92.) hanc vocem interpretatur ἀντὶ τοῦ προτείναντες; ut fere Virgilius l. c.

— *rursus caput obiectare periclis.*

Ubi tamen Intt. omiserunt, Homerici loci, quem expressit Virgilius, mentionem facere. Sed notanda quoque elegantia Platonicae formae: ἐθέλοντες ἀποθν. h. e. qui *libenter*, *sponte*, moriuntur. Ἐθέλω λέγειν est: lubet dicere. Quemadmodum τὸ ἐθέλω in compositis, v. c. ἐθελόπρόξενος, ἐθελοθρησκεία – spontaneum quid significat; ita et iunctum verbis idem valere videtur. Et ita respondet accurate haec forma Homericae, unde eam desumsit Tyrtaeus.

Φράζει

φράζει Τύρταιος.] Stephanus observat in margine: Legitur etiam φράζοι; quod fuerit pro φράζοι ἄν. Sed nescio, unde hauserit hanc lectionem Stephanus. Forte ex versione Ficini: *quod non negabit Tyrtaeus*: q. d. non negarit hoc Tyrtaeus. Lectio profecto optima mihi videtur, et unice probanda. Nam non dicit Tyrtaeus, ut e lectione carminis facile patet, multos mercenarios, intrepide pugnantes, reperiri, qui audaces sint: sed Plato vult: potuisset hoc dicere, s. dictis suis adiicere Tyrtaeus. Sic vult quoque legi Vir quidam eruditissimus in Observ. Misc. Vol. I. T. I. 127.

μάλα ὀλίγον.] Euseb. habet: εὖ μάλα —

πῶι — — τελευτᾷ.] Ald. Bas. I. 2. habent πῆ. Eus. πῶς.

ὐκ ἄλλο ἢ πρὸς τὴν ἀρετὴν — — βλέπων.] Stephanus iubet ita scribi: ὐ πρὸς ἄλλο ἢ π. τ. α. Forte ex versione Ficini: „non *ad aliud* quam ad amplissimam semper virtutem respiciat.“ Duplex quidem verborum structura in vulgata lectione esse videtur; quae vero, vel per gratam negligentiam, excusari, vel, quod magis placet, etiam suppleri potest, post ἄλλο, ποιήσει, quod verbum apud Graecos saepe omittitur. Xenoph. Mem. II. 3. 17. τί γὰρ ἄλλο — — ἢ κινδυνεύσεις ἐπιδεῖξαι, subaudi: ποιήσεις. Oeconom. IX, 1: τί δὲ, εἰ μὴ ὑπισχνεῖτο — — subint ἄλλο ἐποίει. ubi v. Bachium, et quos laudat. Latini, imitati Graecos, consimiliter. Suet. Iul. 20. „nihil aliud, quam per edicta obnunciaret, sc. fecit. ubi v. Ven. Ernestium.

Λυκῦργον — Μίνω] Ald. Bas. 1. 2. male Λυκύργῳ — Μίνῳ. Caeterum egregie notat Plato Lycurgum, quod in legibus ferendis non ad omnem, quam latissime patet, virtutem respexerit, sed ad fortitudinem solam. Legi meretur super hac re Iselinus in Histor. Institutorum humanorum L. VII. 8. p. 160. — 169.

πῶς χρῆν.] Bas. 1. et 2. ἐχρῆν. Sic infra: ἐχρῆν εἰπεῖν.

τὸ,

Digitized by Google

τό, τε ἀληθὲς.] Ald. Bas. 1. 2. *τότε*, male.

ὑπὲρ γε θείας — — διαλεγομένους.] Stephanus suspicatur, aut deesse vocabulum post *θείας*, aut subaudiendum esse *πολιτείας*, quod durum. Ex versione, opinor, Ficini: „qui de *divina republica* disserunt. Forte legendum pro: *γε θείας νομοθεσίας*.

ἅπερ οἱ τῶν νῦν.] Stephanus in margine scripsit, deesse vocem *πλεῖστοι* aut *πολλοί*: ex Ficini versione „quas *multi* modo proponentes quaerunt.

Ἐζήτει.] Ald. Bas. 1. 2. *ζητεῖν*. Sed *τὸ ἐζήτει* contexta flagitant, propter *ἐτίθει*, quod praecedit. Monere tamen Stephanus lectores debuisset, hanc a se esse factam correctionem. Caeterum locus totus a Ficino mire conversus: „non ad particulam virtutis, et praesertim ad deiectiorem, sed ad universam ipsos virtutem respexisse putandum, et per singulas earum species leges quaesisse, nec eas species investigasse, quas multi modo proponentes quaerunt." Retulit Ficinus haec ad duos legislatores, cum de uno Minoe, ut opinor, sit sermo; ut e verbis: *ἐτίθει* (*νόμους*) *βλέπων*, et ex superioribus intelligitur: ubi Clinias: „verum, hospes, legislatorem illum nostrum sane seponamus, et ad extremos amandemus." Serranus autem videat, ut suam versionem lectoribus probet: „non ut ad unam tantum virtutis particulam, et eam quidem tenuissimam, legislator respiciat: (sic *ἐτίθει βλέπων* reddidit; et ubi exstat vox *legislatoris* in textu graeco?) sed ut potius universae virtutis habeat rationem: et per eas nimirum virtutis species investiget leges, non quas ii, qui hoc tempore leges dictant, exquirunt.

Ὁ *μὲν τὰ περὶ τῶν κλήρων.*] Ald. Bas. 1. 2. omittit praepositionem, sed Stephanianam sequuntur Lugdunensis et Francofortana. Stephanus addidisse videtur praepositionem, quod sequitur: *τῆς αἰκίας περι*, ut aequalis esset structura. Ficinus: alius *de* haereditate. Mihi non videtur addenda praepositio.

Τῶν *ἐπικλήρων.*] Ficinus non vertit h. v. Serranus autem: *hic de legatis*. Sed cur sic verterit, sane nescio. Quid

sit ἐπίκληρος, ex Suida, Hesychio, et Thoma Magistro, satis notum. Scilicet mulier quae haeres est ex asse. In Lugdunensi atque Francofurtana mutatus hic versionis error: de mulieribus, solis haeredibus relictis, *in uxores ducendis.* Sed quorsum adiecta sint ultima verba, non satis intelligo.

αἰκίας πέρι.] Timaeus: ὕβρεως δίκη. v. et Hesych.

Ἄλλα ἄττα.] Ald. Bas. 1. 2. ἅττα, male. Saepe haec bina permutantur verba, librariorum et operarum vitio, etsi scio, veteres Grammaticos fluctuasse. v. Fischer. V. C. ad Phaedon. S. 3. et 4. Nunc satis certum, ἄττα esse pro τινὰ, et ἅττα esse ἅτινα. Ἄττα h. l. unice verum est: nam τῷ ἄλλος et τοιοῦτος iungitur τὶς, v. c. Apolog. Plat. 18. ἄττα — ἄλλα: vide, sis, Animadv. nostras ad Phaed. 4.

Καταφάνης λέγειν.] Bas. 2. καταφανὴς λέγων.

δηλούμενον λέγειν.] Bas. 1. 2. λέγει, male.

πῇ δ' ἄν. — —] Locum hunc excerpsit Euseb. Praep. Ev. XII p. 589.

τὰ ἀγαθά.] Euseb. τἀγαθά.

Διπλᾶ δὲ.] Euseb διττὰ δ' ἀγαθά. — Haec bonorum descriptio videtur desumta ex Pythagorica schola. Archytas enim apud Stobaeum: (S. I. p. 15.) Homo, ait, non tantum constat animo, sed et corpore. Quamvis corpus animi est instrumentum; tamen et hominis pars est: itidem et animus. Ideoque et bona alia sunt hominis alia partium. Et hominis quidem bonum, felicitas. Ex partibus vero hominis, animi quidem, prudentia, fortitudo, iustitia, temperantia; corporis vero forma, valetudo prospera, bona habitudo, integritas sensuum. Externa vocat minora, et sanitatem primo ponit loco. Liquet quoque inde, hanc in quatuor partes virtutis descriptionem, iam ante Platonem fuisse notam; adeoque apud Persas, ut priori prolusione iam monuimus.

ἤρτηται ἐκ τῶν θείων.] humana bona pendent a divinis. Eleganter ἤρτηται. Quod verbum Cicero ad aliam rem transtulit. V. c. in Epp. L. IV. 13. non aliunde pendere. — ubi v. Manut. p. 226.

in

πλοῦτος δ' τυφλός.] Qualis fingitur ab Ariſtophane in nobili Comoedia, quae inſcribitur Πλοῦτος (A. I. S. 2. v. 84.) Hic Plutus non modo caecus, ſed et ſordidus dicitur, ad depingendas avarorum ſordes, qui in arcula numos reponunt, ut ſitu quaſi obducantur. In gratiam ſtudioſorum elegantiae veterum, locum ipſum ex laudata fabula deſcribam. Chremylus interrogat Plutum: ſed cur, cedo, tam ſqualidus hic procedis? P. E Patrocli domo, qui nunquam lavit, ex quo aetatem inter homines agit. Chr. Dic mihi, amabo, unde iſtuc ſit tibi malum? P. His Jupiter me multavit malis, ſua bona invidens hominibus: nam puer adhuc, minatus fueram, quod, deſertis improbis, iuſtos, modeſtos, eruditos, et probos, adire ſolus vellem. Sed me Jupiter occaecavit, ut horum dignoſcerem neminem: adeo frugi hominibus his Deus male invidet? — Lepide quoque eum Lucianus, (Tim. I. 91. Graev.) non modo caecum, ſed et claudum fingit. Mercurius ibi: Eamus Plute. Quid hoc? num claudicas? Equidem ignorabam, o praeclare, te non caecum modo, verum etiam claudum eſſe. Pl. Hoc non eſt mihi perpetuum, Mercuri, ſed quando ad aliquem, a Iove miſſus, proficiſcor, neſcio quomodo claudus et tardus utrinque ſim: ita ut aegre metam pertingam, quum non nunquam, qui me operiebatur, prius inſenuit. Sed quum diſcedendum eſt, alatum videbis.

Τῶν θείων — — ἐστιν ἀγαθόν.] Euſebius: ἀγαθῶν.

ἡ φρόνησις.] Videri poſſit, hanc vocem gloſſam eſſe, nam antea iam nominavit hanc virtutem. „Divitiae — ſi *prudentiam* ſequantur: quod bonum inter divina illa principem locum obtinet, *prudentia* ſane eſt." Sed perſpicuitatis cauſſa, quae regnare debet in dialogis, ſaepe repetuntur a Platone verba, quae omitti poterant. Verſamur in colloquiis familiaribus ita, ut addamus verba non admodum neceſſaria. Quare non delendum h. verbum.

Εἰς ταῦτα βλεπούσας.] ſupra: βλέπειν πρὸς τὴν ἀρετήν.

Εἰς τὸν ἡγεμόνα νοῦν.] Archytas apud Stobaeum in Eclog. Ethic. (p. 15.) eadem habet de hac re, ac Plato, Sed Archytas progreditur uſque ad Deum, in quo omnia

bona consistant, cum Plato humana bona ad divina, et haec ad Mentem Rationemque referat. Sapientior itaque hactenus Archytas Platone videtur.

βλέπειν.] Eusebius βλέπει, ut et sequentia coniungantur cum superioribus. Sed ut Vigerus recte iudicat, interpunctione maiori, vel saltem minori, divellenda sunt haec ultima verba, ut factum in Stephan.

ἐπικοινωνυμένυς.] Stephanus in margine (pag. 631.) notat: in praecedenti editione, ἐπικοινονυμένυς, (*scilicet in Aldina*; reliquae enim editt. conveniunt cum Stephaniana, etiam Eusebius,) vel pro ἐπικοινωνυμένυς, (quod affertur ex quodam vetere,) (*an ex Basileensi?*) vel pro ἐπικονυμένυς. Verba autem περί τε γάμυς ἀλλήλοις ἐπικοινωνυμένυς, vertit Ficinus: „*curet praeterea oportet nuptias inter cives,*" ita ut ἐπιμελεῖσθαι δεῖ, e sequenti periodo, ut est in Stephaniana, (post ἐπικοιν. enim reperitur interpunctio maxima,) his verbis, quorum interpretationem quaerimus, iunxerit. Serranus vero locum sic reddidit: *describendae sunt etiam ab illis leges de nuptiis.* Sed quomodo hac interpunctione, quae est in Stephaniana, verba sic transferri possint, sane non video. Ita incuriosus est Serranus saepe verborum. Locum autem hunc non recte constitutum esse in editionibus, iam vidit Vigerus, ad Eusebii locum laudatum, (in notis, p. 56.) qui verba traiecta esse suspicatur, et ea sic collocat: Μετὰ δὲ ταῦτα περὶ τ. γ. ἀλλ. ἐπικοινωνυμένυς, ἐν ταῖς &c. hoc sensu: *deinde mutuis inter sese nuptiis contractis, procreationem educationemque liberorum studiose curabit, et, seu mares illi fuerint, seu foeminae, quicquid ab iis vel adolescentibus, vel iam aetate maturioribus ad ipsam usque senectutem, in mutua consuetudine recte secusve fiat, alterum honore afficiet, alterum ignominia.*" Sed hac verborum traiectione non opus videtur, si τὸ δὲ pro τὲ post περὶ ponatur, hac interpunctione: βλέπειν. Περὶ δὲ γάμυς α. ε. μετὰ ταῦτα ε. τ. &c. De nuptiis autem mutuis inter sese contractis, h. e. quod attinet ad nuptias — oportet (legislatorem) curare, quaenam leges sint observandae, circa generationem et procreationem liberorum, &c. Inveniuntur hae leges L. VI. Legg. p. 773. sq. et L. VII. 791.

Τιμῶν-

Digitized by Google

Τιμῶντα ὀρθῶς.] Conferendus cum his verbis eſt locus in VI. Legg. pag. 775. „Qui legi paruerit, ab omnibus laudetur, qui non paruerit, legum cuſtodes in eum animadvertunto, eumque veluti diſciplinae expertem, importunum hominem, connubialiumque legum, auſpicibus Muſis ſacrarum, imperitum denuncianto &c. Egregia reperiuntur de inſtitutione liberorum L. VII.

Τάς τε λύπας αὐτῶν.] Ficinus h. l. ita convertit: „Contra vero dolores, voluptates et cupiditates, in omni converſatione vituperet." Sed primum male iunxit verba ſuperiora, ἐν πάσαις ὁμιλίαις, his, quae poſuimus, quae divellenda ſunt; ita ut poſt ὁμιλίαις ſcribatur punctum: deinde ſenſum loci non aſſecutus eſt, ut iam monuit Vigerus,* ad Euſebium (in not. pag. 56.) Non reprehendit Plato ſimpliciter dolorem, et omnino omnem affectionem animi, ſed praecipit laudanda, quae ab animo moderato proficiſcantur, et vituperanda, quae nimis cupide fiant. Verboſa verſio Serrani inepta eſt, nec digna quae diſcutiatur. Delenda autem interpunctio maxima in Stephaniana, poſt ἐπιθυμίας, et inciſum ponendum.

NOVA LITTERARIA HISPANICA.

Ex litteris *Hiſpanicis* Dom. *Antonii Capdevilae*, Prof. regii Agriculturae et Botanices in Univerſitate Studiorum *Valentina* ad Dom. *C. T. de Murr*, Noribergam datis.

Chinchillae prope Cartaginem novam.

Herbaria mea, poſt mortem, Regiae Societati Scient. Goettingenſi tradentur; ita teſtamento conſtitui. Optima Collectio rerum naturalium *Barcinone* eſt, quam poſſidet *Ioſephus Salvador* Dom. *Franc. Perez Bayer*, Canonicus et Theſaurarius Toletanus, et Praeceptor Infantum ab a. 1767. edidit haec ſcripta:

Reges Tharsis et insulae, pro explanatione Davidici Psalmi: Deus, Judicium tuum Regi da &c. Barcinone, 1754. 4. Iussu et munificientia Regis b. m. Italiam peragravit, Romaeque edidit huncce librum: *Damasus et Laurentius Hispanis adserti et vindicati*, Romae, 1756. 4. Propter doctissimum isthoc scriptam Benedictus XIV. P. M Canonicatum et munus Thesaurarii Toletanae Crthedralis illi impertiit.

Opus *Bern. Aldrete*, φαινόμενα, seu corruscantia lumina triumphalis crucis scena Sanctorum Martyrum Albensium Urgavonensium *) Bonosi, et Maximiliani, et aliorum sanguine purpurata, Cordubae 1630. fol. Celebirus est quam eiusdem Origen de la lengua Castellana en Roma, 1606. 4 *) Stilus elegans: Liber Pontifici Urbano VIII. dicatus fuit ab auctore. Sed Inscriptiones, quas ex *Grutero* adfert, non adcurate descriptae sunt, uti mihi d. 26. Junii, a. 1760. easdem in oppido *Augusto - Albensi* s. *Arjonensi* describenti compertum. *Coloniae Patriciae* vidi Opera celeberrimi *Ambrosii de Morales*, cum adnotationibus *Aldretii*.

Infelix Marchio, *Ludovicus Josephus Velazquez*, anno proxime praet. mortuus, edidit conspectum novi operis a. 1766. curante amanuense typis mandatum, cuius hic est titulus: *Noticia del Viage de Espanna hecho de Orden del Rey, i de una nueva historia general de la Nacion Sacada de los escritos i monumentos originales i contemporaneos, con la collection general de los mismos Escritores*, en Madrid, in 4to.

Nulla diaria, ephemerides, &c. in Hispania nunc eduntur. En epitaphium *P. Sarmienti: Hic iacet P. Magister Martinus Garcia Sarmientus, origine Callaicus, natus Villae-Francae Vierzentium V. Idus Mart. MDCXCV. Obiit Madriti, VII Idus Decembres, MDCCLXXII. Indiarum, et suae Congregationis Benedictinae Historiographus, Theologus non opinator, Mathematicus non superciliosus, Philosophus sine fastu, Criticus*

*) *Urgao Municip. Albensr.* Nunc est urbs *Arjona* in Regno *Jaën*.

*) Vid. Origenes de la Lengua Espannola, compuestos por varios Autores, Madrid, 1737. 8. 2 Vol.

Digitized by Google

Criticus, Philologus, Naturae investigator, et ut paucis absolvam, innocentissimis moribus, animi candores linguarum peritia, singularique plurimarum disciplinarum cognitione et recto usu, verus Sapiens; libris editis clarus, clarior tamen scriptis ob modestiam ineditis, insigne demum suae Congregationis, gentis, et aetatis denique ornamentum. Auctor huius inscriptionis sepulcralis est D. *Casimirus Gomezius Ortega*, Reg. Prof. Botanices Madriti.

Die 5. Maii, 1773. septuagenarios obiit P. *Henricus Flores i Setien*, Monachius Augustinus, natus d. 21. Ian. 1702. Compluti a. 1750. Theologiam publice docuit, maximo applausu, accepto stipendio 600 aureorum a Rege Ferdinando sexto. Opera eius sunt:

Curso de Theologia, en Madrid, 1732 – 1738. V. tomis.

La Espagna sagrada, 1746 – 1772. tomis XXVII. in 4.

Dissertacion del dia que murio el Rey San Fernando, con la lapida sepulcral deste Santo, escrita en Hebreo, Latino, Arabe i Castellano, 1754 4.

Colleccion de las Medallas de los Municipios, Colonias, i otros Pueblos de Espanna, en Madrid, 1757. 4. 2 Vol.

Supplemento a las Medallas i Colleccion de los Reyes Godos, ibid. 1772 4.

Clave historial; septima impression, 1772.

Memorias de las Reynas Catholicas de Historia genealogica de la Casa Real de Castilla i Leon, en Madrid, 1762. 4. 2 Vol.

Viage santo del Maestro Ambrosio de Morales, i su Vida, en Madrid, fol.

La Obra de San Beato con notas.

Dissertacion della Cantabria, en Madrid, 1768. 4.

Dominus *Joh. Antonius Mayans i Siscar*, Presbyter, et Frater Dom. *Georgii Mayansii*, tomos 27. *Hispaniae sacrae* ita correctos possidet, ut plus quam 800 errores Auctoris emendaverit.

Concinnavit P. *Flores* las Memorias de las Reynas Catholicas, ex Opere Mspto Dom. *Iosephi Macedo*, Ulyssiponensis, Locumtenentis Hisp. copiarum: *Las Vidas de todas las Reynas de Espanna.* Iste Dom. *Macedo*, amicus meus aestimatissimus, vix annum quadragesimum septimum ingressus, sequentia

tia opera prelo parata, ſed non niſi mortuo auctore edenda, perfecit et elaboravit, quae omnia vidi:

Las Vidas de todas las Reynas de Eſpanna, fol.

Hiſtoria critica, i Reſumen (epitome) *de mas de 350 Eſcritores Eſpannoles, que han eſcrito del arte de la guerra, con la hiſtoria de los celebres Generales Eſpannoles, con la critica de las Batalhas, que ganaron, i perdieron*, 16 Vol. in 4.

Hiſtoria de la Marina eſpannola, Generales de mar con la critica de los batalas, que ganaron, i perdieron, i de las conquiſtas que hicieron Eſpannoles i Portugueſes, 8 Vol. in 4.

Diccionario de la Milicia eſpannola, 3 Vol. 4.

Omnia iſthaec ſcripta tactica ad finem perducta, multisque tabulis aeneis illuſtrata, Auctor poſteris relinquet edenda.

Die 21. Iun. 1773. diem ſuum obiit celeb. Don *Jorge Juan i Santacilia*, rei maritimae præfectus, regiique Seminarii, quod Madriti eſt, Director, et Reg. Scient. Soc. Par. Lond. et Berol. Socius; natus d. 5. Febr. 1713. Magnus iſta Geometra a. 1725. creatus Eques Ordinis Iohannitici, A. 1735. et ſq. cum Dom. *Antonio de Ulloa, de Condamine*, et *Godino*, Americae meridionalis regiones peragravit. Iſti duo Galli multa accepta referre debent Dom. Equiti *Georgio Joan* ſ. *Juan*; uti Caſtellani pronuntiant.

Dom. *Ulloa* nuperrime edidit *Noticias Americanas, entretenimientos phyſicos i hiſtoricos ſobre la America meridional, i la ſeptentrional - oriental, compoſicion genrral de los territorios, climas, i Producciones en los tres eſpecies, Vegetables, Animales, i Minerales, con relacion particular de las petrificaciones de cuerpos marinos, de los Indios naturales de aquellos paiſes, ſus coſtumbres i uſos de las Antiguedades: Diſcurſo ſobre la lengua, i modo, con que poſaron los primeros pobladores*, en Madrid, 1773. in 8.

Defunctus Amicus meus, Dom. *Ioh. Iriarte*, Bibliothecarius Regius, ad finem perduxit Catalogum Codicum manuſcriptorum *graecorum* in Bibliotheca *Scorialenſi*. — A. 1771. Madriti, in forma octava, edita eſt: *Grammatica Caſtellana para aprender la lengua latina. Obra poſthuma del Sr. Iriarte, con ſu Vida i retrato.*



NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Julii Anno MDCCLXXII.

Johann Lorenz von Mosheim, Sittenlehre der heiligen Schrift:

i. e.

IO. LAUR. MOSHEMII THEOLOGIA Moralis, VOLL. X. *quaternis.*

Sumtu Weygandi.

Prodiit igitur tandem perfectum et omnibus numeris absolutum Opus Moshemio-Millerianum, quod de Christianorum moribus praecipit. Distinctum IX. Voll. forma media, quorum novissimum editum fuit anno cIↃIↃCCLXX. Accessit, ut nihil ei deesset, quod illud aut ornare, aut amplificare eius utilitatem posset, D. *Johannis Petri Milleri* Introductio generalis in theologiam moralem, in specie Moshemianam, Anno cIↃIↃCCLXXII. eiusdem et formae et magnitudinis volumen, totius operis quasi decimum, nisi pro singulari libro Introductionem istam habere malis. Adeo fere utrique huius operis Autori solemne est laudibus ornari amplissimis et aequissimis, ut in praedicandis iis ingenium denuo experiri vix opus sit, dicere

sine fuco, quae tantae molis libro contineantur, et quo ordine, certe utilius putemus. In universum negari non potest, opus, ut nunc est, fines praeceptorum de officiis Christianis ita excedere, ut timor sit, ne multa pars hominum, qui institutiones morum circumspiciant, ab eius et emtione, et usu absterreantur. Sed primum nec videtur liber scriptus iis, qui institutionis quasi prima fundamenta iacere, et memoriae mandare doctrinae initia velint; cum praeceptorum series, insertis disputationibus longioribus adeo saepe distet, ut mente discentium contineri posse vix ulla spes sit. At qui de uno vel altero disciplinae capite accuratius cognoscere, singulorum officiorum caussas, rationem, modum, argumenta ambitum perspicue, aut etiam super iis disserendi copiam sibi comparare cupiat, cur non libenter pendeat ab ore *Moshemii?* Secundo, ipsius operis ratio externa seu oeconomia sic comparata est, ut quae de molesta rerum abundantia peti solent obtrectationes, facile a se amoveat. Sunt enim praecepta proprie sic dicta, quae dicas basin seu textum libri, §§. brevioribus, iisdemque non adeo multis, et egregie cohaerentibus exposita, quas si §§phos legendo combinaveris, levissima opera conficies tibi de maximae molis libro compendium et summam doctrinae, quam facile mente comprehendas memoriaque teneas. Subiunctas §§phis singulis commentationes et expositiones uberiores, typorum diversitate satis notatas, si vel nauseam tibi gignant ut doctiori, vel seriem et ordinem turbent ut tyroni, transilire quid vetat? Sed quorsum adsunt? Non sane ut continua lectione memoriae tradas, misere frangendo caput, sed ut habeas, si quando libuerit, aut necesse fuerit de singulis doctrinae capitibus accuratius cognoscere, quasi aciem subsidiariam in castris quam educas, vel ad occupandam, defendendam, et commendandam virtutem, vel ad frangendum profligandumque vitium Sed satis de his. Ponamus iam lectoribus ob oculos quae toto opere et quo ordine contineantur, et primum quidem dicemus de Introductione *Milleriana*, cuius inscriptionem supra dedimus. Est

Est vero illa duobus Cap. distincta: in quorum priore agitur de doctrina morum, sive potius de principiis doctrinae in universum posteriori separatim traduntur quae ad studium morum Christianorum accedentibus utilia sint. Iam quidem Introductionibus, Prolegomenis Praeparationibus, et si qua alia sunt nomina, ad cognoscenda praecepta morum non plane caremus; verum, qui ex instituto tali principiorum caussarum argumentorum, exemplorum apparatu, ad regulas dialecticas reducto et disposito, viam ad istam cognitionem muniat, librum huius *Millertoni* similem frustra quaesieris; quanquam res ipsae, praesertim Cap. I. maximam partem apud Philosophos veteres et recentiores passim occurrant. Quod ut eo magis appareat, age proponamus quasi in tabula et compendio, quae ibi fusius disputantur. Comprehenditur omnis ea Capitis I. disputatio IV. Sectionibus. In prima quidem agitur de prosperitate humana, eiusque summa haec est: Quicquid vivit, voluptatem appetit, aspernatur et fugit dolorem, homo tamen egregie prae reliquis animalibus bene sibi esse cupit, et ad vitae prosperitatem nititur. Prosperum autem iudicat non quidquid in se perfectum, sed quod sibi vel suis bonum et conveniens intelligit. Quo plura res aliqua momenta ad obtinendum propositum quendam finem habet, quoque plures ea animi facultates afficit, exercet, et demulcet, eo perfectior et ipsa iudicatur. — Prosperitatis itaque sedes propria est in mente humana; qui in rebus externis, velut in divitiis, genere, corporis pulchritudine, eam reperiri putant, insigniter hallucinantur, cum via ad prosperitatem externa confundentes prosperitatem ipsam. — Voluptas nascitur primum ex obiectis, quae vel sensum externum, vel animum, vel utrumque simul afficiunt; deinde ex hominum de iis opinionibus, quae prout verae falsaeve sint, veram falsamve voluptatem efficiunt. Igitur ne frustra gaudeas, aut etiam alicuius gaudii postmodum te poeniteat, diligenter instituenda est aestimatio bonorum, quanta et qualia sint, inprimisque caven-

Oo 2 dum,

Digitized by Google

dum, ne minus aliquod, dispendio maioris, comparetur. Quam totam de felicitate disputationem postquam Autor via inversionis ad infelicitatem accommodavit, tandem addit haec duo: in praesentem hominis statum constantem perfectamque voluptatem non cadere; futuri vero conditionem, sive prosperam, sive asperam pendere ab usu libertatis in hac vita.

His ita expositis, atque bono exemplorum delectu, ubi res postulabat, illustratis, progreditur Auctor in *Sect. II.* ad notiones et perceptiones primas, quibus omnis morum doctrina nititur. Hic primum demonstratur, non nisi Deum posse optimas universaeque saluti convenientissimas actiones, praecipere hominibus, quippe qui solus earum cum Universo connexionem satis perspiciat. Sequitur hinc definitio doctrinae morum, eiusque in philosophicam et theologicam, h. e. naturalem et revelatam, divisio. Quibus constitutis, disseritur de eo quod morale dicitur in genere, quod in actionibus nostris, in iisdemque quod naturale seu physicum. Porro, doctrinam moralem ignorare actiones medias, quas indifferentes vulgo dicunt; Deum regere homines moraliter, h. e. per caussas moventes, sive suggerenda verae utilitatis notitia. Denique quid sit officium, quid moraliter necessarium, ostenditur adiectis quae vi consecutiones inde derivantur, nonnullis propositionibus. Ita via quasi praemunita, in sequentibus Auctor exponit de imputatione, de recte et prave factis, de bonitate et vitiositate factorum partiali, de virtute et vitio, nec non de utriusque habitu, probitate et improbitate. Quibus omnibus postremo loci quidam communes, seu praecepta generalia de virtute et vitio adiunguntur. Lubet hoc loco annotare, Auctorem non solum in ista disputatione, de iusta recte vel prave factorum aestimatione, sed per totum fere opus, multum docere per exempla ex historicis tum profanis, tum sacris petita. Quod quidem in se ad rerum difficiliorum illustrationem utilissimum esse, nemo ibit inficias; nobis tamen multis locis visus est in adferendis eiusmodi exemplis nimis

copio-

copiosus: v. c. pag. 101. seq. ubi ad illustrandam propositionem, bonae alicuius actionis humanae non omnia esse bona, nec pravae omnia prava, quadraginta amplius exempla ex omni genere historiae adducta reperies, quae sane copia non magis librum ornat, quam onerat.

Redeamus iam unde divertimus. *Sect. III.* continetur mentis humanae quasi anatomia, et quo, tum in institutione, tum in usu scientiae moralis, ea proficiat, ostenditur. Sunt vero istius disputationis duae partes, quarum priore disseritur de facultatibus animi quibus cognoscimus et intelligimus, posteriori quibus volumus et appetimus. Utrarumque duplex est classis vel ordo, inferiorum scilicet, et eminentiorum. Ad inferiores intellectus facultates refert Auctor sensum externum, imaginationem, ingenium, acumen, memoriam, et praesensionem aliquam futurorum; quam, ut singulari providentiae divinae beneficio, angeli fortasse ministerio, in mente humana effectam, primum distinguit a praescientia, quae semper ab antegresso aliquo ratiocinio proficiscatur; deinde ita eam suis circumscribit finibus, ut stolidis et ineptis divinationis generibus, velut cum ex astris, insomniis, palmarum inspectione, futura disci quis arbitratur, inde nihil sit praesidii. — Eminentiores mentis facultates numerantur quinque: 1) Ratio et intelligentia; 2) in ratiocinando subtilitas, quae cum argutiarum lusibus non confundenda; 3) meditatio; 4) cogitatio in mente, quam abstractionem vulgo dicunt; 5) Sensus internus boni et mali, seu vis naturae ea, qua sentimus adspectu quid deceat in dictis factisque, sensum moralem dicunt recentiores. Nec eius mentionem Auctor facere noluit, ne omisisse videretur rem, in qua explicanda et ornanda Philosophi, inprimis Angli, tantopere sibi placent et indulgent; quamvis, si verum fatendum est, a ratione ipsa, praesertim si cultior ea sit, non ita diversus est sensus iste, ut putari nova et propria vis animi debeat. Posteriori Sectionis parte exponitur, ut paulo ante diximus, de facultatibus animi,

 quibus

quibus volumus et appetimus, quarum inferiores sunt: 1) Instinctus naturae, qui sunt in homine vel animales, vel humani, vel mixti. 2) Motus animi et affectus, de quorum origine, diversitate, effectis, remediis, diligenter et copiose, ut solet, Auctor disputat. Nobiliores vero et eminentiores: 1) Voluntas; 2) Spontaneitas, et 3) Libertas. Libertas homini primum quoad potentiam vindicatur, deinde, qualis ea sit in subiectis quoad usum, actum, et habitum, demonstratur, praecepta quae inde fluunt, enarrantur, et denique, quid sit, quod necessarium dicimus, docetur.

Sequitur *Sect. IV.* ubi primum in universum de hominis natura, deque huius et gratiae discrimine, agitur; deinde de propria cuivis hominum natura, seu indole morali, (characterem moralem appellitant nostri,) quae partim nobiscum nascitur, partim assuetudine tenetur. Nemo non habet, quod prae reliquis sectetur, voluptatis genus; hinc et varia animorum genera, voluptuosum, ambitiosum, habendi cupidum, et ex his alia multifariam mixta et composita. His, quantum satis est, illustratis, proponuntur haec quatuor: 1) Magnam habere cupiditates naturales vim ad flectendam immo ad destruendam libertatem. 2) Neminem, quoad iis pareat et indulgeat, neque in praesenti, neque in futura vita, ad veram felicitatem perventurum. 3) Hinc necesse esse, accurratius cognoscere de intellectus voluntatisque vitiositate. 4) Existere ex varia hominum ad conscientiam ratione varios eorum status habitusque morales, velut rudem, naturaliter seu philosophice probum, ambiguum etc.

Auctor, postquam proponendis eo, quo indicavimus, ordine, praeceptis generalibus viam sibi stravit, pergit iam ad Cap. II. ubi separatim de doctrina morum Christiana agitur, et in *prima* quidem *Sectione* de Lege divina. Istius disputationis summa haec est; Posse vi redemtionis Jesu Christi

Chriſti, omnes homines ad veram aeterneque duraturam, felicitatem reverti, non tamen opera et viribus ſuis, ſed Jeſum, eorum caput et principem, viam monſtrare, in ea incedendi poteſtatem tribuere, greſſum dirigere neceſſe eſſe. Omnium primum, quod ut novum vitae piae et divinae principium in hominis animo debeat effici, eſſe fidem; quare eam per Servatorem Chriſtum in genere humano, quod totum ſalvum cupiat, divulgandam; deinde vero etiam praeſcribendas leges, quod factum eſſe duplici modo Auctor docet in ſequ. Primum quidem repetendis in Scriptura S. novoque argumentorum delectu confirmandis legibus naturalibus; deinde addendis etiam aliis, quas poſitivas vulgo vocant. Quae poſteriores pertinent partim ad omnes omnino homines in republica Chriſti viventes, partim ad ſingulos ordines, velut eorum qui in matrimonio vivunt, qui in civitate magiſtratum gerunt, quive parent, qui eccleſiam docendo regunt. Porro agitur de modo, quo leges iſtas et conſtitutiones Chriſtus ſuis patefecit, et de varia praeceptorum forma, diverſoque orationis genere. Enimvero non praecipiendo, admonendo, hortando ſolum, ſed et per preces et exempla docet. (Poterat h. l. mentio quoque fieri frequentis uſus parabolarum; quae docendi ratio Chriſto maxime ſolemnis fuit.) In ſequentibus enarrantur cauſſae, quibus omnes Chriſti aſſeclae obligantur et moventur ad ſervanda eius praecepta, quae quomodo ſervari debeant, Chriſtus ipſe ſatis definivit. Hinc diſquiſitio inſtituitur de iis quae requiruntur et neceſſaria ſunt, ut recte facias ex legibus Chriſtianis, ſive, ut cum Theologis loquamur, quae ſint vere bona opera, quae pietas Chriſtiana et Sanctitas; deinde quid ſit peccatum et improbitas, ex Chriſtianae religionis principiis, demonſtratur.

Sectio altera, in qua delineanda erimus breviores, eſt fere omnis hiſtorica et litteraria. Auctor, poſtquam declaravit

ravit quid ſit, et quibus finibus concludatur doctrina morum Chriſtianorum, quae requirantur in eorum praeceptore, quibus ſubſidiis utendum: exponit de fatis, quibus ea doctrina ab antiquiſſimis temporibus ad noſtram uſque aetatem uſa fuit; quae ratio docendi quoque aevo obtinuerit, qui ſint in quovis Chriſtianorum coetu, poſt reſtaurata per Lutherum ſacra, doctores et ſcriptores principes. Bene longus eſt Auctor in deſcribendis b. Lutheri meritis circa religionis partem eam, quae ad mores pertinet. Sunt in his, quae eo loco recte abeſſe poſſint, velut inſerta particula notiſſimae Odae *Cramerianae* in Lutherum, quam vix quisquam hic quaeſierit.

Tertia denique Sect. exponitur de interna faciendorum regula, h. e. Conſcientia. De qua ubi in univerſum, quantum opus erat praeceptum eſt, ſeparatim agitur: 1) De conſcientia antecedente, quae eſt vel recta atque certa, quam, ut ſolam obligandi vim habentem, *ſectari* debemus, vel anceps et dubia, ubi leges legibus, officia officiis repugnare videntur. Quibus dubitationibus quomodo et in genere, et in cauſſis ſingulis, obviam ire, qua ratione, ſi adſint, iis mederi queas, Auctor multis oſtendit. 2) De Conſcientia conſequente, quae ſicut eſt vel bona vel mala, ita eam quoque vel incuſatio et conturbatio, vel excuſatio et tranquillitas animi, comitantur. 3) De diverſa hominum ratione, qua erga conſcientiam ſuam ſe habent; unde diverſae eius denominationes: 1) conſopitae ſeu dormientis; 2) excitatae; 3) vigilantis. Haec poſterior denuo diſtinguitur variis gradibus ſenſus, finibus quibus coërcetur, vel amplioribus, vel arctioribus &c. Ultimo loco ſunt inſtitutiones, qua via ad rectam, certam, bonamque conſcientiam perveniatur.

Haec iam ſatis dicta ſunto de Introductione S. V. *Milleri* in doctrinam morum Moshemianam. Veniemus

niemus nunc ad Institutiones ipsas, quarum Summam et ordinem pari modo cum lectoribus communicabimus, atque, ubi visum fuerit, breviores animadversiones adspergemus.

PHILOLOGIA THUCYDIDEO-PAULIna, vel Notatio figurarum dictionis Paulinae, cum Thucydidea comparatae, in usum exegeseos sacrae vulgata a CAROLO LUDOVICO BAUERO, Lips. AA. M. Scholae evangelicae ad Hirschbergam Rectore.

Halae Magdeburgicae, impensis orphanotrophei, pl. 20. octonis.

Viginti abhinc annis V. Cl. in hac urbe nostra disputationem edidit *de lectione Thucydidis, interpretandi disciplina*, in qua singularia Thucydidis, in classes digesta, omninoque omnem eius duritiem et obscuritatem illustravit atque diiudicavit, ut, si quis animum huc attenderit, non modo Thucydidis legendi adiumentum, sed omnis interpretandi normam haberet, in locis praesertim obscuris, et ab raritate formarum loquendi duris atque difficilibus. Profecto enim, qui Thucydidis sensum adsequi didicit, non videtur frustra ad alios Scriptores accessurus. Non ita multo post V. Cl. per varias scribendi occasiones, quas ei munus Rectoris Hirschbergensis obtulit, eumdem hunc locum attigit, accommodate ad libros N. T. In animadversionibus denique ad conciones Thucydideas, quas seorsim edidit, saepe cum profanis sacra comparavit. Iam hoc libro Paulum et Thucydidem ita contulit, ut quidquid fere in altero durum, rarum, difficile esset, idem ab altero usurpatum demonstraret, faceretque demuo lectionem Thucydidis optimam interpretandi disciplinam; sed habita potissimum ratione con-

cionum Thucydidearum, quas narratione ipsa multo difficiliores esse constat. Notarat quidem Glassius multa ex hoc genere, genitivorum usum duriorem, syneses, enallagas, alia; sed praeterquam quod spicilegium satis magnum aliis reliquerat, ea, quae e profanis scriptoribus adsperserat, et pauca erant, et saepe aliena. Cl Bauerus omnia haec non solum rectius digessit, sed iis quoque exemplis Thucydideis usus est, quae Paulinis locis similia essent.

Descripsit ergo has omnes observationes, aut hanc figurarum notationem, in tredecim classes, quas hic recensuimus. 1) Numeri permutati. 2) Nominum subst. et adi. permutatio, et de adiectivis aliae quaedam observationes. 3) De pronominibus. 4) Casus varie adhibiti et permutati. 5) Genera permutata. 6) Gradus permutati. 7) De verbis. 8) Particulae permutatae. 9) Ellipsis. 10) Pleonasmus. 11) Metonymia. 12) Hypallage. 13) Structura orationis. His omnibus adpendicem adiecit, de qua infra monebimus.

Iam unum hoc nobis restat, ut variis exemplis demonstremus, quid V. Cl. praestiterit, in quorum delectu non morosi fuimus. Pag. 113. haec scripsit: *Futurum indicativi pro praesente coniunctivi:* 1 Cor. 6, 5 οὐκ ἔστιν, ὃς δυνήσεται, *pro* δύνηται, *qui possit*. Phil. 2, 20. οὐδένα ἔχω, ὅστις μεριμνήσει, *qui curet*. His e Thucydide addidit, οὐκ ἔστιν, ὅστις κωλύσει, 2, 62. et οὐκ ἔστιν, ὅστις ἀπείρξει, 3, 45. Bene tamen monet, haec non infrequentia graecis esse. Itaque, ut nobis videtur, hoc nec rarioribus loquendi modis adnumerandum nec omnino ad philologiam Paulino Thucydideam referendum fuit. Pag. 104. tractat genus aliquod hypallages, ut cum Ebr. 13, 13. ἐξερχώμεθα φέροντες, pro ἐξελθόντες φέρωμεν, ponitur: quamquam hoc sic quoque verti posse concedit, *exeamus, ut feramus*. In eadem epistola 9, 12. εἰσῆλθεν εὑράμενος scriptum putat pro εἰσελθὼν εὕρηκε. Item 1 Tim. 1, 12. πιστόν με ἡγήσατο, θέμενος, pro ἡγησάμενος πιστὸν, ἔθετο.

Nobis

Nobis quidem fic videtur, Scriptores N. T. aliosque graecos, verbis finitis addere participia, cum illud volunt, *ita ut*, notantes confilium, modum, fructum, eventum alia: quale nobis iam in manus venit e Thucyd. 6, 34. πέμπωμεν πρέσβεις, δηλοῦντες, quamquam nolim dicere, hoc pro πέμψαντες δηλώσωμεν pofitum effe. Sed V. Cl. ex hoc ipfo loco Thucydidis πείθεσθε τολμήσαντες indicat, fibique pro πειθόμενοι τολμήσατε dictum videri confirmat. Iis locis, in quibus pofitivus cum comparativo permutari folet, etiam hoc adnumerat p. 63. πρωτότοκον πάσης κτίσεως Coloff. 1, 15. effe *priorem omnibus*, πρὸ πάντων, e v. 17. E Thucydide confert 1, 69. ἰσχυρῶς ἐγκείσονται, pro ἰσχυροτέρως. Subftantiva pro verbis pofita effe vult p. 5. vt εἰς οἰκοδομήν, pro εἰς τὸ οἰκοδομεῖν, Eph. 4, 16. διὰ τῆς ἐμῆς παρουσίας, pro ἐν τῷ παρεῖναι με, Phil. 1, 16: ἐν τῇ ἀποκαλύψει, pro ὅταν ἀποκαλυφθῇ, 2 Theff. 1, 7. et alia: quibus fimilia cenfet Thucydidea plura loca. P. 23. ξένον τῶν διαθηκῶν Eph. 2, 12. *peregrinum qua foedus* interpretatur, et ἐλεύθερον Κυρίου 1 Cor. 7, 22. *libertum qua dominum, in facris, in doctrina.* Omnino locus de genitivorum ufu latiffime pertractatus eft: nec fruftra, cum non folum late pateat, fed profecto etiam ea habeat exempla, quae, nifi quis bene fit exercitatus, vix intelligat; adeo dura funt ex hoc genere multa. Cum illis adiectivorum periphrafibus, quae funt in N. T. crebriores, κρίμα κατ' ἀλήθειαν, *iuftum iudicium*, ζῆλος οὐ κατ' ἐπίγνωσιν, *ftudium imprudens*, ἡ καθ' ὑμᾶς πίστις, *veftra fides*, comparat p. 151. Thucydideum locum 1, 37. ἡ πόλεις παρέχει αὐτοὺς κριτὰς μᾶλλον, ἢ κατὰ ξυνθήκας γίγνεσθαι, h. e. ἢ ξυνθήμονας, *focios, pares.* Eae vero coniunctiones, quae aliis locis aliter vertendae funt, ut ἀλλά, δὲ, γάρ, τὲ, οὖν. funt diligenter notatae, pag. 153 — 162. In loco de ellipfi, quem accurate in claffes defcripfit, inter alia p 163. occurrit Rom 4, 17. ἐπίστευσε Θεοῦ fcil. τῇ ἐπαγγελίᾳ, qua quidem ratione locus hic, in fuo genere fingularis, de quo Chryfoftomus et Theodoretus mira narrarunt, multo expeditior redditur. Confert V. Cl.

 fimiles

ſimiles ellipſes, e verborum contextu explendas, ut κατὰ κεφαλῆς ἔχων ἐξουσίαν, 1 Cor. 11, 4. χάριτι μετέχω ſcil. τροφῆς, 1 Cor. 10, 31. Certe hoc multo facilius eſt et veriſimilius, quam quod V. Cl. de eodem illo Paulino loco p. 25. ſcripſit, genitivum Θεοῦ pro dativo poſitum eſſe, et alia quaedam, quae omnia praeter modum dura ſunt. Rurſus p. 138. ſic explicat, ἐπίστευσε (πίστιν) Θεοῦ. — Horum ergo quid verum eſt, et quid tandem de hoc loco ſtatuendum videtur? Simul agitur hoc loco p. 192. de enunciationibus omiſſis, ut Rom. 9, 7. ἀλλ' ἐν Ἰσαὰκ — h. e. ἀλλ' ἔσται, καθὼς γέγραπται, ἐν Ἰσαάκ. Aut Rom. 10, 15. poſt verba, πῶς κηρύξουσιν, ἐὰν μὴ ἀποσταλῶσι, intelligendum eſt, ἀλλ' ἀπεστάλησαν καὶ ἐκήρυξαν; *atqui miſſi ſunt, qui docerent*: ita cohaerebit, quod ſequitur, καθὼς γέγραπται. Sic ſuccurrit Thucydidi 2, 40. ὃ (παρὰ) τοῖς ἄλλοις (οὐκ ἐστιν οὕτω, οἷς) ἀμαθία μὲν θράσος. — Sed alibi V. Cl. monuerat, ὃ ab initio eſſe pro ὅπου. Utrum ergo verum eſt? Satisne illuſtrat tam obſcurus locus obſcuritatem Paulinam?

Jam quaedam ex eo corollario repetemus, quo ſingulorum verborum ſignificationes tractatae ſunt, p. 298. de quibus nullo alio libri huius loco moneri potuerat. Ex hoc genere ſunt ſynonyma diſtincta, ut καταφρόνησις et ἀμέλεια, Thuc. 1, 122. αἰτία et κατηγορία, 1, 69. ἀδικεῖσθαι et βιάζεσθαι, 1, 71. ξυμφοραὶ et κακοπάθειαι, 7, 77. in quibus cum nemo argutari ſoleat, nec haerendum eſt in δοῦλος et ἀπόστολος, Tit. 1, 1. aut in προσκόπτειν et σκανδαλίζεσθαι, Rom. 14, 21. Comparantur ἑορτάζειν, 1 Cor. 5, 8. cum Thucydideo, μὴ ἑορτὴν ἄλλο τι ἡγεῖσθαι, ἢ τὰ δέοντα πράττειν.

Cum vero per hanc occaſionem multa Thucydidis difficiliora loca explicata ſint, et horum exempla quaedam proponemus. Non probanda videtur ſententia, 3, 63. τὰς χάριτας μὴ ἀντιδιδόναι αἰσχρὸν μᾶλλον, ἢ τὰς μετὰ δικαιοσύνης μὲν ὀφειληθείσας, εἰς ἀδικίαν δὲ ἀποδιδομένας. Poſt Cel. Abreſchium

ſchium Bauerus Cl. ſic medetur huic loco, p. 177. ut ante αἰσχρὸν μᾶλλον excidiſſe aut intelligendum eſſe ſtatuat μὴ: *non magis turpe eſt, plane non referre gratias, quam ad iniuriam faciendam eas accommodare.* Rurſus, οἳ δ' ἂν εἴξωσιν αὐτοῖς κατὰ πόδας, τὸ εὔψυχον ἐν τῷ ἀσφαλεῖ ὀξεῖς ἐνδείκνυνται, c 4, 126, ſic interpretatur, p. 9. et 10: *ſi qui cominus ad eas acceſſerint, manumque conſeruerint*, (nam εἴκειν eſſe pro χωρεῖν poſitum, et utrumque de conflictu dici; κατὰ πόδας autem ſignificare *cominus pede collato,*) *tunc acute celeriterque oſtendunt, omnem ſuam fortitudinem in ſecuritate poſitam, nec fortes eſſe ſe niſi ubi ſint tuti.*

Magno labore perfunctus eſt V. Cl. quod ii demum concedent, qui in ſimili argumento aliquando verſati ſunt: nihil enim moleſtius eſt, quam diſperſa innumeris locis colligere, collecta diiudicare, diiudicata in claſſes deſcribere, diſſenſione interpretum huc illuc agitari, ac ſaepenumero minutiis diu inſudare. Sed tanto maior laboris fructus ad alios redundat, quo uno moleſtia omnis compenſatur, animusque ſcribentis ſuſtentatur. Si quis enim interpretes N. T. audierit, qui textus graeci pauca verba ſaepe pluribus latinis exprimenda eſſe dicant; qui ſaepius periphraſi, quam verſione, opus eſſe cenſeant; qui aliud cum alio permutatum, eamdemque ſyntaxin aliis locis aliter interpretandam eſſe moneant; qui non tam e lexicis petendas ſingulorum verborum ſignificationes, quam cogitanda re, ſcriptorisque profundo ſenſu ſcrutando, ſententiam et rem ipſam inveniendam eſſe moneant: is ergo interdum ſuſpicari incipit, haec tantum dici, ut aliquid dicatur, nec commendari facilitate, eſſe omnia rara, dura, ſingularia, detrahitque adeo fidei aut peritiae interpretis, ac tacitus ſecum de obſcuritate librorum divinorum conqueritur. Qui ſi intellexerit, alios ſcriptores eodem modo tractandos eſſe, non modo dubitationibus liberabitur, ſed in veram quoque interpre-

 tandi,

tandi viam deducetur, hoc eſt, adſueſiet ei legi, quae omnia vertendo, perſpicuere exprimenda et ad ſermonem conſuetum revocanda eſſe praecipit, ut ab omnibus, modo ne ſermonis communis ignari ſint, intelligi queant. Cuius quidem rationis exempla hic liber Cl. Baueri innumera exhibet.

EN DANSK LOV-HISTORIE FRA KONG Harald Blatands tit til Kong Chriſtian den Femtes, af PETER KOFOD ANCHER, Etatz-Rad og Profeſſor Juris ved Kiobenhavns Univerſitet. I. Deel.

Kiobenhavn, trykt hos A. H. Godiche, 1769. pagg. 621. quaternis.

Quum ab antiquis, *Saxone* quidem excepto, Daniae hiſtoricis, qui maxima parte clerici, nec legum curioſi erant, parum conſilii petendum, et inter recentiores ſcriptores, teſte auctore, *Chriſtiani Stubaei* quatuor diſſertationes tantum de lege et legiſlatoribus Danorum, Hafniae annis 1716. ad 19. editae, quae attendantur dignae ſint; propterea doctiſſimus *Antherus* ad leges ipſas, cum hanc legum Danorum vellet ſcribere hiſtoriam, confugit. Neque vero autographa, neque antiqua exemplaria certa reperiit, ex quibus cognoſci poſſet, quando, a quo, et qua nam occaſione leges latae ſint Circa Seculum XIII. demum legiſlatoris nomen, et poſtremo annum, adſcribere legibus coeperunt, in quibus tamen magna quoque eſt incertitudo. Nam reges, qui nominibus utebantur indiſcretis, ut, Waldemari, Erici etc. confunduntur, et diverſae leges in unam contractae, et prologus, epilogus, annus loco poſiti ſunt iniuſto. Diverſi

Digitized by Google

Diverſi fortaſſe modi numeros computandi et ſcribendi, occaſionem vitioſitati annorum dederunt. Ignorantia antiquae Danorum linguae, quae medio aevo reperitur, effecit, ut verſionibus contenti eſſent. Quibus rebus, et exemplaria multa deſcribendo, factum eſt, ut textus legum magis magisque corrumperetur. Quae igitur qualesque difficultatas ab auctore ſuperandae? an omnino ſatis feliciter? De his autem, ut nos quidem exiſtimamus, iudicium exteri nihil valere poteſt. Nos igitur convertimus ad auctoris conſilium, quod omni ex parte reſpondet fini ſibi propoſito. A rege inde Haraldo, cognomine Blauzahn, exorſus eſt; ne lectores ſuos fabulis antiquiorum temporum offenderet, cum hiſtoria inprimis traditione niteretur, et leges memoria tantum tenerentur. Auctor chronologica ſerie progreſſus eſt. — Prae ceteris in legibus proprie ſic dictis civilibus regni ſui occupatus eſt, ſed et partes eccleſiaſtici paſſim tetigit. — Quando? a quo? qua occaſione lex lata? quinam eius fontes? ubi manuſcripta reperiantur? (quae indicia praecipue magni ſunt aeſtimanda,) quae editiones et verſiones extent? qui ſint interpretes? hae res omnes in unaquaque lege pluribus ſunt examinatae. Saepiſſime quoque iudicium de argumento legis additum eſt ab auctore doctiſſ. Omnia, quae in hiſtoria iuris optari poſſint, praeſtitit.

Omne autem opus tribus partibus, totidemque Tomis conſtat. Iſtarum una eſt de rege Waldemaro II. altera ab Ericho IV. ad Oldenburgicum genus, tertia a rege Chriſtiano I. ad regem Chriſtianum V. pertinet. In capite I. Auctor egit de legibus regis Haraldi Blauzahn, et retulit, eum non ſolum Saxonibus, Bremenſibus, et Friſiis, ſed Danis etiam leges dediſſe. Miraculum Popponis, eo regnante patratum, introducendae nurnellae praebuiſſe cauſam ait, quanquam annus certo definiri non poteſt. Iomsborgum condidiſſe, et incolis leges dediſſe. Cap. II. de legibus regis Suenottonis, cognomine Tiugskiaeg. Mulieribus hereditarium ius iſte conceſſit. Id au-

tem

tem ab eo factum aiunt propterea, quod eum muliebri ornatu liberassent e vinculis: fabulam refellit auctor. — Sylvas et possessiones principis proprias vendidisse. — Alias ab eo leges esse latas, in incerto habetur. Cap. III. de legibus regis Canuti Magni. Sub eius imperio ius restitutionis in integrum in morem venit, et id postea a rege Knuto VI. renovatum et emendatum fuit; hic poenas constituit acerbissimas. Cap. IV. de legibus regis Haraldi Svendensons. Tres Canuti Magni successores Haarde Knudus, Magnus Olassen, et Svend Estridsen, ratione legislationis non sunt memoratu digni. — Verisimile est, ab Haraldo Svendensi plures leges factas esse, quam Saxo de eo commemoravit, inprimisque a Canuto Magno poenas graves institutas iste lenivit. Cap. V. de legibus Canuti Sancti, regumque sequentium usque ad Waldemarum I. Canutus Sanctus laudatur legislator bonus: unica vitio et culpae datur magna severitas, gratus erga clericos fuit. Tributum populo imposuit, eius lingua Nefvegield appellatum, et quidem, ut demonstravit auctor, propterea, quod eius dicto non audientes fuissent. — Regnante Nicolao rege ius restitutionis in integrum violatum fuit. — Prae ceteris Erichus Emundus exercuisse leges dicitur. Cap. VI. de lege civili Scandiana. Eam legem auctor non, ut nonnulli volunt, a tempore ethnicorum deduxit, quanquam concedit, in Scandia tunc temporis leges certas, tamen paucas et breves, extitisse. Maiori ratione regi Waldemaro I. tribuit, postea enim quaedam nova sunt addita. Divisae sunt est in libros et capita. Antiqua eius legis manuscripta, inprimisque in bibliotheca universitatis litterarum Hafniensis, supersunt, quae cum editionibus accuratissime hic collata sunt. Eadem lex quoque in Bornholmia valuit, quae insula quondam Scaniae iuris fuit. Cap. VII. de duobus additamentis legis Scandianae, nempe de hereditate, et Orbodemal. Liber de iure hereditario eiusdem argumenti esse ac lex antiqua Seelandiae videtur; tamen quaedam, quibus inter se omnino differunt, reperiun-

Digitized by Google

periuntur. Attamen vero, cum legi Scandianae semper, nunquam autem Seelandiae adscriptus sit, suspicandum est, eam in Scandia, deficientibus aliis iuribus, valuisse. Scriptores quidam laudarunt legem istam Scandianam, incertum autem est, quando, et quo modo eo pervenerit. Cap. VIII. de antiqua Seelandiae lege. Verosimiliter originem quoque a rege Waldemaro I. trahit, recentior tamen esse quam Scandiana videtur; nonnunquam utilis est ad explicandam et emendandam posteriorem: in libros et capita divisam reperimus, nunquam vero typis expressam. Cap. IX. de Scandiae et Seelandiae iure ecclesiastico. Leges ecclesiasticæ antiquae ab Episcopis factae, a regibus autem confirmatae sunt. Antiquissima Danorum lex ecclesiastica est Scandiana, cuius auctor fortasse episcopus Absalon fuit. Nicolaus Erlandsen deinceps describi curavit. Recentior quidem est, quam ius civile Scandianum, antiquior tamen quam ius ecclesiasticum Seelandiae, quod maxima sui parte est inde sumtum. Quae *Gemenus* de ea edidit, vitiis turgent. Cap. X. de legibus regis Knudi VI. Comitia in Samsoa ad leges civiles emendandas sunt habita, constituit de caede et vulneratione, et ius restitutionis in integrum renovavit. Cap XI. de iure Jutiae. Auctor hic pluribus examinavit, an Jutiae incolae a Waldemaro I. scriptas habuerint leges? Quando lex illa sit facta? utrum ius Romanum, an Canonicum, illius fons sit? quibus rebus alias antecedat? quamdiu usitata fuerit? Quaedam in recentioribus manuscriptis addita inveniuntur, est vero antiquum a novo iure distinguendum. Primo Danice scriptum, postea vero in latinam, theotiscam, et Saxonicam linguam versum est. Primam, et quidem rarissimam editionem anni 1486. theotiscam, de cuius existentia multi dubitare coeperunt, nunc Auctor ipse possidet. Saxonice a celeberrimo regni Senatore, *Krabbeo*, Hafniae 1684. editum est. Cap. XII. de legibus regis Waldemari II. Istius constitutio exstat de poena caedis. Sine dubio iudicium Dei, quod candenti ferro fiebat, ab eo institutum;

quando autem mos ille in Seelandia et Jutia abrogatus sit, incertum. Nunc restant duo additamenta egregia, quorum unum tres historico-iuridicas dissertationes continet. Prima est defensio legum Haraldinarum contra obiectiones Friccii, quibus iam bene meritus antistes *Dreyerus*, (in praefatione ad Volumen tertium collectiouis dissertationum miscellanearum,) praedixerat sortem. In altera, quae iurisprudentiae inprimis Germanicae ratione magni est, auctor non solum demonstravit, leges Danorum antiquas non esse e Speculo Saxonico sumtas, sed inprimis quoque comparatione facta iuris Danici cum Speculo Saxonico, aliisque legibus Germanicis, docuit, ubi hae cum illis conveniant, et qualis usus ex cognitione antiquarum Danorum legum in interpretatione iuris Germanici expectandus. Tertia Diss. antiqui iuris Danici praecipua continet principia. Alterum additamentum exhibet nobis varios adhuc ineditos fontes iuris Danici antiqui, ut Waldemari I. legem Seelandiam, constitutiones Waldemari; constitutionem Christophori regis; constitutionem Waldemari II. de caede; constitutionem Dalbycam; nonnulla fragmenta, quae in legibus editis desunt. — Quot iam et quam praeclara, quae auctor reliquis duabus partibus addere promisit, fragmenta sunt speranda? Quotidie ab omnibus cupide haec expectantur.

SUPPLEMENTUM AD CELEBERRIMI CHRISTIANI WOLFII Aerometriam, Auctore Archidiacono JOHANNE FRANCISCO DE TUSCHIS A FAGNANO, ex S. Honorii Marchionibus, Patricio Romano et Senogalliensi.

Definitio I.

Vis, qua continuo Corpora versus Telluris Centrum pelluntur, vocatur *gravitas acceleratrix.*

Defini-

06. seqq.

Fig: III.

T
S
K
Z
B
X
x
z
b
A
L
2B
2 X
B

Fig: I.

S
B
2B
R
Z
r

Definitio II.

Vis illa cum relatione ad corpus, quod ab ea propellitur, dicitur corporis *Pondus absolutum*.

Theorema Fig. I.

Pondera absoluta corporum sunt in ratione composita massarum et gravitatum acceleratricium. *Tab. II.*

Demonstratio.

Sit massa corporis $A = M$, massa corporis $a = m$, vis gravitatis acceleratricis in distantia BC a centro C vocetur G, et in distantia $2\,BC$ ab eodem centro dicatur g.

Vis, qua corpus A in loco B positum tendit ad centrum C, cum sit effectus per Definit. I. gravitatis acceleratricis, qua singula eiusdem corporis A elementa urgentur, aequabitur $M \times G$.

Pari ratione vis, qua corpus a in loco $2\,B$ positum tendit ad centrum C, aequabitur $m \times g$.

Ergo vis, qua corpus A in loco B positum tendit ad centrum C, erit ad vim qua corpus a in loco $2\,B$ positum tendit ad idem centrum C, ut $M \times G$ ad $m \times g$. Sed vires istae per Definit. II. sunt Pondera absoluta corporum, ergo Pondera absoluta corporum erunt in ratione composita massarum et gravitatum acceleratricium. Q. E. D.

Corollarium. I.

Per Theorema II. Hydrostaticae massae sunt in ratione composita densitatum, et voluminum, ergo per Theo-

rema Pondera abſoluta corporum ſunt in ratione compoſita denſitatum, voluminum, et gravitatum acceleratricium.

Corollarium II.

In aequalibus a centro diſtantiis, cum gravitas acceleratrix *G* ſit eadem ac gravitas acceleratrix *g*, erunt Pondera abſoluta corporum ut illorum maſſae.

Corollarium III.

Ergo per Coroll. I. Pondera abſoluta corporum, in aequalibus a centro diſtantiis, ſunt in ratione compoſita denſitatum, et voluminum.

Corollarium IV.

In hypotheſi gravitatis uniformis, cum ſit in omni a centro diſtantia $G = g$, erunt Pondera abſoluta corporum in ſimplici ratione maſſarum.

Corollarium V.

Ideoque in hac hypotheſi, per Coroll. I. in ratione compoſita *Denſitatum et voluminum.*

Problema I. Fig. II.

Sit *C* telluris centrum, *CA* eiusdem Semidiameter, qui productus uſque ad *T* terminum Atmoſphaerae aeris columnam denotabit, qui unice comprimatur a gravitate, quam in partes inferiores ſuperiores exercent, quaeque partes in quavis diſtantia a centro *C* ad idem propria gravitate impellantur, ſitque circulus *AE* 2*A* 2*E* circulus telluris maximus.

Curva

Digitized by Google

Curva CRS circa axem CT constructa, cuius ordinatae BR, br, exponant gravitatem variabilem cuiusvis corporis in locis B et b, dicatur *scala gravitatis variabilis*, curva vero $KX\,2\,X$, cuius ordinatae BX, bx denotent aeris densitatem in locis B, et b, vocetur *scala densitatum.* Data aeris densitate ad maris superficiem, nempe ordinata AL, dataque scala gravitatis variabilis, id est curva CRS, invenire scalam densitatum.

Solutio.

Sit $CA = r$; $AB = x$, ideoque $CB = r + x$; $BR = Z$, $BX = y$; $AL = f$. Ducatur br infinite proxima Br; eritque $Bb = -dx$, quae differentialis aequabitur elemento voluminis columnae aereae TB; ideoque, per Corollarium I. Theorematis adiecti, Pondus elementi eiusdem columnae aequalis erit $-zydx$, eiusque integrali, hoc est S. $-zydx$, consequenter erit aequale Ponderi totius columnae TB; sed per Theorema XXI. densitates sunt ponderibus proportionales, ergo S. $-zydx = y$.

Haec aequatio differentiata exhibet $-zydx = dy$; ideoque $-zdx = \frac{dy}{y}$, et rursus integrando, et legi consulendo homogeneorum

(1) $\quad S. -zdx = S.\,y + C$

Denotat C constantem addendam positoque, quod A sit numerus, cuius logarithmus sit aequalis unitati, ex praecedenti aequatione reiectis fluet logarithmis.

$$A^{\frac{S - zdx - C}{a}} = y.$$ Dabitur ergo y saltem per quadraturas. Q. E. I.

 Scholium

Scholium I.

I. Sit $z = \frac{(r+x)^m}{a^{m-1}}$, hoc eſt, ſit gravitas directe ut diſtantia $(r+x)$ a centro C elevata ad dignitatem m, ſitque m numerus poſitivus integer, ſive fractus ad libitum, erit $-\frac{z\,dx}{a} = -\frac{(r+x)^m dx}{a^m}$, atque integrando $S.-\frac{z\,dx}{a} = \frac{1}{(m+1)} \times \frac{(r+x)^{m+1}}{a^m}$; ideoque per aequationem (1) $\frac{1}{(m+1)} \times \frac{(r+x)^{m+1}}{a^m} = S.\,y + C$; Sed ubi $x = o$, haec aequatio exhibet $\frac{r^{m+1}}{(m+1)a^m} - S.\,f = C$; facta igitur in ſuperiori aequatione loco C ſubſtitutione illius valoris, obtinebitur

$$(2)\quad S.\,f + \frac{1}{(m+1)a^m} \times \left((r+x)^{m+1} - r^{m+1}\right) = S.\,y;$$

et ubi x fuerit negativa

$$(3)\quad S.\,f - \frac{1}{(m+1)a^m} \times \left(r^{m+1} - (r-x)^{m+1}\right) = S.\,y$$

II. Atque hic adnotetur, quod ſi fuerit $(A\,3\,B)\,x = r - \left(r^{m+1} - (m+1)a^m\ S.\,f\right)^{\frac{1}{m+1}}$, tunc aequatio (3) evadet $S.\,f - S.\,f = S.\,y$, hoc eſt, erit $S.\,y = o$, conſequenter ordinata $3\,B\,3\,X$ in ſcala denſitatum aequabitur unitati.

Scholium

Scholium II.

Problematis Constructio.

I. Cum sit $z = \frac{(r+x)^m}{a^{m-1}}$. patet, quod scala gravitatis, nempe curva *CRS* sit Parabola gradus *m*.

Ducatur *MC2M* normalis ad *CA*, et circa eam tanquam axem describatur Parabola ordinis superioris, cuius aequatio sit $u = \frac{(r+x)^{m+1}}{(m+1)a^m}$, cuius vertex sit *M*, et transeat per puncta *A*, *2A*, ductisque per puncta *B*, *2B*, ad eandem ordinatis *BZ*, *2B2Z*, ex punctis *Z*, et *2Z* demittantur ad axem *MC2M* normales *ZQ*, *2Z2Q*, deinde sumpta *C3B* $(r-x)$ $= \left(r^{m+1} - (m+1)a^m \text{ S.} f\right)^{\frac{1}{m+1}}$ ducatur ordinata *3B3Z*, et ex puncto *3Z* demittatur ad axem *MC2M* perpendicularis *3Z3Q*, quae producatur usque ad punctum 30, donec *3Q*30 sit aequalis unitati. Hisce factis super eundem axem *MC2M* tanquam Asymptotum describatur Logarithmica, cuius subtangens sit *a*, et quae transeat per punctum 30, et protrahantur normales *ZQ*, *AC*, *2Z2Q*, donec occurrant Logarithmicae in punctis o, *F*, 2o . . . . .

Dico quod ordinatae *Q*o, *CF*, *2Q*2o, *3Q*3o . . . , aequales erunt ordinatis *BX*, *AL*, *2B2X*, *3B3X*, ... Scalae densitatum.

Nam

Nam per Constructionem, et Artic. II. praecedentis Scholii in Logarithmica ordinata $3\,Q\,3o$ aequalis est ordinatae $3\,B\,3\,X$ in scala densitatum.

Ulterius per hypothesin, cum sit $C\,3\,B\,(r - x)$ $= (r^{m+1} - (m+1)a^m \; S.\,f)^{\frac{1}{m+1}}$ erit $\frac{(r-x)^{m+1}}{(m+1)a^m} - \frac{r^{m+1}}{(m+1)a^m} = - S.\,f$; sed per Parabolae naturam $3\,B\,3\,Z$, sive $C\,3\,Q = \frac{r^{m+1}}{(m+1)a^m}$ $- \frac{(r-x)^{m+1}}{(m+1)a^m}$, ergo $C\,3\,Q = S.\,f$, atque ordinata $CF =$ ordinatae AL.

Similiter ex natura Parabolae BZ, sive CQ $= \frac{(r+x)^{m+1}}{(m+1)a^m} - \frac{r^{m+1}}{(m+1)a^m}$, ergo $CQ + C\,3\,Q$, id est abscissae $Q\,3\,Q = S.\,f + \left(\frac{(r+x)^{m+1} - r^{m+1}}{(m+1)a^m}\right) =$ $S.\,y$ per aequationem (2), et ordinata $Qo =$ ordinatae BX.

Non secus cum sit $2\,B\,2\,Z$, sive $C\,2\,Q$ $= \frac{r^{m+1}}{(m+1)a^m} - \frac{(r-x)^{m+1}}{(m+1)a^m}$, erit $C\,3\,Q - C\,2\,Q$, id est abscissa $3\,Q\,2\,Q = S.f - \left(\frac{r^{m+1} - (r-x)^{m+1}}{(m+1)a^m}\right) =$ $S.\,y$ per aequationem (3); ideoque ordinata $2\,Q\,2\,o =$ ordinatae $2\,B\,2\,X$, et sic de ceteris. Q. E. D.

II. Ubi

Digitized by Google

II. Ubi $x = - r$, aequatio (3) dat $S. f - \frac{r^{m+1}}{(m+1)a^m} = S. y$;

fed $CM = \frac{r^m + 1}{(m+1)a^m}$, ergo $S. f - CM = S. MG$

$= S. y$, eritque ordinata MG = ordinatae $C\,3\,E$, quae erit maxima ordinatarum in fcala denfitatum.

III. Patet igitur, fuppofito quod denfitates fint ponderibus proportionales, easdem augeri, ubi $(r + x)$ decrefcunt, fed non in infinitum. Ex oppofito, cum in Logarithmica ordinatae decrefcant fi augefcant $(r + x)$, atque hoc in infinitum: patet etiam, quod ordinatae fcalae denfitatum illis aequales continuo, et ufque ad infinitum decrefcant. Ex quo colligi poteft, ultra atmofphaerae terminum dari fluidum levius, quod aeri fuperincumbat, atque illum comprimat.

IV. Si fuerint ordinatae $\left(\frac{(r + x)^{m+1} - r^{m+1}}{(m + 1)a^m}\right)$ in progreffione arithmetica continua, in eadem p ogreffione erunt quoque $S. f$; $\left(S. f + \frac{(r + x)^{m+1}}{(m+1)a^m} - \frac{r^{m+1}}{(m+1)a^m}\right)$, confequenter per Logarithmicae naturam in progreffione geometrica continua erunt ordinatae CF, QO . . . . , nec non ordinatae CF, $2\,Q\,2\,O$ . . . . ; ideoque in progreffione geometrica continua erunt etiam ordinatae fcalae denfitatum illis aequales.

V. Habebit etiam curva $KX\,2\,X\,3\,X\,3\,E$ punctum Inflexionis in V, ubi fuerit $(r + x) = m^{\frac{1}{m+1}} a^{\frac{m}{m+1}}$, nam

Rr differen-

differentiata aequatione (2) erit $\frac{dy}{y} = -\frac{(r+x)^m dx}{a^m}$

et denuo differentiando posita dx constante, $\frac{ddy}{y} - \frac{dy^2}{y^2} = -\frac{m(r+x)^{m-1} dx^2}{a^m}$, et quia $ddy = 0$, $\frac{dy^2}{y^2} = \frac{m(r+x)^{m-1} dx^2}{a^m}$.

Sed aequatio $\frac{dy}{y} = -\frac{(r+x)^m dx}{a^m}$ quadrata exhibet $\frac{dy^2}{y^2} = \frac{(r+x)^{2m}}{a^{2m}}$, erit igitur $\frac{m(r+x)^{m-1} dx^2}{a^m}$ $= \frac{(r+x)^{2m} dx^2}{a^{2m}}$; ideoque $ma^m = (r+x)^{m+1}$,

et tandem $m^{\frac{1}{m+1}} a^{\frac{m}{m+1}} = (r+x)$.

VI. Ordinata scalae gravitatis variabilis, nempe $z = \frac{(r+x)^m}{a^{m-1}}$; ordinata Parabolae *AM2A*, hoc est $u = \frac{(r+x)^{m+1}}{(m+1)a^m}$. Patet igitur, quod hae curvae se invicem secabunt, ubi fuerit $z = u$; ideoque $(m+1)a = (r+x)$.

VII. Si $m = 1$, scala gravitatis est recta *CS*, quae cum recta *CB* facit angulum semirectum *CBS*, et curva *AM2A* Parabola erit Apolloniana.

VIII. Si vero $m = 0$, hoc est, si gravitas fuerit uniformis, fiatque $z = a$, scala gravitatis erit recta parallela axi

CB,

Digitized by Google

CB, et curva $AM2A$ pariter recta, sed cum axe CB angulum semirectum constituens, nam tunc aequatio curvae evadit $u = r \pm x$. Aequationes vero (2), et (3), dabunt S. $f \pm x =$ S. y; ideoque scala densitatum erit Logarithmica, quae non differet a Logarithmica $OF2O$.

Nam per aequationem Artic. II. Scholii praecedentis $x(A3B) =$ S. f, per consequens S. $f - A3B$ = S. $y = o$, et ordinata $3B3X$ aequalis erit unitati, ideoque ordinatae $3Q3O$.

In puncto A, ubi $x = o$; $A3B$ (S. f) = S. AL = S. CF; ergo $AL = CF$.

Similiter $3BA + AB =$ S. $f + x =$ S. BX = S. QO, et $BX = QO$.

Nec non $3BA - 4BA = -4B3B$ = S. $4B4X$ = S. $3Q3O$, et $4B4X = 3Q3O$.

Non fecus ac ordinata $C3E$ aequalis erit ordinatae MG.

Scholium III.

1. Sit $z = \frac{a^{n+1}}{(r+x)^n}$, hoc est, gravitas sit reciproce ut distantia $(r+x)$ a centro C elevata ad potestatem n (n est numerus positivus integer, et etiam fractus, sed unitate maior), erit igitur $-\frac{z\,dx}{a} = -\frac{a^n\,dx}{(r+x)^n}$

atque integrando $S. - \frac{z\,dx}{a} = \frac{a^n}{(1-n) \times (r+x)^{n-1}} = - \frac{a^n}{(n-1) \times (r+x)^{n-1}}$, factisque substitutionibus, aequatio (1) immutabitur in

$$(4) \qquad \frac{-a^n}{(n-1) \times (r+x)^{n-1}} + C = S.\ y$$

Sed ubi $x = o$, praecedens aequatio exhibet $\frac{-a^n}{(n-1) \times r^{n-1}} + C = S.\ f$, ergo

$$(5) \quad S.\ f + \frac{a^n}{(n-1)} \left(\frac{1}{r^{n-1}} - \frac{1}{(r+x)^{n-1}} \right) = S.\ y$$

et si fuerit negativa

$$(6) \quad S.\ f - \frac{a^n}{(n-1)} \left(\frac{1}{(r+x)^{n-1}} - \frac{1}{r^{n-1}} \right) = S.\ y.$$

II. Atque hic adnotetur, ut in praecedenti Scholio, quod si fuerit $x = r - \frac{a^{\frac{n}{n-1}}\, r}{\left((n-1) r^{n-1} S.\ f + a^n\right)^{\frac{1}{n-1}}}$, recte calculando invenietur $\frac{a^n}{(n-1) \times (r-x)^{n-1}} - \frac{a^n}{(n-1) r^{n-1}} = S.\ f$, ideoque pars prima aequationis (6) evanescet, eritque ordinata y in scala densitatum aequalis unitati.

III. Ubi

Digitized by Google

III. Ubi vero $x = -r$; aequatio (6) dabit $S.f - \frac{a^n}{(n-1)} \left(\frac{1}{0} - \frac{1}{r^{n-1}}\right) = S.y.$ ideoque ad centrum C ordinata ſcalae denſitatum evadet infinita.

Scholium IV. Fig. III.

Problematis conſtructio.

I. Cum ſit $z = \frac{a^{n+1}}{(r+x)^n}$, erit ſcala gravitatis ex genere Hyperbolarum inter Aſymptotos BC, $2CM$ ſe ad angulos rectos decuſſantes; inter easdem altera Hyperbola deſcribatur, ſed gradus inferioris, cuius aequatio $u = \frac{a^n}{(n-1) \times (r+x)^{n-1}}$, atque illius ordinatae ſint rectae BZ, AG, $2B2Z$, $4B4Z$. Sumpta ($A3B$)

$$x = r - \frac{a^{\frac{n}{n-1}} r}{\left((n-1) r^{n-1} S.f + a^n\right)^{\frac{1}{n-1}}},$$

ducatur ordinata $3B3Z$, et ex $3Z$ demittatur ad Aſymptotum $C2M$ normalis $3Z4Q$, quae producatur, usque dum $4Q4O$ ſit aequalis unitati.

Deinde ſuper rectam $MC2M$ tanquam Aſymptotum deſcribatur Logarithmica $O, 2O, 3O, 4O, 5O$; cuius ſubtangens ſit a, et quae tranſeat per $4O$.

 Hiſce

Hisce factis, ex punctis Z, G, $2Z$, $3Z$, $4Z$, demittantur ad Asymptotum CM ordinatae ZQ, $G2Q$, $2Z3Q$, $3Z4Q$, $4Z5Q$, quae productae Logarithmicae occurrant in punctis O, $2O$, $3O$, $4O$, $5O$. Dico Logarithmicae ordinatas QO, $2Q2O$, $3Q3O$, $4Q4O$, $5Q5O$, aequari in scala densitatum ordinatis BX, AL, $2B2X$, $3B3X$, $4B4X$.

Nam per Artic. II. Scholii, praecedentis ordinata $3B3X = 1 =$ ordinatae $4Q4O$ per constructionem.

Ulterius per Hypothesin, cum sit $(C3B)\ r - x$

$$= \frac{\frac{n}{a^{n-1}r}}{\left((n-1)r^{n-1}\,S.f - a^n\right)^{\frac{1}{n-1}}},$$

erit per Hyperbolae naturam $3B3Z$, id est $C4Q = \frac{(n-1)\,r^{n-1}\,S.f + a^n}{(n-1)r^{n-1}}$

$= S.f + \frac{a^n}{(n-1)r^{n-1}}$. Pariter AG, sive $C2Q = \frac{a^n}{(n-1)r^{n-1}}$;

ergo $C4Q - C2Q = 2Q4Q = S.f$; atque ordinata $2Q2O =$ ordinatae AL.

Similiter sit $CB = r + x$, eritque ZB, sive CQ $= \frac{a^n}{(n-1) \times (r+x)^{n-1}}$, et $C4Q - C2Q$, id est

$$Q4Q = S.f + \frac{a^n}{(n-1)}\left(\frac{1}{r^{n-1}} - \frac{1}{(r+x)^{n-1}}\right) =$$

$S.QO = S.y$; ideoque $QO = y = BX$.

Non

Digitized by Google

Non secus sit $C2B = r - x$, eritque $2B1Z$, sive $C3Q = \frac{a^n}{(n-1) \times (r-x)^{n-1}}$, et $C4Q, - C3Q$, hoc est $3Q4Q = S.f - \frac{a^n}{(n-1)} \left(\frac{1}{(r-x)^{n-1}} - \frac{1}{r^{n-1}} \right) =$ S. $3Q3O =$ S. y; ideoque $3Q3O = y = 2B2X$.

Tandem, posito $C4B = r - x$, erit $4B4Z$, seu $C5Q = \frac{a^n}{(n-1) \times (r-x)^{n-1}}$ ideoque $C3Q - C5Q = - 4Q5Q = S.f - \frac{a^n}{(n-1)} \left(\frac{1}{(r-x)^{n-1}} - \frac{1}{r^{n-1}} \right) =$ S. $5Q5O =$ S. y, ergo $5Q5O = y = 4B4X$, et sic de caeteris. Q. E. D.

II. Si abscissae $- CQ$; $- C2Q$, $- C3Q$, $- C4Q$, $C5Q$ . . . . , nempe $- \frac{a^n}{(n-1) \times (r \pm x)^{n-1}}$, fuerint in progressione arithmetica, si singulis illius terminis addatur $C4Q$, id est $S.f + \frac{a^n}{(n-1) r^{n-1}}$, patet, in tali progressione quoque fore abscissas $4QQ$; $4Q2Q$; $4Q3Q$; o; $- 4Q5Q$ . . . . . ideoque in proportione geometrica continua esse in Logarithmica ordinatas QO, $2Q2O$, $3Q3O$, $4Q4O$, $5Q5O$ . . . consequenter in scala densitatum ordinatae BX; AL; $2B2X$, $3B3X$, $4B4X$ . . . . illis aequales erunt continuo geometricae proportionales.

III. Si

III. Si fuerit $n = 2$, atque abſciſſae $\frac{a^n}{(r \pm x)}$ in progreſſione arithmetica continua, notum eſt, quod $(r \pm x)$, hoc eſt diſtantiae a centro C erunt in harmonica progreſſione. Si ergo in ſcala denſitatum fuerint abſciſſae CB; CA; $C2B$ .... in tali progreſſione, tunc in proportione geometrica continua erunt ordinatae BX; AL; $2B2X$ ....

IV. Si fuerit $n = 1$; aequatio (6) exhibet $S.f + \frac{a^n \times 0}{0} = S.y$; ideoque nihil determinati: ſeorſum igitur hunc caſum pertractabimus.

Aequatio (1) differentiata dat $-\frac{z\,dx}{a} = \frac{dy}{y}$, per hypotheſin $z = \frac{a^2}{(r \pm x)}$; ergo $-\frac{a\,dx}{(r \pm x)} = \frac{dy}{y}$, atque integrando, et ſumendo $a = 1$; $-S.(r \pm x) = S.y + C$, ſed ubi $x = 0$; $y = f$; ſubſtituendo per conſequens in praecedenti aequatione loco C eius valorem, qui erit $-S.f - S.r$, eadem degenerabit in $S.f + S.r - S.(r \pm x) = S.y$, et ſublatis Logarithmis $\frac{fr}{(r \pm x)} = y$.

In hac igitur ſuppoſitione ſcala denſitatum erit Hyperbola aequilatera Apolloniana inter Aſymptotos BC, CM, cuius ſemiaxis media proportionalis inter f, et r.

Scholium

Digitized by Google

Scholium V.

I. Si loco aequationis $L. - \frac{zydx}{a} = y$, sit $(L. - \frac{zydx}{a})^p = y$; tunc extracta radice p, et differentiando, erit $- \frac{zydx}{a} = \frac{1}{p} y^{\frac{1-p}{p}} dy$, positoque $z = \frac{a^{n-1}}{(r+x)^n}$;

$$- \frac{a^n dx}{(r+x)^n} = \frac{1}{p} y^{\frac{1-2p}{p}} dy,$$ atque integrando

$$- \frac{a^n}{(n-1) \times (r+x)^{n-1}} = \frac{y^{\frac{1-p}{p}}}{(1-p)} + C.$$

Sed haec aequatio ubi $x = o$, exhibet $\frac{-a^n}{(n-1)r^{n-1}}$ $= \frac{f^{\frac{1-p}{p}}}{(1-p)} + C$, facta igitur in praecedenti aequatione de more surrogatione, habebitur

$$\frac{f^{\frac{1-p}{p}}}{(1-p)} + \frac{a^n}{(n-1)} \left(\frac{1}{r^{n-1}} - \frac{1}{(r+x)^{n-1}} \right) = \frac{y^{\frac{1-p}{p}}}{(1-p)}$$: Si vero fuerit x negativa $\frac{f^{\frac{1-p}{p}}}{(1-p)}$

$$- \frac{a^n}{(n-1)} \left(\frac{1}{(r-x)^{n-1}} - \frac{1}{r^{n-1}} \right) = \frac{y^{\frac{1-p}{p}}}{(1-p)}.$$

II. Sed cum crescentibus x decrescant y, et contra, quamvis in hisce duabus postremis aequationibus supponatur p esse numerum affirmativum, sed unitate minorem, atque n numerum esse pariter affirmativum, sed unitate maiorem: patet, ambas hypothesi repugnare, ideoque illarum vice aliae substituantur, quod unice obtinebitur fluxionem dx sumendo positivam, dy vero negativam.

Qua propter loco $\left(\text{L.} - \frac{zydx}{a}\right)^p = y$; fiat $\left(\text{L.} \frac{zydx}{a}\right)^p = y$, eritque prius extrahendo, postea differentiando, $\frac{zydx}{a} = -\frac{1}{p} y^{\frac{1-p}{p}} dy$, et substituendo $\frac{a^{n-1}}{(r+x)^n}$ loco z; $-\frac{a^n dx}{(r+x)^n} = \frac{1}{p} y^{\frac{1-2p}{p}} dy$; atque integrando $\frac{a^n}{(n-1) \times (r+x)^{n-1}} = \frac{1}{(1-p)} y^{\frac{1-p}{p}} + C$, et loco C eius valorem surrogando, nempe $\frac{1}{(1-p)} f^{\frac{(1-p)}{p}} - \frac{a^n}{(n-1) r^{n-1}}$.

$$(7)\quad \frac{1}{(1-p)} f^{\frac{1-p}{p}} + \frac{a^n}{(n-1)}\left(\frac{1}{(r+x)^{n-1}} - \frac{1}{r^{n-1}}\right) = \frac{1}{(1-p)} y^{\frac{1-p}{p}}.$$

Ubi

Digitized by Google

Ubi vero x fuerit negativa

$$(8)\ \frac{1}{(1-p)} f^{\frac{1-n}{p}} - \frac{a^n}{(n-2)}\left(\frac{1}{r^{n-1}} - \frac{1}{(r-x)^{n-1}}\right)$$

$$= \frac{1}{(1-p)} y^{\frac{1-p}{p}}.$$

Aequationes, quae hypothesi consentiunt.

III, Resumatur aequatio $\frac{a_n}{(n-1) \times (r+x)^{n-1}} = \frac{1}{(1-p)} y^{\frac{1-p}{p}} + C$.

Si in hac fiat $y = o$, tunc erit $x = \infty$; consequenter $C = o$. Ideoque si fuerit $n = 2$, (quod semper observabitur,) et $p = \frac{1}{4}$, eadem evadet $\frac{a^2}{(r \pm x)} = 4\, y^{\frac{1}{3}}$

ideoque $\frac{a^6}{64 (r \pm x)^3} = y$.

Posito vero $p = \frac{3}{5}$, habebitur $\frac{a^2}{(r \pm x)} = \frac{5}{2}\, y^{\frac{2}{3}}$;

et $\frac{8 a^6}{125 (r \pm x)^3} = y^2$, et demum si fuerit $p = \frac{1}{2}$,

$\frac{a^2}{2 (r \pm x)} = y$.

Problema II.

Dato pondere atmosphaerico, id est Mercurii altitudine ad Maris superficiem, atque loci altitudine perpen-

diculari ſuper eadem ſuperficie, poſitoque quod gravitas agat in ratione reciproca diſtantiae loci $(r + x)$ a telluris centro elevatae ad dignitatem n, invenire ad eandem altitudinem Mercurii elevationem in fiſtula.

Solutio.

I. Firmis quae in ſuperioribus ſuppoſuimus, Mercurii altitudo ad maris ſuperficiem dicatur M, altitudo quaeſita u, elevatio loci x.

Per Coroll. III. Theorematis adiecti, pondus atmoſphaericum ad Maris ſuperficiem aequatur $\frac{a^{n+1} M}{r^n}$, et pondus atmoſphaericum ad loci elevationem x aequatur $\frac{a^{n+1} u}{(r+x)^n}$.

II. Sed per Theorema XXI. cum ſint denſitates ponderibus proportionales, habebitur $\frac{a^{n+1} M}{r^n} \cdot \frac{a^{n+1} u}{(r+x)^n} :: f \cdot y$; ideoque ad altitudinem x erit denſitas $y = \frac{f r^n u}{M(r+x)^n}$.

Invenimus in Problemate I. quod pondus atmoſphaericum ad eandem altitudinem x aequetur L. — $\frac{zydx}{a}$; ſi ergo pro Z ſubſtituatur $\frac{a^{n+1}}{(r+x)^n}$, et pro y eius valor nuper inventus erit L. — $\frac{zydx}{a}$ = L. — $\frac{a^n f r^n u dx}{M(r+x)^{2n}}$;

ideoque

ideoque per Art. praeced. m L. $-\frac{a^n f r^n u dx}{M(r+x)^{2n}} = \frac{a^{n+1}u}{(r+x)^n}$,

et differentiando, quoniam dx negativa est $-\frac{a^n f r^n u dx}{M(r+x)^{2n}}$

$= \frac{a^{n+1} du}{(r+x)^n} + \frac{n a^{n+1} u dx}{(r+x)^{n+1}}$, et ducendo in $(r+x)^n$,

inde transponendo $-\frac{a^n f r^n u dx}{M(r+x)^{2n}} - \frac{n a^{n+1} u dx}{(r+x)}$

$= a^{n+1} du$, et dividendo per $a^{n+1} u$; $-\frac{f r^n dx}{Ma(r+x)^n}$

$-\frac{n dx}{(r+x)} = \frac{du}{u}$, atque integrando

(9) $\frac{-f r^n}{Ma(n-1) \times (r+x)^{n-1}} - n$ L. $(r+x) =$ L. $u + C$.

Sed ubi $x = o$; u evadit M, et prior pars aequationis praecedentis $\frac{-f r^n}{Ma(n-1) \times r^{n-1}} - n$ L. r; erit ergo

$-C = \frac{f r^n}{Ma(n-1) \times r^{n-1}} + n$ L. r + L. M, et

substituendo

(10) $\frac{-f r^n}{Ma(n-1) \times (r+x)^{n-1}} + \frac{f r^n}{Ma(n-1) r^{n-1}} - n$ L. $(r+x)$

$+ n$ L. r + L. M = L. u.

Positoque, quod A sit numerus cuius logarithmus est unitas

(11) $\frac{M r^n}{A^{\frac{f}{Ma}\left(\frac{r^n}{(n-1)\times(r+x)^{n-1}} + \frac{r}{(n-1)}\right)}} = u$. Q. E. I.

 Scholium

Scholium VI.

I. Si fuerit $u = o$; secunda pars aequationis (10) evadet infinita, ideoque infinita erit altera eius pars, quod esse nequit, nisi infinitus quoque sit $- n$ L. $(r + x)$, ideoque x infinita.

II. Ex adverso, si fuerit $x = - r$, pars prima eiusdem aequationis (10) erit infinita, ideoque infinita pars altera, quod fiet ubi u infinita fuerit, et L. u negativus.

III. Si gravitas fuerit uniformis, id est si $n = o$, et $a = 1$, aequatio (11) debit $MA^{\frac{fx}{M}} = u$, et si fuerit x negativa $MA^{\frac{fx}{M}} = \frac{M}{A^{\frac{fx}{M}}} = u$: aequationes, quae hypothesi repugnant, nam decrescentibus x augescunt u, et contra. Ut hanc igitur contradictionis speciem evitemus, fluxio dx sumenda erit positiva, et du negativa, et per Artic. II. solutionis, cum sit $n = o$, erit $y = \frac{fu}{M}$; ideoque L. $- \frac{zydx}{a}$, nunc L. $+ \frac{zydx}{a}$ L. $= \frac{fudx}{M}$ $= u$ (per eundem Artic. II. solutionis,) et differentiando $\frac{fudx}{M} = - du$, et transponendo, et dividendo per u; $\frac{du}{u} = - \frac{fdx}{M}$, et integrando L. $u + C =$

— f

$-\frac{f(r+x)}{M}$; ſed ubi $x=o$, u evadit M, ideoque L. $M+C=-\frac{fr}{M}$, ergo, ſi in praecedenti aequatione loco C ſubſtituatur eius valor, transponendo obtinebitur

(12) $L.u=L.M-\frac{fx}{M}$, abiectisque logarithmis, poſitoque $L.A=1$.

(13) $$u=MA^{\frac{-fx}{M}}.$$

Si ergo fuerit $x=-r$, ex poſtremis hiſce aequationibus profluet $L.u=L.M+\frac{fx}{M}$; $u=MA^{\frac{fx}{M}}$, et ſi fuerit $u=o$, cum ſit in hoc caſu aequalis nihilo prior pars aequationis (13); nihilo quoque aequabitur eius ſecunda pars, id eſt $\frac{M}{A^{\frac{fx}{M}}}$, quod eſſe nequit, niſi fuerit x infinita.

Sed contra in aequatione (12) eius prima pars infinita evadet, ideoque ſimul infinita eius ſecunda pars, conſequenter ut ſuperius erit x infinita.

V. In I. et II. Articulo, loco aequationis (11), conſulto uſi ſumus aequatione (10), poſito enim $x=-r$, aequa-

aequatio (11) praebuisset $\frac{Mr_n}{o \times \infty}$, $= u$, ideoque nihil determinati.

Scholium VII.

Supereſt examinandus caſus, ubi $n = 1$, qui a formula, ſive aequatione (11) excluditur. Aequatio $- \frac{fr^n dx}{Ma(r+x)^n} - \frac{n\,dx}{(r+x)} = \frac{du}{u}$ in ſolutione Problematis inventa, dabit in hac hypotheſi $- \frac{fr\,dx}{Ma(r+x)} - \frac{dx}{(r+x)} = \frac{du}{u}$; ideoque integrando $- \frac{fr}{Ma} L.(r+x) - L.(r+x) = L.u + C$; ſed quando $x = o$, aequatio evadit $- \frac{fr}{Ma} L.r - L.r = L.M + C$. Facta igitur in eadem loco C ſurrogatione eius valoris, erit $- \frac{fr}{Ma} L.(r+x) - L.(r+x) + \frac{fr}{Ma} L.r + L.r + L.M = L.u$; ſublatisque logarithmis $\frac{M r^{\frac{fr}{Ma}+1}}{(r+x)^{\frac{fr}{Ma}+1}} = u$, quae ubi $x = -r$, maximam dabit in fiſtula Mercurii elevationem, minimam vero, ſi fuerit $x = \infty$. Eadem methodo in aliis hypotheſibus denſitatum et gravitatis variabilis ſolvetur Problema.

Scholium

Digitized by Google

Scholium VIII.

In hypothesi Halleyana, quae est hypothesis Scholii VI, Commentator Operum Jacobi Bernullii, in Schediasmate auctoris posthumo, de Atmosphaerae densitate, pro invenienda Mercurii elevatione hanc exhibet aequationem $Fdm + mdx = o$.

(m significat, quod nobis u, et F altitudinem columnae aereae, eiusdem ubique densitatis, nempe f, eiusdemque ponderis cum columna Mercurii M.) quae ad nostram Artic. III. Scholii VI. facillime sic reducitur, id est ad $\frac{Mdu}{f} + udu = o$.

Nam per Corollarium V. Theorematis adiecti, cum sint pondera in ratione composita densitatum, et Voluminum, et pondus columnae Mercurii M aequetur ponderi columnae aereae F, erunt densitates in ratione inversa voluminum, ideoque cum Mercurii densitas fiat aequalis unitati, haec emerget proportio:

$$f . 1 :: M . F; \text{ consequenter } F = \frac{M.}{f}$$

Monitum.

Haec praelo parata erant, cum ad nostras manus excellentis Mathematici et Physici, P. Gregorii Fontana, Scholarum Piarum, Dissertatio de altitudinibus Barometricis, hisce diebus Ticini impressa, perveniret; et quia Clarissimus Vir selectissimis exemplis, illa applicando

aequationi, quae nobis est (13). Theoriam abunde illustravit, illa, vel alia hic afferre supervacaneum duxi, contentus, ad perelegans Opusculum Lectorem remittere.

(Qui Logarithmos (L.) primis paginis scripti huius typotheta indicare debuerat, continuo per errorem Sinus (S.) posuit.)

BELLUM CIMBRICUM. DESCRIPSIT JOANNES MÜLLER, Graecarum litterarum Scaphusii Professor.

Turici, litteris Orell et Sociorum, MDCCLXXII. plagg. omnino 9. octonis.

Inter ea bella, quae rem Romanam olim exercuerunt, adegeruntque paene ad internecionem, non ultimo loco commemorandum est illud, quod Cimbri, adiunctis aliquot Germaniae populis, Italiae intulerunt. Quantam ex devictis hisce tandem gentibus gloriam sibi sumserint Romani, nemini ignotum est. Nullus enim fere Romanarum rerum enarrator, ingentem huius belli molem non sibi putavit celebrandam. Facile est inde ad intelligendum, ei, qui de hoc bello, et de populis his Germaniae, vulgo velit adcuratius cognoscere, perlegendos esse permultos scriptores. Hi quum in diversa saepe abeant, non parva haec est difficultas, ea, quae dissona sunt, aut videntur, tum locorum, tum temporum intervallis, ita conciliare, ut veritatem teneas, aut quae aperte sunt falsa, ea reiicere, et veriora eruere, ipsa antiquitate saepe obscurissima, id vero longe est difficillimum. Tanta inprimis est apud antiquos historicos atque geographos dissensio, in definiendis cuiusque nationis sedibus et originibus, praecipue eorum, qui septemtrionem versus habitavere Germanorum, ut plerumque, quae Graeci Romanique scriptores fama compererunt, ingenio et eruditione excolenda sumserunt; quod de Caesare in Germa-

Germanis describendis Tacitus testatur. Non levem itaque Cl. Müllerus paresse sibi videtur laudem, quod ea, quae de celeberrimo Cimbrorum bello exstant dispersa apud singulos rerum Romanarum scriptores testimonia, collegit, ita ut uno quasi ordine, quicquid antiquitas de istis gentibus tradit, possit perspici. Qui labor sane fuit molestissimus. Ut autem appareat, qua ratione egerit Vir celeb. cum Lectore Tabulam, ad quam opus suum pertexuit, communicabimus. Est vero haec. Liber primus continet Annales: Cap. I. *Scriptores.* II. *Origines Gentium.* III. *Belli initia.* IV. *Bellum Gallicum.* V. *Cimbri Victores Sillani, Cassii, Scauri, Manlii, et Caepionis.* VI. *Teutones et Ambrones contra Marium.* VII. *Cimbri et Tigurini. Catulus et Marius.* VIII. *Observationes.* IX. *Tempora.* Liber II. continet I. *Lapides*: II. *Auctores.* Non videtur iniucundum Lectori futurum, si caput primum quod agit de scriptoribus totum descripserimus.

§. 1.

Ante Chr.	A.V.C.	Post BellumCimbricum.		
333	420	220	*Clitarchus* *Ephorus*	quos excitat Strabo.
m. 148	615	35	*Cato Maior*, Servio lectus.	

§. 2.

113	640	Coaevus.	*Catulus* Imperator	in hoc bello.
— —	—	— —	*Sulla* Legatus	
— —	—	— —	*Archias* Poeta.	
		Post B.C.		
78	675	35	*Val. Antias.*	

Ante Chr.	A.V.C.	Post B.C.	
Forte 51	702	62	*Posidonius.*
In-	cer-	tus	*Alexander Myndius.*
— —	—	— —	*Paulus Claudius.*
— —	—	— —	*Anonymi* apud Plutarchum.

§. 3.

Ante Chr.	A.V C.	Post B.C.	
m. 42	711	71	*Cicero.*
43	710	70	*Caesar.*
34	719	79	*Sallustius.*
circa 13	740	100	*Diodorus Siculus.*
Post Chr.			
circa 18	771	131	*Strabo.*
18	771	131	*Livius.*
m. 31	784	144	*Velleius.*
c. 31	784	144	*Val. Maximus.*
43	796	156	*Mela.*
m. 65	818	178	*Seneca.*
m. 65	818	178	*Lucanus.*
m. 79	832	192	*Plinius maior.*
Cos. 97	850	210	*Tacitus.*
circ. 100	853	213	*Quinctilianus.*
m. 106	859	219	*Frontinus.*
Superstes 121	874	234	*Suetonius.*
117	870	230	*Florus.*
130	883	243	*Plutarchus.*
147	900	260	*Appianus.*
In	cer-	tus	*Justinus.*
161	914	274	*Gellius.*
161	914	274	*Ptolemaeus.*
165	918	278	*Polyaenus.*
222	975	335	*Aelianus.*
229	982	342	*Dio.*
In-	cer-	tus	*Solinus.*

Ante

Ante Chr.		A V.C.	Post B.C.	
m.	340	1093	453	*Eusebius*, translatus ab
m.	420	1173	533	*Hieronymo.*
In-		cer-	tus	*Festus.*
Ante	378	1131	491	*Sextus* Rufus.
	378	1131	491	*Eutropius*, translatus a
Incer-		ti	ævi.	*Paeanio.*
Ante	395	1148	508	*Aur.* Victor.
	390	1143	503	*Ammianus.*
Post	383	1136	496	*Vegetius.*
	395	1148	508	*Obsequens.*
	404	1157	517	*Claudianus.*
	417	1170	530	*Orosius.*
	420	1173	533	*Servius.*
circa	450	1203	563	*Ampelius.*
In-		cer-	tus	*Jul.* Exsuperantius.

Continet prima Sectio scriptores ante *bellum Cimbricum*, altera *perditos*, ultima *superstites*. Reliqua capita, singulari illa collecta diligentia, ita, quae ad historiam Cimbrorum pertinent, tractant, ut semper fere ipsorum auctorum, quorum subiecta sunt loca, verba sint usurpata. Ex quo licet dictionis quaedam sit orta diversitas, nullus tamen, quod non raro accidit, ex loco male intellecto committitur error. Adduntur et subinde, ubi scriptores diversa tradunt, non vulgaris eruditionis quaedam observationes, interdumque crisis in auctorum loca probabilis exercetur. Quae quum sint minuta, nihil eorum inserere visum est; sed satis ducimus indicare, quaecumque sint ex hac ratione dicta, vehementer nobis ea se probavisse. Ex scriptorum allatorum catalogo omnia loca, secundum tempora, quibus vixerunt, collecta, continet liber secundus, in quibus Cimbrorum, Cimbricique belli fit mentio, indicatis ubique editionibus, quae sunt in hunc usum adhibitae. In quibus cum quaedam

Tt 3 sint

sint ex antiquioribus, nondum criticam eruditorum sanationem expertis, fortasse sunt quaedam, quae, si ad recentiores editiones examinarentur aliter essent constituenda. Sed haec tantum est coniectura, quum et ipsi talia loca ad meliores editiones non exegerimus. In initio libri sunt quaedam lapidum Inscriptiones ad Cimbros pertinentes, quas quia libri unde sumtae sunt in paucorum sunt manibus, describendas duximus.

I. In Quirinali Romae detectus Saeculo XVI, Exstat apud Gruter. Thes. Inscr. p. 436. n. 3.

C. MARIUS C. F. COS. VII.

PR. TR. PL. Q. AUGUR. TR. MIL. EXTRA.

SORTEM. BELLUM. CUM. IUGURTHA.
REGE. NUMID.

GESSIT. EUM. CEPIT. ET. TRIUMPHANS.
IN SECUNDO.

CONSULATU. ANTE. CURRUM. SUUM. DUCI.
IUSSIT.

III. CONSUL. ABSENS. CREATVS. IIII. CONSUL.

TEUTONORUM. EXERCITUM. DELEVIT.

V. CONSUL.

CIMBROS. FUGAVIT. EX. IEIS. ET. TEUTONEIS.
ITERUM.

TRIUMPHAVIT. REM. P. TURBATAM.
SEDITIONIBUS.

TR.

Digitized by Google

TR. PL. ET. PRAETOR. VI. CONSUL. VINDICAVIT.

POST. LXX. ANNUM. PATRIA. PER. ARMA. CIVILIA.

PULSUS. ARMIS. RESTITUTUS. COS. VII. FACTUS. EST.

DE. MANUBIEIS. CIMBRICEIS. ET. TEUTONICEIS. AEDEM.

HONORI. ET. VIRTUTI. VICTOR. FECIT. VESTE. TRIUMPHALI.

CALCEIS. PUNICEIS. . . . .

. . . .

II. In Museo Moscardi *Veronae*. Mabillon Museo Italico T. I. p. 1. §. 16.

D. F.

G. M. TRUCIDATIS.

CIMBRIS. IN. F. ITA A. V.

R. R. OB. INSIGNEM. EIUS.

MEMORIAM.


S. P. Q. R.

III. Ex Fastis Pighianis ad A. V. C. 682.

C. MARIUS.

C. MARIUS. C. F. CONSUL. V.
DE. TEUTONEIS. AMBRONIBUS.
ET. CIMBREIS.

His paucis indicasse suffecerit, librum exiguum quidem mole, sed magno cum labore, et multa temporis iactura, (si ea curanda iactura est,) conscriptum, multumque utilitatis historiae diligenti cultori allaturum.



Digitized by Google

NOVA ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipsiae
Calendis Augusti Anno MDCCLXXII.

ELEGIES DE PROPERCE,
Traduites par M. de LONGCHAMPS.

Amstelodami et Parisiis, apud le Jay, 1772. pagg. 610. forma octupla.

Gratum profecto debet esse et iucundum omnibus, qui bonas litteras amant, earumque studiis delectantur, resuscitari nuper in Gallia cepisse litterarum elegantiorum amorem, et veterum scriptorum cognoscendorum studium, quae hactenus fere deleta et exstincta iacuerunt. Nam cum adhuc is status, eaque fuerit doctrinae inter Francogallos conditio, ut, quae gens antiquis illis Stephanorum, Casaubonorum, Thuanorum, Valesiorum temporibus, verae doctrinae, et Graecae Latinaeque eruditionis laude reliquos populos fere omnes superasset, ea nunc, spreta abiectaque vera et solida doctrinae antiquae laude, inanem dubiamque novarum elegantiarum existimationem quaereret, et neglectis optimis quibusque antiquitatis auctoribus, ea amplecteretur, quae bella, si diis placet, suorum hominum ingenia, pro subtilibus, veris, novis, ingeniosis, venustis venditassent: iam laetior rerum facies eminere videtur opera

et ſtudio virorum quorundam doctorum, qui, cum ipſi elegantioris doctrinae copias ex litteratae antiquitatis monumentis collegiſſent, alios quoque ut ad ea perducerent, praeſidiisque eruditioni comparandae neceſſariis inſtruerent, variam operam navarunt. Cognovimus nempe proximis his annis, non modo exſtitiſſe in Gallia, qui varios Graeciae et Latii ſcriptores obſervationibus animadverſionibusque illuſtrarent, ſed etiam qui verſionibus horum ſcriptorum vernaculis adornandis ſtudioſos harum litterarum ad eorum lectionem allicerent. Et eſt ſane efficaciſſimum ad veterum auctorum amorem iuvenum animis iniiciendum, ſi in manus iis traduntur, bonae illorum verſiones, quarum ſuavitate capti, diligere diſcant et colere ſcriptores, quorum e libris hanc voluptatem perceperint, ſique monentur ſubinde, maiorem ipſos et puriorem voluptatem hauſturos, ſi, relictis his verſionum rivulis, ipſos Graecorum Romanorumque monumentorum fontes adiuerint. Sed hoc tam bono, tam laudabili conſilio, verſionem, cuius titulum praeſcripſimus, editam putamus a *Cl. Longicampenſi* (*Longchamps*), cui, ſi nihil aliud, primum hoc ipſum laudi ducendum erat, quod tam probabili conſilio ad ſcribendum acceſſit; deinde et hoc, quod *Propertium* potiſſimum illuſtrandum ſibi ſumſit poëtam, ſi quem alium, ſuaviſſimum, et cuius lectio inprimis prodeſſet ad imbuendos vero pulchritudinis ſenſu animos. Habet quidem eius lectio, praeſertim ubi primum in manus ſumſeris, aliquid difficultatis, tantoque magis interprete eget et adiutore: verum, ubi ſuperata hac difficultate magis magisque ei adſueveris, tanta reperitur eius praeſtantia, ut merito exiſtimetur reliquis omnibus, qui in hoc genere elaborarunt, palmam praeripere, cum uno tamen *Tibullo* ita de principatu contendere, ut in ſimplicitate candida, nitida, amabili, parum illi concedat, ſermonis vero puritas, ſuavitasque carminum et mollities, in utroque aequalis ſit, ſenſuum denique veritas varietasque, et poëticae eruditionis copia multo maior in hoc, quam in illo, reperiatur.

Vidit

Vidit hoc, et in praefatione ſatis dilucide expoſuit Cl. *Longicampenſis*. Scilicet *Praefationem* libro praepoſuit (*Diſcours préliminaire*,) in qua, breviter expoſitis quae de vita rebusque *Propertii* conſtant, hoc fere egit, ut ingenium eius laudibus extolleret, carminumque praeſtantiam lectoribus demonſtraret. Oſtendit igitur, *Propertium*, cum ſumma poëſeos facultate polleret, ad omne carminum genus aptiſſima, potuiſſetque, ſi ipſi viſum eſſet, grandioris oris poeta fieri, neglecto epico genere elegiacum ſibi elegiſſe, in eoque ita inter aequales excelluiſſe, ut non modo *Ovidium*, quem tantum ab ingenii felicitate, facultate inveniendi, et dicendi copia commendari putat, ſed ipſum adeo *Tibullum* ſuperaret; (in quo ſane aſſentientes ſibi habebit haud paucos, cum non modo inter veteres, auctore *Quintiliano* X, 1, ſed inter recentiores quoque, inde ab inſtauratis litteris, quamplurimi fuerint, qui *Propertio* principatum elegiae tribuerent,) nam in illo quidem omnia nimis ſimilia eſſe, et ſingularem mollitiem, qua carmina diffluant, interdum in languorem abire videri: noſtro vero poëtae, et miram omnium rerum varietatem, varietatem elegantem ſenſuum, et affectuum vehementiaeque haud parum ineſſe. Ceterum magnam ei commendationem accedere a nativa venuſtate (*le beau ſimple*,) quae ipſa metaphorarum multitudine ornetur et illuſtretur; a bono ordine, cui nihil a transſultorio poëtae ingenio derogetur; a ſermonis puritate et perſpicuitate; denique ab eruditionis copia, et ſumma peritia hiſtoriae et mythologiae antiquae. Quibus omnibus addidit nonnulla de difficultatibus legendi et interpretandi *Propertii*, et de ratione, quam ipſe in edendo, vertendo, et illuſtrando poeta ſecutus ſit. Sed de his poſtea quaedam admonebimus: nunc, quale opus ſit, quod *Longicamp.* nobis tradidit, exponemus.

Totius libri haec eſt ratio, ut ipſis carminibus latinis e regione adpoſita legatur metaphraſis Francogallica, poëtica illa quidem, ſed metris ſoluta, ſingulis vero elegiarum

libris subiecti cernantur *notarum et animadversionum (Remarques)* singuli libelli. Nimirum, ut utile dulci misceret, noluit Editor nudam versionem cum exemplari latino emittere, sed annotationes adiecit, modo breviores ad modum scholiorum, modo commentariorum instar longiores, in quibus aut de lectionis varietate iudicaret, aut verba poëtae et locutiones grammatice interpretaretur, aut integrorum locorum sententiam exponeret, aut historiae, mythologiae, antiquitatis capita explicaret, aut de venustate singulorum locorum, et integrorum carminum, lectores admoneret. His notis interdum longiores ex aliis scriptoribus *ἐκλογὰς* inseruit, maxime ex *Baelio*, e quo fere desumta sunt quae de scriptoribus antiquis, aut de partibus historiae antiquae minus vulgo notis, tradidit. Sic v. c. de Epimenide et Antimacho, poëtis Graecis, exposuit ad L. II. el. 36. de P. Terentio Varrone, ib. de Calvo et Catullo ad II. 26 de Phileta, elegorum scriptore, ad IV. 6; Tarpeiae, Vestalis, quae Romam Sabinis prodidit, historiam narravit ad IV. 4. Quod universum annotationum genus, non dubitamus, quin plerumque profuturum sit iis quibus maxime haec omnia scripta esse antea dicebamus: quodsi vero, quod in praef. in se suscepisse Editor videtur, difficillima quaeque Propertii loca, sive ab insolentiori loquendi genere, sive ab historiae et mythologiae antiquae ignorantia, difficultas obiecta fuerit, enodare his annotationibus et expedire constituit, huic quidem consilio non prorsus satisfactum esse, ex iis intelligitur, quae de ratione operis amplius dicturi sumus.

Itaque, cum primae interpretis partes in eo positae sint, ut de vera et genuina lectione libri, quem explicare constituit, circumspiciat, Cl. *Longicamp.* ipse quidem operam se ait dedisse, ut Propertius liber ab emendationibus, aut corruptionibus potius *Scaligeri*, (ita enim ille loquitur) prodiret, paucis vero locis necessariam medelam ipsum attulisse; si vero, quod est, dicendum, nihil aliud, nisi Propertium

talem

talem nobis dedit, qualis in vulgatis editionibus *Livineii*, *Graevii*, aliorum exhibetur, nonnullis in locis ex *Beroaldi* aut *Passeratii* copiis emendatum. Neglexit etiam illas transpositiones et commutationes, quas libris III. posterioribus, maxime secundo, induxit *Scaliger*, et repetiit in sua editione *Brukhusius*; ideoque hos 3 libros secundum vulgarem ordinem edidit. Jam etiamsi vehementer probamus modestiam Criticorum, qui receptam et vulgarem librorum lectionem non, nisi propter magnas difficultates, abiiciunt, studentque potius explicare verba, quam emendare: tamen non possumus nobis persuadere, eo modestiae aut potius metus procedendum esse interpretibus, ut ne impeditis, ne desperatis quidem in locis, audeant vel meliorem librorum aliorum lectionem praeferre, vel probabiles virorum doctorum coniecturas sequi; praesertim si vulgata lectionis natales nec certos, nec antiquos nec ingenuos esse constet. Atque ita res habet in Propertio, cuius vulgaris contextus, quem dicunt, plerumque fluxit ex uno libro scripto, eoque lacero, multaque admixta habet ex coniectura *Avancini* et *Beroaldi*. Nam *amico* II, 36, (Scal. 25.) 1. est a *Beroaldo*, cum in antiquioribus fuerit *amori*; idem II, 23, 4. (18, 54 Scal.) *commissa* nobis obtrudit pro *promissa*; nec non III, 9, (7, Scal.) 12. *Pyreicus* pro *Parrhasius*, et v. 44. *Coë* pro *dure*, (quod Scriverius legebat *Dore*,) ponere non est veritus; pro quibus meliora ex libris antiquis dare, nemini religioni fuerit. Deinde Scaligerianas correctiones singulorum verborum, et ordinis versuum, etsi non omnes probamus, ut qui fere nimis in hoc genere magnum virum ingenio suo indulsisse putemus: tamen non negandum est, esse inter eas, quae cum statim se luculentissima veritatis specie commendaverint, tum postea MSS. librorum auctoritate ita firmatae sint, ut de earum veritate vix liceat amplius dubitare. — Ceterum Editor noster in ista sua ratione non satis sibi constat; non semper enim vulgares Propertii recensiones imitatur, sed est ubi alias lectiones exhibeat, sive e libris MSS.

ductas, quos priores editores usurpaverant, sive ab eorum ingenio profectas. Nam quod II. 15, (12. Scal.) 28. legitur *tutum*, non est ex vulgata recensione, quae *totum* habet, sed ex coniectura *Livineii*, quam *Passeratius* probaverat; et III. 1, 29. *sub armis*, legit contra editt. antiquiores, cum *Passeratio*; atque etiam pro vulgari *divitiis* et *dape*. IV. 4, 74. 76. rectissime quidem, sed tamen ex *Beroaldo* et *Passeratio*, reposuit *deliciis* et *pedes*. Atque omnino in hoc genere haud sane laudabilis dominatur, Edit. nostri inconstantia, qui tam parum secum ipsi convenit, ut adeo in versione aliam nonnumquam lectionem sequatur, quam quae in contextu legitur; certe el. 36. (Scal. 25.) lib. II. v. 12. cum in contextu sit *Posset et in tanto v. f.* versione alteram lectionem exprimit, *Posses*, quae nobis quidem verior videtur. — Verum, ut lectores habeant, unde de facultate critica Editoris iudicent, proferamus ex Annotat. nonnulla criseos exempla. Sex illos versus, qui apud nostrum conficiunt eleg. 11. lib. II. *Scaliger* cum praecedente carmine coniunxerat: negat ille hoc recte factum; nam in toto illo carmine, odae potius, quam elegiae simili, laudes Augusti cani, ei male convenire hanc clausulam, *Scribant de te alii*, in qua tristibus elegiae numeris Cynthiae perfidiam poeta queratur. Nihil poterat verius: nam si vel maxime elegiae 10. (8. Scal.) cum Scaligero praeponamus quatuor versus, *Non ob regna magis &c* ut tamen aliqua Cynthiae mentio in hoc carmine exstet: tamen vel sic male cohaerent omnia, cum in illis quatuor prioribus ardentissimum Cynthiae amorem poëta profiteatur, in sex posterioribus vero maximum contemtum puellae prodat, et irae suae adversus eam indulgeat. — Sic I. 17, 16. reiecta et antiq. editt. lectione, et Scalig. emendatione, *evoluisse*, praefert *eviolasse*, quod est in plerisque libris, et in notis defendit; quod recte factum, non prorsus negamus, modo hanc lectionem accuratius explicasset. Contra non possumus probare, quod cum verum esse vidisset, *rates curvas* III. 7, (5. Scal.) 41. tamen retinuit

retinuit *curvae*, quod III, 6, (4.) 3. *Dum* retinet et defendit, quod intelligi non poteſt, nec, quod in his verbis eleg. 7. l. III *Ultima quae Poeto noxque diesque fuit*, abſurdum eſſe et venuſtatem omnem tollere pronuntiat τὸ *voxque Jani Douzae*, et vulgatam lectionem, interpretando de die caliginoſa, quae nocti ſimilis fuerit, iuvare ſtudet. Nec ſatis placet, quod III. 6, (4.) 6 pro vulg. *At qualem* ſubſtituit *Aequalem*, quod verbum utcunque interpretatur, ut nobis videtur, ex Phil Silvio. Si quid audendum eſt in loco non ſano, vellemus, modo MSS. addicerent, *Atque aliam*, hoc ſenſu: Ille ergo temere, ſine ulla cauſſa, me reliquit? et tamen aliam ſe habere negat? tantum ergo abiit ut me ſolam iacere gauderet? — Conſtat, opinor, quid verbum *habere* in tali cauſſa ſibi velit.

Sed veniamus ad interpretationes, de quibus, ut verum fateamur, non adeo magnifice ſentimus, cum ſaepe quidem verum acute viderit, et perſpicue expoſuerit, ſed ſaepius fere in explicando poëta peccaverit. Jam ſi quis in interpretando poëta noſtro, cuius lectio haud parum difficultatis habet, interdum erraverit faciles quidem nos erimus in erroribus condonandis; ſed ab eo, qui et difficultates omnes ſe perſpexiſſe profitetur, et ſuperiorum interpretum errores ſatis acerbe exagitat, ab eo igitur prorſus praeclari quid iure noſtro exſpectamus, cui exſpectationi ſi non ſatisfecerit, vix nobis temperamus, quin Horatianum illud de magno hiatu in aurem ei inſuſurremus. Et tamen bonus *Longicamp.* in praefatione, poſtquam de difficultate intelligendi Propertii expoſuerat, illud addiderat, nihil praeſidii poſſe ab interpretibus peti: nam *Marollii* verſionem miſeram eſſe et ineptam, verboſum *Paſſeratii* commentarium eruditionem iactare, non poëtam illuſtrare, *Beroaldi* interpretationes ipſo libro eſſe obſcuriores, *Scaligerum* vero ea explicaſſe, quae explicatione non egerent. In quo cum veriſſimum iudicemus, quod de Marollio dicitur, non poſſu-

mu,

mus calculum noſtrum adiicere reliquis, quibus et Scaligeriano nomini, et aliis bonis viris, pro temporum ratione bene de re litteraria meritis, iniuriam factam cenſemus. Ceterum de recentiſſimis interpretibus, *Brukhuſio* et *Vulpio*, altum ſilet ſilentium; quod ab initio quidem ſuſpicabamur conſulto factum, quemadmodum in *Phil. Silvio*, quem interdum exſcripſit, numquam nominavit; ſed cognovimus poſtea non ſine admiratione, propterea factum eſſe, quod neutrum Editor noſter legiſſet. Adeone doctiſſimum et elegantiſſimum poëtarum interpretem *Brukhuſium*, adeone *Vulpium* quoque in Gallia ignotum eſſe? Vix credam. Quidquid tamen ſit, difficultates multas *Longicampenſis*, quem ſua laude minime fraudari volumus, bene expedivit, et verba, locutiones, loca integra, ſaepe bene, interdum melius quam ſuperiores omnes, interpretatus eſt. Nam *ſacra Philetae* III. 1, 1. explicat *manes Phil.* recte; nam et aliis in locis Prop. manes vocat *ſacra;* nec minus bene exponit, quid ſit *auribus bibere*, ad III. 6, (4.) 8. eamque locutionem locis ſimilibus poëtarum bene delectis illuſtrat. Rurſus el. 12, (10.) 17. puellam nullo timore monitam bene monet eam eſſe, cui nullus cuſtos adſit, quem metuat. et el. 5, 18. (3, 40.) *aptam mortem* docet eſſe eam, quae iuſto tempore adveniat, eamque *parca die* venire, cum haud longa mora, haud lenta veniat. Sed non modo in verbis, verum etiam in rebus explicandis, quae ad hiſtoriam vel antiquitatem ſpectant, ſatis bonam plerumque operam navavit: ut cum II. 7, (6.) 1. interpretatus eſt, de lege Julia de maritandis ordinibus, (ubi tamen hoc non bene habet, quod vere ſublatam ab Auguſto hanc legem tradit, alia enim omnia docet *Sueton.* Aug. 34.) cum *Sidoniam mitram* II. 31. (22.) 15. dixit eſſe purpuream, et in annot. hoc ornamenti genus uberius deſcripſit, et cum aliis multis in locis fabulis antiquis tradendis poëtam illuſtravit. Integras vero ſententias, etiam obſcuriores, ſaepe ſic reddidit, ut vix poſſit melius. Nam quae leguntur IV. 5, 44. ſ. *Prenez pour modèle*

Digitized by Google

dèle cette opulente Thaïs, que l' élégant Ménandre introduit dans ses Comédies, se jouant d'une troupe de Valets fripons, bene respondent latinis, recte intellectis; et illa eleg 26. lib. II. (Scal. 19, 47.) verba: *Et si secla forent &c.* quae multum negotii interpretibus fecerunt, optime vidimus a nostro explicata, eum in modum, quo elegantissimus *Brukhusius* ea intellexerat.

Sed in his aliisque locis, quae ab eo bene exposita cernuntur, nobis quidem magis videtur aut ingenii quadam felicitate, aut superiorum interpretum bonis usus, quam iusta et accurata latinae linguae, sermonis poetici, historiae et antiquitatum cognitione, quae quidem tractandis ipsis Graecis Latinisque scriptoribus comparata sit, et legendis praestantissimorum Criticorum commentariis aucta et confirmata. Quod ut nobis persuaderemus, fecerunt errorum haud levium exempla, quos profecto erraturus non erat, si ab illa, quam diximus, cognitione instructus, ad interpretandum venisset. Non enim dicturus erat, in his II. 19, (15.) 19. *reddere pinu Cornua*, ablativum *pinu* pro dativo positum esse; non effícturus nobis erat ridiculum commentum, *Perimedeam* manum II. 4, 8. (1, 74.) novo verbo dici eam, quae sit *peritior Medea* ipsa – scivisset enim, *Perimeden* (*Theocrit.* Id. 2, 16.) f. ut apud Homerum dicitur, Agameden, celeberrimam veneficam fuisse, quae φάρμακα τόσα οἶδε ὅσα τρέφει εὐρεῖα χθών; nec ad illud I. 22, 1. *pro nostra semper amicitia* simpliciter adscripturus erat, hoc elegantius dici quam *longam amicitiam*, sed potius interpretaturus *perpetuam amicitiam*, elegantiamque imitatione Graecorum definiturus erat. — Sed quia de imitatione Graecorum iniecta est mentio, plane negat noster, in Propertii carminibus Graecismos occurrere, scriptorem purum esse, omnes in eo verborum structuras pure latinas, nihil peregrini admixtum habere; quod quomodo in mentem ei venerit, vix intelligimus. Nam profecto, Propertium ab imitatione Graecitatis

liberare velle, id vero nescimus an sit nec graece nec latine doctum esse. Sed videtur bonus vir puritatis verbo deceptus metuisse, ne poetae sui latina puritas Graecarum formularum peregrinitate commacularetur; de quo poterat esse securus, cum, iudice optimo quoque dicendi artium inter veteres magistro, atque ipso *Horatio*, ne verba quidem nova, quae de Graeco fonte ducta sint, multo minus formulae loquendi ad Graecae linguae consuetudinem formatae, latini sermonis puritati detrahant. — Ceterum illi suspicioni nostrae speciem aliquam veritatis conciliant et verba male intellecta, et exempla structurae et seriei verborum non perspectae. Ita I. 18, 6. satis mirabiliter vertit: *Quelle époque assignerai-je aux larmes que tu me fais répandre*; scilicet *principium*, quod hic caussam significat, pro *initio* sumsit. Non accuratius hoc, quod II. 10. (8, 13. Scal.) *subductum vultum* ait respondere erecto, sursum adducto, et hinc vertit *une démarche fière.* Immo antea Propertius, amorum et elegorum scriptor, vultu erat hilari, erecto ore, circumvolitantibus oculis, levis in omni incessu; nunc, ubi epos meditari coepit, gravior, severiori vultu, demissis oculis, quasi cogitabundus incedit: haec est subducti vultus gravitas. III. 4. (3.) 9. explicat vertitque *les Manes de Crasse;* immo *la defaite de Crasse:* Crassos cladesque, i. e. Crassi cladem. — Ex versione verborum III. 9. (7.) 57. *O vous qui protégez ma jeunesse encore tendre*, videatur quidem patere, *mollis* ad *iuventae* relatum esse; sed ne quis erraret, in nota adscripsit, ad *fautor* referendum esse, et *mollem fautorem* esse facilem, benignum; non ita rem instituisset, si Brukhusium legisset. — II. 36, (25.) 4. Formosam raro non sibi quisque petit: — facile speramus, unumquemque intellecturum, haec ita iungenda esse: Quisque raro sibi non petit, h. e. nemo facile est, qui sibi non petat; sed *Longicamp.* noster sic iunxit: Raro quisque formosam petit non sibi, atque hinc talem nobis versionem extricavit: *Rarement est ce pour le compte d' autrui, qu'on sollicite une belle*

Digitized by Google

belle femme; hac tam superflua sententiola poteramus carese. I. 1, 25. 26. *Et vos, qui sero — Et vous, dont les soins tardifs voudroient m' arracher de l' abime:* immo: *dont les s. t. prétendent m' arr.* Nam sensus hic videtur esse: Vos, qui, cum tandem me lapsum et amore puellae tactum animadvertatis, revocare monendo hortandoque abstrahere ab isto amore et avellere studetis, hoc potius agite, ut remedia amoris suppeditetis, agite, admovete manus: etiamsi secandum urendumque fuerit, tamen fortiter patiar, modo hoc consequar, ut irasci possim durae puellae, e. q. s. — Sed praeter haec loca adsunt et alia, ex quibus vix quidquam aliud, quam hoc colligere possis, non inesse in Editore nostro eam antiquitatis, historiae, mythologiae scientiam, quam Propertius ab interprete suo iure desiderare potest. Nam cum Prop. Romanos iubet *solitum armigeri ducere munus equi*, III. 4, (3.) 8. equum intelligit, qui imperatori ad bellum proficiscenti publice dabatur; vid *Lips.* ad Tacit. Ann. XV. 7. laudatus etiam *Brukhusio* ad h. l. — Sed hic noster nescio quas turmas equestres videt: nescio tamen an peius III. 9, (7.) 24. converterit: *de dicter des loix en plein Sénat*; nam plenus Senatus non habebatur *medio foro*, et leges ferre longe est aliud, quam *iura ponere*, s. dare; haec enim est descriptio officii Praetoris, qui in foro ius dicebat. Illud vero, quam parum accurate, quod Illyricas terras II. 16, (13.) 1. ait esse, quae nunc Slavoniae nomine veniant. Tum in fabulis mythologiae narrandis etsi multus est, tamen non satis accuratus. Ad eleg. quidem 1. lib. I. quod scripsit Milanionem eundem esse atque Hyppomenem, male fecit; nam Atalanta, Iasi f. quae Milanioni nupsit, longe alia est a Schoenei filia, quam Hippomenes duxit, vid. *Micyll.* ad Ovid. Met. VIII. 318. *Perizon.* ad Ael. V. H. XIII. 1. licet non negandum sit, utriusque historiam saepe a poetis inter se misceri et confundi, quod docuit *Barth.* ad Stat. Theb. VI. 563. — Ibid ad v. 13. 14. no-

tavit p. 78. Hylaeum ramum esse simpliciter arcum, sic dictum a Hylaea sylua, Hyli Centauri domicilio, tota vero metaphora indicari sagittas Cupidinis, quibus Milanion vulneratus sit. Pessime: poterat enim et debebat ex *Ovid* Art. Am. II. 191. scire, Milanionem aliquando ab Hylaeo Centauro vulneratum esse, cum eius scelus in Atalantam commissum punire vellet; conf. *Spanh.* ad Callim. H. in Dian. 222. — Sic I. 18, 20. simpliciter reddidit: *Pins, consacrées au Dieu de l'Arcadie*, nihil addidit de Pity nympha, in pinum arborem commutata, ad quam illud refertur: *Arcadio amata* (vel *amica*) *Deo.*

Monuimus antea, non iustam curam restituendo contextui Prop. adhibitam esse, sed plerumque in lectione vulgarium editionum, bona, mala Editorem acquievisse. Sed haec vel timiditas, vel negligentia, hoc habuit incommodi, ut saepe male sanae lectionis non bona interpretatio proponeretur. Sic III. 4, (3.) 5. legit: *Sera sed Ausoniis veniet provincia virgis*, et explicat: Remotissima India provincia Rom. fiet. — Sed ubi Indiae est nomen? et quomodo tandem *sera* terra dici possit pro longinqua? — Nimirum, valeant editt. antiquae cum suo *sera sed*, et recipiatur proba *Jani Gulielmi* emendatio, quae saltem ex *Posseratio* nostro cognita esse debebat: *Seres et Ausoniis venient pr. v.* — I. 16, 13. *Has inter gravibus &c.* parum accurate interpretatur, si tamen ea non potius divinatio, quam interpretatio dici debet, nam sensum utcunque studuit coniiciendo assequi; scilicet lectionem patet esse corruptam, neque adhuc a quoquam idonea ei medicina allata est. Sed minus impedita caussa erat II. 36, (25.) 1. si cum antiquissimis editt. legebat *amori*, pro illo suo *amico*; et tamen, ut falsam lectionem explicet, Ovidii querelas de perfidia amicorum repetit, atque adeo Gygis et Candaulis historiolam narrat. Similiter ad v. 29. multa tradidit de Epimenide huc non facientia: legit enim

Digitized by Google

enim *Cretaei*, eumque putavit Epimenidem esse. Verum vicina Socraticorum librorum mentio facit, ut nunc de philosopho potius cogitemus, qui carmine de philosophia scripserit; quamobrem nihil poterat felicius excogitari a *Turnebo* et *Scaligero*, quam quod pro *Cretaei*, *Lucreti* reponi iusserunt, cui egregie convenit proxima senis, i. e. Epicuri mentio. — Satis erat errorum, qui ex hoc fonte corruptae lectionis fluxerunt; sed Editor aliam sibi quaesivit, non minus copiosam errandi materiam, cum interpretes secutus est nullius nec pretii, nec honoris. Non hoc dicam, eum interdum nimiam fidem habuisse *Beroaldo*, velut in explicando IV. 7, 21. 22. hoc enim ferri poterat; quamquam de isto loco potius vid. *Douza* in Praecid. pro Prop. II. 4. et *Scalig.* ad h. l.: sed hoc dicam, eum saepe nimis tribuisse *Phil. Silvio*, non probando interpreti, atque adeo ipsi illi *Marollio*, cuius versionem in Praef. tantopere reprehendit. Nam cum Noster locum difficilem III. 20. (18.) 4. sic reddit: *et tu répands plus de larmes, que les conquêtes de Scipion n'en arrachérent pas à toute l' Afrique*, unde hoc habeat, nisi ex *Marollii* versione: *Toute l' Afrique fut elle jamais si remplie de larmes?* Tum II. 31, (22.) 21. si non imitatus est *Marollium*, at eundem cum illo errorem erravit, vertendo: *aprés m' avoir rendu mon manteau*; nam Propertius Romanus non utebatur pallio. *Phil.* vero *Silvius* haud raro nostrum decepit. Libri quidem III. el. 4. (3.) v. 18. huius interpretis sollertia nobis dedit reges captivos, ad trophaea Rom. nescio quo modo ligatos; atque hoc in versione noster expressit: sed verum sensum docuit *Gronov. Brukhusio* ad h. l. laudatus. In re simili Africa *tonsa* dicitur IV. 11, 38. e more Rom. captivos tondendi; sed *Silvius* putaverat significare fractam et prostratam penitus; hinc noster vertit: *dont les images attestent la ruine entière de l' Afrique.* Rursus in his: *Fama nec ex aequo ducitur ulla iugo*, III. 9, (7.) 8 cum *Silvius*, qui *Passeratium* non intellexerat, dixisset iugum pro fonte poni, Editor hunc sensum inde expres-

ſit: non omnem ubique gloriam omnibus ex eodem fonte manare; male. Nam *aequum iugum* eſt aequalis labor, eadem ars, idem operae genus; (ſcilicet poeta noſter ſolet *iugum* pro labore dicere, quod cum non animadvertiſſet Noſter, etiam haec IV. 10, 4. *Non iuvat ex facili lecta corona iugo*, male de radicibus Heliconis montis accepit.) ex eo negat Prop. *unam famam* duci, (nam *una* legendum eſt pro *ulla*,) i. e. ex eadem arte eandem omnibus gloriam venire. — Sed non modo illi de faece Commentatorum homines, verum etiam *Paſſeratius*, probabilis interpres, noſtrum *Longicamp.* interdum in errorem induxit, cuius rei luculentum exemplum eſt II. 36, (25.) 45. 46. ubi ita Noſter; *Nos Belles ſont peu de cas des grands Poetes. Tout le ſublime d' Homére, et d'Antimaque, ne te défendroit pas contre les traits de l' Amour.* Scilicet prioris verſ. 45. explicationem exſcripſerat ex *Paſſeratio*, cui ut alterum ſimilem redderet, ipſe eum ſolus ſua opera corrupit, et ex magnis diis fecit magnos h. e. epicos poetas. Quodſi ſimplicem ſingulorum verborum ſenſum ſpectaſſet, hoc fere vidiſſet loco integro ineſſe: Tu non magis ab amore tutus eris, quam Homerus Antimachusve, nam dii adeo ipſi amori obnoxii ſunt, dii adeo ſaepe a puellis male ſe haberi patiuntur. Sed maluit Noſter argutias ſectari, quam ſimplicem veritatem quaerere. Atque omnino ad argutandum valde proclivem cognovimus; hinc variae quaeſitae et contortae facillimorum locorum interpretationes: ut cum *veſanum* amorem II. 15. (12.) 30. opponi putat amori vero, et neſcio quas minas Propertii inde exſculpit; quae ſunt merae argutiae, cum *veſanus* de more poetarum tantum dictum ſit pro *ingens*, *vehemens*, idemque et verus et veſanus amor dici poſſit; cum non ſine mathematicae doctrinae apparatu explicat *tarda ſidera* II. 35, (24.) 24. quae tanto apparatu non egebant; cum el. 6. (4. Scal.) lib. III. ſine cauſſa, atque adeo repugnantibus nonnullis carminis locis, pro oratione Propertii a capite ad calcem procurrente, nobis exhibet dialogum domini et Lygdami

Digitized by Google

Lygdami serui, quo bene poteramus carere; et quae sunt eius generis plura.

Atque haec hactenus copiosius exposuimus, partim ut haberent lectores nostri, unde de interpretandi facultate, a qua praecipue hunc librum spectari existimamus, rectum iudicium ferre possent; partim ut appareret, haud iniquos nos in Cl. *Longmcampensem* fuisse, cum de eius opera in explicando poeta collocata mediocriter sentiremus. Jam vero de versionis ipsius ratione atque indole pauca dissèremus, quam si similem esse dixerimus plerisque veterum scriptorum versionibus, qua hac tempestate a Francogallis adornatae circumferuntur, id putabimus nos dixisse, quod ad agnoscendum eius ingenium sufficeret. Nam quae solent ceteris versionibus Francogallicis impressa inhaerere negligentiae, levitatis, et inconstantiae vestigia, eadem et in hac, quam prae manibus habemus, dispersa exstant. Modo idem reperitur in versione, qui in ipso Propertio est, orationis color et habitus, modo in aliam formam poeta mutatur; modo comparationum, metaphorarum, imaginum, ornatusque universi elegantiam versio conservat, modo aut minuit aut auget; denique *nil fuit unquam tam dispar sibi.* Et tamen alia omnia sperare nos iubebat praefatio, in qua ipse sibi Interpres eas vertendi leges scripserat, quas non poteramus non assensu nostro comprobare. Nam bonitas, inquit, versionis cuiusque in eo cernitur, ut sententiam mentemque scriptoris accurate reddat; in carmine vero vertendo diligentissimus censetur, qui sensus affectionesque poetae, et imagines ornatumque reliquum, ex quo ingenium poetae elucet, maxima perspicuitate oculis lectorum subiicere novit; quod qui facere aggressus fuerit sentiet, non pro singulis verbis latinis singula vernaculae adnumerari, sed, ut ingenio poetico nil derogetur, verba interdum esse negligenda; itaque etiam, si quam locutionem imaginemve in vernaculo

naculo sermone maiori obscuritate quam latinam labo rare intellexerit, clariorem in eius locum, si quam minori vi animum ferire, efficaciorem substituet. — Bene haec hactenus; et vellemus tam recto iudicio semper in vertendo usum: sed saepe his ipse sese soluit legibus. At poterat sane eas servare, poterat bene vertere; norat enim et mirabatur ingenium Propertianum, vim omnem et naturam carminum perspexerat, sentiebat elegantiam et suavitatem ornatus; de quo dubitare nos non sinunt recti iudicii specimina, quae passim in notis edidit. quo pertinent, quae de ratione et indole metaphorarum et imaginum poëticarum in Prop monuit, p. 296. quae de elegantia et singulari suavitate elegiae 18. lib. I. dixit, quae de venustate singulorum locorum docuit, v. c ad II. 36, (25.) 5 6 &c. Quid ergo caussae dicamus esse, quod tam negligenter Propertium in Francogalliae sermonem converterit, ut nonnunquam plane alium poetam exhibuisse videatur? Nam interdum ornatum poeticum vel non perspexit, vel perspectum negligentius praetermisit; interdum maiorem ornatum versioni conciliavit, quam ipse suo carmini Prop. dederat, et fere alieno posuit loco. Est ubi affectata vel perspicuitatis, vel elegantiae laude, orationem poetae ex nitida incomtam, ex vehementi languidam reddiderit; est etiam, ubi plane omiserit, quae aut non satis intellexisset, aut conversa nitescere posse desperasset. Quae crimina ne videamur nullo ipsius merito in eum congessisse, exempla ponemus. Statim ab initio Lib. I. eleg. I. v. 4. ita de se Prop. *Caput impositis pressit Amor pedibus*, contumelia militari eleganter ad se translata, qui ab Amore victus esset. Sed nescio quomodo hoc non satis perspicuum aut elegans nostro visum sit; dedit enim: *Je sentois ma tête se courber sous le joug de l'Amour*; vitiose: nam metaphora submissi collo iugi ex alio fonte ducitur, habetque alium usum. Ibid. v. 17. 18 elegantem prosopopoeiam, qua Prop. Amorem ipsum cogitantem, deliberantem,

tem, iam vero consilii expertem inducit, eam ergo versione sua Noster tollit, et languentem trahit sermonem: *Ce n' est que pour moi qu' elles sont épuisées, ces ressources, que je connus si bien autrefois;* contra v. 34. ubi poeta simpliciter: *Et nullo vacuus tempore* — — —, ibi noster maiori quam opus erat ornatu: *et l' Amour empoisonne tous les instans de ma vie.* L. I. 16, 7. ubi ianua inducitur querens, quod, cum olim triumphales honores saepe viderit, nunc lascivae dominae dedecora pati cogatur, ibi ergo, nullo iudicio, dedecus summum non minori verborum magnificentia describit, quam ipsum triumphi honorem: *Ces couronnes suspendues à mon ceintre, ces torches renversées sur mon seuil, sont d' éternels monumens du désespoir ou du triomphe de la débauche.* II. 36. (25.) 44. in versione non exprimit *dure poeta*, quod nunc haud exiguam vim habet. Sed III. 1, 2. magna pars ornatus non intellecti periit, in versione horum verborum: *in vestrum me finite ire nemus*, quae talis est: *Laissez-moi pénétrer dans les retraites ombragées, ou vous futes inspirés*, quod est plane a consilio poetae alienum. Nam *vestrum nemus* nunc est *nemus vobis sacratem.* Scil. poeta Callimachum et Philetam nunc deos facit, nemus iis consecrat, se ipsum sacerdotem eorum profitetur; in quo dicere non attinet quantum sit elegantiae, quod omne noster passus est e manibus elabi. L. III. 7, (5.) 41. misere fregit insignem vim loci perpulchri, cum ita reddidit: *Hâtons nous maintenant de voguer sur des frêles vaisseaux, de fabriquer ces machines meurtrières!* Quam languida haec, quam paene nihil ad latina: *Ite, rates curvas et leti texite caussas!* Lib. IV. el. 4, 94. omisit haec verba: *O vigil iniustae praemia fortis habes*, quod aliquid difficultatis haberent; at erant tamen bene, et loco suo, nec sine aliqua efficacia posita; et erant aliis in locis multa non sine insigni dilectu posita, quae Noster vel omisit, vel permutavit, vel in aliam formam transfiguravit; denique saepe hoc sibi sumsit, ut carminis habitum effingeret qualem ipse vellet.

Ceterum, hoc quidquid est admonitionis, non ita volumus intelligi, ut nihil frugi in hac versione putetur inesse. Sunt potius inter illas inconstantiae maculas interspersa, velut in nubilo coelo stellulae, admodum bonae versionis exempla, quae non solum recte et concinne reddat sensum, sed etiam carminis habitum et indolem, quantum in alia lingua fieri potest, satis bene imitetur. Quod quidem facile quisque intelliget harum rerum peritus, qui haec cum latinis comparaverit: *Non, je n' eus jamais l' idée d' une pareille vengeance; ta cruauté l' autorisoit sans doute; mais les pleurs qu' il t' eut fallu répandre, poourvoient altérer l' eclat de tes beaux yeux, et ce malheur me dévoueoit toujours aux justes fureurs de Cynthie:* I. 18, 13. seq. — aut haec: *Espion de ta Maitresse, me dit-elle, qui t' améne en ces lieux si matin? as tu jugé de mes moeurs par celles de tes semblables? &c.* II. 31, (22.) 31. seq — Nec minus bene redditus videtur locus ille celeberrimus de laudibus Virgilii, II 36, (25.) 61. seq. de quo bonum legitur iudicium in Annot. p. 334. ubi hoc inprimis recte monetur, non esse nimis urgendum illud: *Nescio quid maius nascatur Iliade;* non videri a Propertio Virgilium vere praepositum esse Homero, sed dandum aliquid esse et amori Propertii erga Virgilium, et poeticae augendi facultati. — Placuit etiam plerumque eorum locorum versio, quibus obscoenitatis notam poetae lascivia inusserat; nam in his hoc sibi consilium fuisse Editor in praef. professus est, ut nimis denudatas imagines, quarum adspectum honestis oculis parum gratum fore, praeviderit, velo quasi versionis obduceret tegeretque; quod consilium satis feliciter ei cessit. Sed cum cupidi essemus videndi, qua ratione, quibus quasi obtegumentis involvisset lascivam picturam, quae lib. II. eleg. 15. (12. *Scal.*) proposita est, vehementer mirabamur, eam non tectam, non velatam, sed plane ex oculis et conspectu omnium sublatam esse: nam ibi pagina vacua comparet, versio plane nulla. Sed cum in annotat, non modo nulla huius omissionis ratio reddita sit,

sed

et tamen verſionis, quae nusquam cernitur, quaedam particulae ibi illuſtrentur, hanc lacunam non tam a pudore Editoris, quam a ſeveritate cenſorum publicorum inductam putamus.

Animus erat ſubiicere his omnibus integrae elegiae, et quidem longioris, cenſuram, ut lectores et criticae artis, et interpretandi facultatis, et vertendi peritiae, quae Noſtro inſunt, in utramque partem exempla haberent ex eodem loco deſumta; eique conſilio deſtinabamus Lib. IV. elegiam 1.: ſed quia nos modum fere iam exceſſiſſe animadvertimus, pauca tantum ex huius elegiae verſione et animadverſ. excerpemus, quae lectores noſtros nolumus ignorare. Iam ſtatim ab initio bene diſſeruit de inſigni Propertiani ingenii ſignificatione, quae his Romae laudibus continetur, niſi quod eas non bene comparavit cum loco Virgiliano Georg. II. qui ex alio genere eſt. Quod vero ad deſcriptionem et *οἰκονομίαν* carminis attinet, recte videt, magnam vim ei, et elegantiae haud parum inde conciliari, quod oratio Prop. repente interpellatur non opinato Genethliaci interventu, a quo lepide fingit fata ſua ſibi evolvi. — Ceterum hoc carmen ſic ſatis bene interpretatus non incommode tranſtulit, ſed tamen pro more ſuo ſubinde negligentius tractavit. Nolumus ergo commemorare, qaod valde bene convertit, v. 53. ſeq. *Grecs, raménez ce cheval etc.* bene etiam v. 56. *Quel peuple de Heros* poſuit pro moeniis Rom. quae ſunt a Prop. pro incolis poſita; nec contra, quod in verſione v. 33. verbum *ſuburbanae* neglexit, quod qualem vim habeat, optime intelligitur ex *Floro* I. 11. *Tibur nunc ſuburbanum et aeſtivae &c.* nec quod aedem Apollinis Actii in Palatio v. 3. et Decios Brutique Conſulatum v. 45. contra inſtituti ſui rationem ſine interpretatione transmiſit; nec quod v. 146. longe alium ſenſum dedit, quam qui eſt in latinis: ſed duo tantum aut tria loca, quae admonitione egent, adſcribemus. V. 73. ſeq. ita edidit:

Digitized by Google

Quo ruis imprudens vage dicere facta, Properti?
Non sunt a dextra condita fila colo.
Accersis lacrymis cantus: aversus Apollo.
Poscis ab invita verba pigenda lyra.

et in interpretando valde fluctuavit, inprimis quoad illa: Accersis lacrymis cantus; quibus verbis tandem putavit contineri carminis elegiaci descriptionem, quod triste sit et lacrymosum. Contorta haec sunt, et facile patet, verba ipsa non integra esse; nec iuvat *Scaligeri* emendatio, qui ex librorum MSt. vestigiis reponebat: *Accersis lacrymis Charites.* Itaque libenter amplecteremur elegantissimam *Nic. Heinsii* coniecturam, qui ad *Ovid.* Art. Am. III. 672. ita legi iussit:

Quo ruis imprudens vaga dicere facta, Properti?
Non sunt, ah, dextra candida fila colo
Aversis Charisin cantas: aversus Apollo
Poscitur invita verba pigenda lyra;

nisi haec nimis recederent a lectione libr. scriptorum et editorum omnium, inducerentque praeterea Graecam flexionem verbi *Charisin*, haud quidem insolentem apud poetas, sed tamen non sine auctoritate librorum inducendam. Quid ergo, si propius ad vestigia librorum antiquorum, eodem sensu, sed nescimus an maiori concinnitate sic legamus:

— — — — —
Non sunt tam dextra condita fila colo;
Aversae Charites, cantuque aversus Apollo
Poscitur invita verba pigenda lyra.

Charites

Charites est in libr. quos Scaliger vidit; praeterea in omnibus non *cantas* sed *cantus*, unde facile nobis licebit *cantuque* fingere; tum *a dextra* in versu minori facile potuit pro *tam dextra* exhiberi, si sic antiquitus scriptum fuit: *Non sunt tamdextra* — ; et *condita fila*, secus quam *Heinsius* putabat, recte dici arbitramur cum *Burmanno* ad Ovid. l. I. et Valer. Flacc. I. 531. — V. 83. seq. debebat tandem aliquando bonam *Scaligeri* emendationem sequi, qui hos versus, misere, et sine sensu traiectos, ordini suo et loco reddiderat; sed retinuit Noster antiquam confusionem omnium, hinc in interpretando valde se torsit. — V. 41. vero et seq. ipse sensum turbavit, traiiciendis in versione, quae in contextu suo loco posita erant: Si *les Bataillons &c.* ubi potius vertisse debebat: *Déja les Dieux lui promettoient une destinée glorieuse, lorsque les Soldats, vomis des flancs du Cheval de bois, épargnérent ces Troyens fugitifs, lorsque la flamme respecta la piété du Heros, qui portoit sur ses épaules son Pere tremblant.*

Sed ex his omnibus facile putamus lectores nostros intellecturos, hanc Propertii editionem iuvenum quidem usibus in Gallia, ad comparandam aliquam Propertii cognitionem, haud male accommodatam esse: ceterum apud nos, et si cum principibus editionibus comparetur, mediocri loco habendam et pretio. Quo magis nos laetamur, novam elegantissimi poetae apud nos editionem parari a Cl. *Barthio*, Scholae Portensis Collega III. qui de consilio suo, et operis ratione, nuper exposuit in Epistola ad Cl. *Geislerum*, qui Erlangae Iurisprudentiam docet. Cui viro docto cum felicissimos successus apprecemur, tum auctores etiam fuerimus, ut inter ceteras editiones, quas et tractavit adhuc, et in posterum tractaturus est, non negligat et hanc Parisiensem evolvere; non tam ut a vitiis eius sibi caveat, de quibus non opus

est virum doctum admonere, quam ut eius bonis, si qua ei sunt peculiaria, ad ornandum illustrandumque poetam suum bene utatur.

CODEX DIPLOMATICUS BRANDENburgensis. Ex Autographis aeque ac Apographis collectus, a PHILIPPO GUILIELMO GERCKENIO editus: TOMUS I.

Soltquellae, sumtibus editoris, apud I. C. G. Schusterum 1769. pagg. 335. quaternis.

G*erckenius* V. Cl. cuius iam ex aliis similis argumenti scriptis satis elucet non mediocris doctrina, in hac nova collectione diplomatum promisit, autographis tantum diplomatibus, et antiquis apographorum libris, aut ad minimum scriptis ex tabulis publicis sumtis, locum se concessurum, reliqua omnia exempla, ab artis expertibus saepissime confecta, plane omissurum. Ut autem editor doctissimus suis stare posset promissis, illustrissimi *Herzbergii* effecit liberalis benevolentia. In praefixis unicuique codici praefationibus, et chartis ipsis passim adnotationibus adspersis, res explicantur historicae, errores ab aliis commissi refelluntur autographis, describuntur accuratissime copiales, utrum bene an male egerit librarius, ubi suspectus aut aperte erraverit, indicatur, nonnumquam describuntur sigilla, adnotatis locis ubi reperiantur, tabularia, e quibus quodque sumtum est diploma, et ubi etiam nunc reconditum sit, nominatur. Sunt autem in hoc Tomo 195. chartae expressae, aut emendatae. Primum tenet locum *Diplomatarium Monasterii Hildesleve, ex Originalibus Archivi Capit. Cathedr. Magdeburg.* Lotharius Imperator anno 1135. monasterio Hildesleve ius liberum eligendi Abbatis concedit pag. 6. —

In

In diplomate Adelberti, Marchionis Brandenburgici, pag. 11 *nobiles* eius diserte *a ministerialibus* distinguuntur. — Pag. 14. Gardolfius, episcopus Halberstadiensis, monasterium Hildesleve sub hac elegisse conditione defensorem testatur, *quod si forte ecclesiae, vel hominibus ad eam pertinentibus, gravis et inportunus existeret, in abbatis et fratrum esset arbitrio, nobis adhibitis et consultis, eo remoto quemlibet alium in loco eius idoneum et utilem subrogare.* — Pag. 17. Idem episcopus Ottoni comiti de Grieben, defensionem ei a monasterio libera electione impositam, clientelari iure concedit, hac quidem clausula, *ut advocatiam tantum per se procuraret.* Alterum occupavit locum *Diplomatarium miscellaneum ex Originalibus diversorum Archivorum.* Otto tertius, Imperator, archiepiscopo Magdeburgensi tertiam partem totius tributi imperialis, de omni et quolibet genere, per omnem Bohemiam largitus est. pag. 29. — In diplomate Wilbrandi, Archiepiscopi Magdeburgensis, de anno 1252. pag. 39. *mansi flamigni* occurrunt. Pag. 44. Rudolphus, Archiepiscopus Magdeburgensis, anno 1258. antistiti suo et archidiacono potestatem propter litem cum Marchione Brandenburgico de *Cometia Sehusen* tribuit, *ad petendum, narrandum, exhibendum, appellandum, in animas nostras iurandum, si necesse fuerit, et alia omnia facienda, quae, si praesentes essemus, faceremus — ratum et gratum habentes, quicquid a praedictis nomine nostro coram vobis fuerit ordinatum.* — Pag 49. Otto, Albertus, et Otto, fratres, Marchiones Brandenburg cum collegio cathedrali Magdeburgico nonnullos permutant ministeriales. — Otto et Conradus, Marchiones Brandenb. pag. 52. civibus Ratenaviensibus concedunt potestatem libertatemque *construendi et faciendi aedificia in hereditatibus propriis, quae Vorloven in teutonico nominantur, a domibus eorundem omnium ad plateas nostras et commoda alia, quae Vorsülren dicuntur.* — Epistola fiduciaria in annos duos, inter Burchardum Archiepisc. Magdeburg. et Woldemarum Iohannemque Marchiones Brandenb. de anno 1316. reperitur pag. 55. — Otto Archi-

Archiepisc. Magdeb. Ludovico Marchioni Brandenb. pag. 63. ius veteris Marchiae, terrae Lebusiae et Lusatiae possidendae, tradit. — Pag. 69. Ludovicus, cognomine Romanus, Marchio Brandenburgicus, suarum regionum administrationem in tres annos Dieterico Archiepisc. Magdeb. committit, eique ius et potestatem suorum Senatorum ministrorumque pro lubitu constituendorum et removendorum, dat, promittit etiam intra hoc tempus, sine illius consensu nihil dare mutuo, oppignorare, aut vendere. Huius singularis pacti causam fuisse aes alienum putat editor, et in politia Caroli IV. Imperatoris latuisse, qui ad coniunctionem Marchiae Brandenburgicae cum Bohemia, iam diu optatam, opera archiepiscopi, amicorum principis summi, pecuniae subministratione, aut alio modo viam aperire voluerit. Uxor, Catharina, Ottonis Marchionis Brandenb indigenis praediorum suorum dotalium confirmat iura, pag. 70. In obligatione reciproca de anno 1540. quae pag. 106. legitur, proceres electoratus Marchiae illis restitutionem pro rigore obstagii confirmant, qui debitorum Electoris susceptorum causa pecuniam sumant mutuam, et pro ea fideiubeant, simul promittunt antistites, per unum nobilem cum quatuor equis tribusque servis, de equestri autem ordine unusquisque ipse cum uno servo, quatuordecim diebus post exactionem factam, obstagium facere. Nunc sequitur *Copiarium membranaceum Sec. XIV. ex Archivo regio Berol.* Septem priora, vitia totidem exemplorum in Ludwigii Reliqu. T. II. occurrentium demonstrant, ad quae etiam litterae beneficiariae Ludovici Bavari Imperatoris referendae sunt, quibus Ludovico filio suo electoratum Brandenburgicum concedit in feudum. — Confirmationis diploma Ludovici Bavari, inter filios icti successiorii pacti, cum successionis pacto ipso, quae utraque etiam in Ludwigii T. X. vitiose edita, pag. 121. accuratiora exhibentur. — Pag. 127. conditiones de nuptiis inter Ludovicum Romanum Marchionem Brandenburgensem, et Elisabetham Casimiri regis Poloniarum filiam, de anno

1335.

Digitized by Google

1335. quae vero de causis nescimus quibus dissolutae sunt, exponuntur. Inter alia rex filiae suae decem millia hexacontadum grossorum Pragensium promisit in dotem, quae hic *donatio propter nuptias* appellata est, contra ea sponsus bis mille se librarum argenti ad dies vitae scripsit dotalitium; qua ex re *Gerckenius* thesin, quondam in Diplomat. Vet. March. Vol. I. p. 663. prolatam, confirmari posse putat, viduam in Marchia dotalitium suum ad dies vitae retinere, etiam si iterum cum alio nupta sit; qua in re tamen hoc etiam considerandum erit, in hac matrimonii conciliatione dotalitium disertis verbis tunc demum in dies vitae promitti, si dos revera numeranda esset. Videtur igitur hic iam ad principium, ex Romani et Germanici iuris confusione ortum, respexisse, quod dotalitium ad indemnitatem dotis allatae, in omnibus igitur casibus in dies vitae solui deberet. Ceterum notatu est dignum, Ludovicum Romanum, qui tunc temporis nondum erat dominus Marchiae, sed frater eius natu maior, sponsam suam non solum ratione dotalitii, ad nonnullorum urbium et ditionum reditus remisisse, sed ei quoque ius concessisse, eas solemni ritu in clientelam ac fidem recipiendi. — Pag. 138. Ludovicus Imperator anno 1333. omnia documenta et scripta, a filio suo Ludovico, Marchione, aetate pupillari et invito tutore data, et novo in hunc finem sigillo obsignata, irrita reddidit. Ex pace anno 1333. inter ducem Pomeraniae et Marchionem Brand. facta, haec confirmari potest thesis, ius, ab aequalibus (*Ebenbürtigen*) iudicari, in locis saltem quibusdam, ad rusticos quoque pertinuisse. Legitur enim pag. 168. were ok dat oft einich erbar Man, bürger oder bur, von des Landewredes wegen beschuldiget wurde, des mag die achtbare Man mit sinir Genoten drien, die burger mit viuen, die buwer mit siuenen sinen Genoten sik entschuldigen mit dem rechten. — Pag. 185. Fridericus Marchio Misniae, profitetur, se dominium Torgauiae Woldemaro et Jano Marchionibus Brandenburg. pro sententia arbitri ab utroque sumti tradidisse,

et quidem, als uns Urteil gewiefeten mit Vingere und mit Zungen und mit Erben gelübde. — Pag. 208. Meftvinus dux Pomeraniae, Johanni Ottoni et Conrado Marchionibus Brand. omnes fuas regiones tradit, et ab iftis in clientelam ipfe recipitur. — In emtionis libello pag 229. iidem Marchiones emtores cum quibusdam clientibus, epifcopo Camini obftagium confirmant. — Pag. 237. eft Laudum urbium Prignitiae inter Ludovicum Marchionem Brandenb. et Henricum Ducem Mecklenburgicum, de anno circiter 1325. — Senatus canonicorum Soldini pag. 239. Ludovico March. Brandenb. ius concedit, omnes reditus et cenfus annuos ex bonis ecclefiafticis pro lubitu diftribuendi. — Laudum valde accuratum, dubitandi et decidendi rationibus inftructum, cuiusdam comitis de Zwerin, inter Ludovicum Marchionem Brandenb. et quendam de Werle de anno 1334. pag. 251. legitur. — Pag. 272. Haffius de Wedel Ludovico March. Brandenb. quinque galeis totidemque *Rennern* adeffe promittit. *Gerckenius* fub hac ignota voce virum equitantem (der ridende Mann) intelligendum effe exiftimat, qui fecundum Speculum Saxonicum III. 52. adiungebatur *den zum Schild gebornen und edlen Glevner*; fed nobilis non erat. — *Diplomatarium Monafterii Himmelfted*, *ex autographo Archivi regii Berol.* agmen claudit. Epiftolam donationis a Ludovico March. Brand. Monafterio Himmelftedienfi datam *Gerckenius* fufpectam effe non fine ratione putat propterea, quod ineft dubitatione et periculo plena claufula: *et nofcendum, quod Dn. Abbas et conventus de Loco Coeli omnia et fingula bona fua, absque omni vexatione, privilegiorum fuorum lefione, ita libere pacifice ac quiete, cum tali potentia et auctoritate debeat tenere habere et poffidere, ficut et nos totum dominium noftrum a predeceſſoribus noftris poffedimus, et per gratiam Dei poffidemus.*

Praefatio breves praefcribit regulas, atque modum, copialia et originalia diiudicandi, recte defcribendi, et edendi.

PETRI

Digitized by Google

PETRI LUCRETII STRUCHTMEYERI

Epistola critica in Glossas Nomicas, ad Virum Clarissimum, Herm. Cannegieterum.

Trajecti ad Rhenum, typis Kroonii 1769. pag. 112. 8vo maj.

Quum a mediae graecitatis Iureconsultis nobis relictae verborum iuridicorum interpretationes, quae Glossae Nomicae vulgo appellantur, summorum iudicio iure consultorum, ad iuris Romani, inprimisque Basilicorum interpretationem, si alias rectus earum intelligatur usus, magnam adferre videantur utilitatem, est certe vehementer dolendum, eas tantum vitiosas atque mutilatas ad nostra pervenisse tempora. Quanquam autem viri doctissimi, ut Labbeus, Scaliger, Schultingius, Roeverus aliique, iam de illis optime meriti sint, permulta tamen sunt relicta adhuc. *Struchtmeyerus* igitur vir doctissimus, cum in hac epistola quaedam ad earum emendationem addere tentaret, neque superfluum, neque ingratum in se suscepit laborem. Emendationes tamen eius non manuscriptis, sed potissimum comparatione cum iure Romano, et graeca Theophili paraphrasi, nituntur. Praeterea quoque Auctor, magis quam Schultingius, glossis graecis a Brissonio libro suo de verb. significat. ex manuscriptis adspersis, usus est, ubi etiam vitium ab editoribus Brissonii recentioribus commissum, ne Heineccio quidem excepto, indicat magnum, quod partim glossas valde vitiosas exhibuerunt, aut verba ipsa omiserunt, aut ad Labbei collectionem provocarunt. Priori Auctor usus est editione; altera a Brissonio ipso curata, post eius demum mortem Parisiis 1596. edita, ad eius manus non fuit. Restat iam, ut quasdam emendationes ab Auctore propositas, in medium proferamus. Ita pagina 10. Ακεςτιλατίονα ἔξανον pro ἔξευνα posuit. — Pag. 15. Καὶ ἀπεκρίνετο ἔχω λαβὼν pro ἀπεκρίνησε.

Eadem pagina verbum ἀγωγή, quod in interpretatione ἀμβήτε alieno loco positum, in ἤγουν mutauit. — Pag. 17. pro Αὐδένα, ἀπρόσια, Hesychio duce ἀναίδνον, ἄπροικον posuit. — Pro γάϊτον, quod glossator per χαριστήριον ἔγγραφον explicavit, pag. 20. δωνάτιον posuit, quia moris fuerit, donationes coram iudice facere. — Pag. 23. de glossa Δεκανοὶ ἀρχὴ δέκα ὀνομάτων, συνηγμένοι, auctor iudicavit, eam continere duas glossas diversas, et vitio tantum librariorum in unam contractas; sic autem separandas esse: Δεκανοὶ, συνηγμένοι, et Δεκανὸς ἄρχων δέκα ὀνομάτων. — Eodem fere modo verba pag. 27. ἐκστράνεος δωρεμένω· τὸ ἔξω Ῥωμαίων distinguit, nempe ἔκστρα, ἔξω Ῥωμαίων, et Δῶς, τὸ δωρούμενον. — Pag. 28. pro ἔμματος, τὰ ἀτυχήματα vult auctor legi, ὁ κάσος, τὰ ἀτυχήματα, quia non in alia glossa solum κάσος per μέρον ἢ συμφορὰ explicatum, sed litterae quoque E et O, M et K, Σ et T, saepissime a librariis commutatae sint. — Locum difficilem, ἐξπρόνσις μύτζει τῶ ἰσλίπτερις &c. auctor pag. 33 ex eo, quod Theophilus in pr. I. de liter. obl. de veterum litterarum obligatione dixit, explicavit, et sic mutavit: Ἐξπένσος μίνι τυλίσι. — Pag. 43. locus aperte vitiosus καὶ ἅπερ δίδωσιν ἐμφύτευμα λέγεται σουπερφίτζων· σουπερφίτζιον γὰρ τὸ ὑπερῷον sic emendatur: καὶ ὅπερ δίδωσιν ὑπὲρ αὐτῶ ἐμφύτευμα λέγεται· σουπερφίτζιον γὰρ τὸ ὑπερῷον. — Auctor a pag. 54 ad 62. criticas observationes, in septem loca ex *Modestini* libris de excusationibus obscura, adiecit. — Sub verbo λίττερις pag. 72. legit ῥήμασι καὶ γράμμασι τυπικοῖς, duce Theophilo in pr. I. de liter. oblig. pro: ῥήματι καὶ γράμματι τυπικῶς. — Pag. 73. Λεγίτιμον, τὸ κεκρυμμένον &c. in κεκυρωμένον mutavit. Omnis explicatio verbi Μανδάτης pag. 75. sic emendata est: Μανδάτης ἀγωγή· ὅταν ἐγγυητὴς ἀποδῶ ὑπὲρ τῶ πρωτοτύπω κινῆσαι δύναται ἀγωγὴν κατ' αὐτῶ ἐπὶ ἀναλήψει, ὧν ἐπόφλησεν ὑπὲρ αὐτῶ ἀποδῶναι. — Locum: Πριμισκρίνιοι· οἱ πρῶτοι τῆς τάξεως, duplici modo pag. 87 explicavit, aut ad verbum τάξεως subintelligendum verbum τῶν σκρινιαρίων, aut πριμικήριοι pro πριμισκρίνιοι ponendum. — Pag.

94.

94. ἐσσκερπτίονες, αἱ διαγραφαὶ, per δεσκριπτίονες, αἱ διαγραφαὶ emendatum eſt. — Locus mutilatus Σπόνσιο, πᾶσαν ἐπερώτησιν καὶ ὁμωλογίαν pag. 95. ex L. 7. D, de V. S. ſic expletur: Σπόνσιο, ἡ συνθήκη, πᾶσαν ἐπερώτησιν καὶ ὁμωλογίαν δηλοῖ. — Occaſione verbi ἐιρωνεία pag. 96. auctor in Theophraſti characteres excurrit, et per paginas nonnullas loca quaedam Scriptoris iſtius cenſoria virgula notavit.

Allgemeine Theorie der schönen Künste.

u. e.

CONTEMPLATIO OMNIUM OMNINO Artium elegantiorum, ex qua ſingulae voces atque vocabula artis ex ordine literarum explicantur, a JOHANNE GEORGIO SULZERO, Regiae Academiae Scientiarum Berolinenſis Socio. PARS PRIMA *ab A ad I.*

Lipſiae, 1771. apud M. G. Weidemani Heredes et Reichium, forma quarta maiori.

Artes elegantiores, quas divina humani ingenii vis invenit, hominum opera et rationis, et ſenſuum manuumque ope excoluit, ſenſus pulchritudinis hominum animis innatus, uſu atque exercitio nutritus et auctus expolivit, ad voluptatem modo hominum natas, ad aures, oculos, ceterosque ſenſus oblectandos, tempusque fallendum factas eſſe, quum multi falſo ac temere ſibi perſuadeant: accidit, ut artes, quae amorem pulcritudinis atque decori, odium turpitudinis atque indecori excitant, in contemtum, ingenio, doctrina, ac multarum rerum ſcientia excellentium virorum venirent, iſtique haud tanti eſſe arbitrarentur, ut artificem inſtituerent, corrigerent, acuerent, leges ac regulas certas

usuque probatas tradendo, quae virtutes sequendae, quae vitia fugienda sint, demonstrando. Inde fieri solet, ut quum in artibus exercendis voluptas non utilitas publica spectetur, pauci reperiantur, qui curent, qua ratione artifices regionibus, civitatibus, imo singulis civibus prodesse, atque felicitatem cum publicam, tum privatam, augere atque tueri possint: ipsique artifices artibus suis haud ea efficere posse videantur, quae apud barbaras quoque gentes rude carmen, Musica inconcinna, saltatio haud numerosa, effecisse leguntur. Inde egregium opus suscepit, ac praeclare de artibus meruit *Celeb. Sulzerus*, de vocibus, quae singulis artibus, inprimis iis quae mechanicae dicuntur, sunt propriae, ita differendo, ut philosophum, non artificem ageret, multas praeiudicatas opiniones de indole et usu artium removeret, iudicium et sensum eius, cui vera inesset pulcritudo, acueret, viamque monstraret, qua quis, seu doctus, seu artifex, pulchra et proba opera ingenio et arte facta a minime probatis, nullaque laude dignis distinguere, haec contemnere, illa magni aestimare possit. Egregia inde atque utilia praecepta hic et illic artifici dedit, quibus observandis ingenium acuere, vim iudicandi polire, sensum pulcritudinis excitare atque augere, et omnino id praestare posse videatur, ut opus suum cuiusvis periti probetur iudicio. Quod cum spectaret, saepius et ea inservit, quae ad historiam artis pertinent, et modum viamque ostendit, qua hic et ille artificum, quae ingenii vis invenerat, opere expressit, atque effecit, ut laudem famamque posteritatis consequeretur. Universo vero opere nihil aliud spectavit, quam ut ostenderet, felicitatem societatis humanae ab artibus mechanicis potissimum recte tractandis, ac diligenter excultis, sua duxisse initia, nec aliter conseruari augerique posse, quam si artes magis, magisque expoliantur, et ita exerceantur, ut inde multa commoda ad necessitatem, suavitatem, elegantiamque vitae humanae pertinentia, in universum genus humanum redundent; omnemque operam adhibuit, ut artifici pateret, qua ratione

Digitized by Google

ratione suis partibus optime satisfacere posse videatur. Quum vero multae peregrinae voces e Graecia, Latio Italia, Francogallia, et aliunde petitae, ab artificibus adhibeantur, usuque ius civitatis obtineant; multorum adeo, qui de artibus psittacorum more loquuntur, in ore sint saepius non intellectae: has patriis vocibus reddidit, cum ut a ciuibus suis facilius intelligerentur, tum ne puritati linguae patriae officeret, quod quo minus plane cavere potuerit, paupertati atque inopiae linguae tribuendum videtur qua multas voces peregrinas retinere coactus est, veluti eas quae arti Musicae sunt propriae. Etenim in huius artis natura ac indole, regulis atque praeceptis, virtutibus atque vitiis explicandis demonstrandisque, singulare studium operamque collocatam esse, vel propter dignitatem huius artis, vel propter pretium, quod ei a ciuibus suis tribuitur, satis docent atque ostendunt Tituli: *Abschnitt* Periodus, *Accord*, *Adagio*, *Alla breve*, *Allegro*, *Andante*, *Ansatz* modus tibiam ori applicandi, *Ansetzung der Finger* ratio tangendi fides, *Antiphoniae*, *Aria*, *Ariette*, *Arioso*, *Bewegung* motus vel gradus celeritatis, *Bindung* ligatura, *Bourree*, *Cadence*, *Canon*, *Cantate*, *Chromaticum* Systema, *Consonantia*, *Contrapunctum*, *Dissonantia*, *Durchgang* Transitus regularis, irregularis, et mixtus, aliique multi termini Musicorum technici, ut appellari solent, quos legisse artis Musicae peritos adeo non poenitebit, ut et multa reperiant, quibus artem suam expolire atque exornare posse videantur. Nec ingrata atque male locata Cl. *Sulzeri* videbitur opera architectis, pictoribus, ac statuariis, si illi legent quae de spira columnae Attica *Attischer Säulenfus*, Scenographia *Aufris*, latere aedificii exteriore *Aussenseite*, Architectura, Architecto, aliisque disseruit; hi, si quid sit in pictura momentum *Augenblick*, quid praestet oculus ex vocibus *Augenmaas* et *Augenpunct*, qua ratione pictura exprimat motus animi voce *Ausdruck*, quid sit de proeliis pictis iudicandum voce *Bataillen*, quae sint fata artis statuariae, quam vim habeat vocabulum *Carton*,

ton, quomodo, et quibus quoque loco utendum sit coloribus sub voce *Colorit*, ut alia taceamus, intellegere possint. At quam accurate diligenterque, quam acute et perspicue de artibus singulis disseruerit Celeb. auctor, ut pateat lectori quaedam ex universo opere delibabimus, in primis ea, quae artibus omnibus communia esse videntur. Huc pertinet inter alia similitudo, ex qua oritur voluptas, quam res arte adumbrata excitat. Suavitas fabularum Aesopicarum, exemplorum, imaginum, Allegoriae, Metaphorae, similitudini debetur. Delectamur picto scorpione, simia, imo vultu Thersitis similitudinis non pulchritudinis causae; à multis enim rebus oculos avertere solemus, quarum tamen imaginibus videndis delectamur. Quamvis nobis ignotus sit is, cuius pictam imaginem spectamus: tamen hac in imagine vitam, animum, indolem, mores denique, adeoque verum hominem, quamvis ignotum, agnoscere atque observare videmur. Si quis ab *Heemio* pictum florem spectet, quamvis incognitum vivum ac naturalem florem sibi spectare videbitur, eaque similitudo singularem excitabit oblectationem animi. Nec solum ea similitudine delectamur, quae ab arte proficiscitur adeo ut illa voluptas magis arti, eiusque admirationi tribuenda, quam similitudini videatur; sed etiam ea, quam natura sistit, similitudine gaudemus, veluti marmore Florentino, quod imaginem regionis, flore, qui speciem muscae praebere videtur. Quo remotior imago rei sua natura a re ipsa est: eo maior est vis similitudinis quae afficit oculos animumque. Inde altitudo et latitudo in planitie tam clara ac perspicua ac in vero corpore, vita et anima in lapide, singularam admirationem excitant. Imago cerea minus oblectat, quam imago picta, cum imago cera expressa sit verum corpus. Quibus de causis imaginem rei in speculo visam non admiramur? quamvis exacte expressam: nullam certe aliam ob causam, quam quod imaginem rei, quam speculum sistit, a re ipsa non differre, et verum obiectum esse intelligimus. Pictores itaque non formam solum, colores,

Digitized by Google

colores, lucem, atque umbram exprimere ſtudeant, ſed ea quoque oculis obiiciant, quae oculorum aciem excedere videntur, veluti calorem et frigus, duritiem et mollitiem, vivacitatem ac ſegnitiem, vitam animumque. Si fides molliter more amantium gemere, vel prae dolore lacrymare, ſi ſoni locum ſermonis obtinere videntur, adeo ut nos efficacem graveinque orationem audire nobis perſuadeamus, ſingulari perfundimur voluptate, non aeque ſi ſonis ſtrepitus aquarum, vel fragor tonitruum exprimitur. Sic quoque imago Trojanorum, a Virgilio expreſſa, Aen. I. 214. Tum victu revocant vires, *fuſique per herbam* implentur veteris Bachi: ſuavi voluptate afficit animum lectoris, quum non expectatam ſimilitudinem inter corpus firmum et fluidum ſentiat atque reperiat. Feſſa enim membra defluunt, more aquae, fuſa in gramine. Ideo quoque placent fabulae, quum tribuant ea brutis, quae hominibus propria ſunt: etenim ſimilitudo inter bruta et homines minus expectata, adeoque magis admiranda eſt, quam inter homines et homines. Cavendum tamen eſt, ne ipſa ſimilitudo longius ſit petita, atque coacta, ideo rebus ignotis notae praeferendae, atque curandum, ut ſimilitudo quam facillime cognoſcatur. Artifices igitur affectiones mineralium, plantarum, animalium obſervent, et cum virtutibus, vitiis, moribus, indoleque hominum ita comparent, ut eorum ſimilitudine uti poſſint. Quo ſpectant ea quoque, quae ſub titulo imago (*Bild*), exemplum (*Gleichniſs*), Metaphora, Allegoria, Emblema (*Sinnbild*), imitatio (*Nachahmung*), ab A. diſputantur. Vis ſentiendi ſimilitudinem, ingenium, noſtris *Witz* vocatur. Sed ſatis de ſimilitudine, veniamus ad alia. Quum magiſtrorum noſtro tempore magnus ſit numerus, maiorque quam ullo alio tempore, qui diſcipulos elegantiam atque pulcritudinem menti ingenioque obſcuram ſentire, guſtare, ac veluti manu palpare iubent: haud ingratum forte multis videbitur, ſi quae de arte, quam Aeſtheticam dixerit Cl. Sulzerus, cognoſcant atque intelligant. *Aeſthetica* eſt *philoſophia ar-*

 tium,

tium, vel ſcientia quae cum univerſam theoriam, tum regulas artium ſingularum, ex natura ſenſus atque perceptionis derivare docet. Hac definitione praemiſſa docetur Ariſtotelem quidem obſervaſſe ea quae in optimis orationibus atque carminibus placerent, indeque praecepta duxiſſe ſed non fontes pulchritudinis aperuiſſe, cauſas rationesque oſtendiſſe. Inter recentiores neque Boſſum (*du Bos*,) in libro eleganti *Reflexions ſur la poeſie, et ſur la peinture* neque Baumgartenium in Aeſthetica ſcribenda, ſatisfeciſſe huic arti, adeoque Aeſtheticam inter partes philoſophiae eas eſſe numerandam, quae ingenium, operam, diligentiamque hominum doctorum deſiderare videntur. In parte theoretica huius artis tria igitur ſpectanda eſſe oſtenditur, artes, ſenſum, et vim theoreticam. Artibus ſingulis hoc propoſitum eſt, ut gratos ingratosque ſenſus excitet, quorum origo ex natura animi humani, et diſputationibus philoſophorum eſt cognoſcenda. Inde variae ſpecies gratorum ingratorumque obiectorum deſcribendae, earumque vis in animum quam habeat oſtendenda. Quod ad practicam partem attinet, primum natura et ambitus cuiusvis artis definiendus, et cum natura inſiti, tum diſciplina ac ſtudio acquiſiti, ſenſus pulcritudinis ratio deſcribenda, tum denique ſubſidia huius artis enarranda videntur. Iſta ſingula accuratius explicuit cel. Auctor ſub vocibus, vis aeſthetica, poeſis, eloquentia, Muſica, pictura, imaginatio, enthuſiaſmus, inventio, aliisque. Eleganter quoque diſſeritur de eloquentia, eam cum pictura comparando, eius vim, uſum, pretium, originem, fata deſcribendo, cauſas denique enarrando, ob quas paucis, veris, perfectisque Germani gloriari poſſint orationibus, cum noſtri homines, neque tam delicatas quam Graeci Romanique habeant aures, neque tam prudens ſincerumque iudicium, nihil ut poſſint niſi incorruptum audire et elegans. Sitim tamen atque cupiditatem librum ipſum conſulendi, magis excitare quam ſedare quum cupiamus, brevitatisque ſit habenda ratio: pauca modo addemus artem poeticam ſpectantia.

Digitized by Google

tia. Nomen honosque poetae, tantum abest ut cuivis tribui possit, qui apte valeat concludere versum, ut potius qui vulgaria atque ubivis obuia versibus tradit, neque animum magis valet excitare atque movere imo abripere quocunque cupit, quam quivis alius suis sermonibus, poetae nomine praeclaro atque egregio plane indignus videatur. Poeta iubetur esse ευφαντασιώτατος, i. e. acutis dictis atque sententiis abundare, magno atque audaci animo esse, sublimia invenire atque animi motus modo sedare, modo componere. Is vero, cui obtigit acre ac late patens iudicium, sensus acutus, imaginatio viva, animus qui huc et illuc rapitur mirifica gaudet vi animos humanos sapientiae praeceptis imbuendi, poliendi, corrigendi, ad virtutis cuiusvis exercitium amoremque instigandi, ad vitiorum odium excitandi, ad salutaria consilia copienda hortandi, a rebus noxiis avocandi: quod cum sua arte valeat praestare divinus poeta, id ei potissimum curae cordique esse debet, ut non oblectet modo, sed et quid sit pulcrum, quid turpe, quid utile, quid non, doceat. Abutuntur plane divina ingenii vi, qui modo voluptatem, modo risum excitare, modo mollem animum non ad virtutem alacriorem, sed ad vitia voluptatesque proniorem efficere student; quorum quum non sit exiguus numerus, nec querelae, quas *Strada* Socius Societatis Jesu suo tempore protulit, a nostri Seculi more alienae esse videntur. *Adeo* scribit Prolus. Acad. L. I. prol. 3. *deformia et foeda carminum portenta nostra haec aetas videt, adeo postremi quique poetarum lutulenti fluunt, hauriuntque de faece, ut sanctum poetae olim nomen timide iam a bonis usurpetur, perinde quasi honesto ingenuoque viro poetam salutari convicio ac dehonestamento sit.* Ars poetarum multo maiorem habet vim animos hominum excitandi, abripiendique, arte oratorum, quum ratione argumenti magis sensus moveat, sitque copiosior, ratione formae, mensura sonoque animum magis capiat, ratione verborum, figuris, metaphoris, imaginibus penetret atque percellat. Poesis arcto cum religione ac reipublicae

regendae arte coniuncta est vinculo. Vera historia huius artis, vel unius modo gentis, certe non contemnenda pars esset universae historiae ingenii humani: sed inter omnes gentes desideratur ac obscura latet, nisi Graecos exceperis. Commode vero fata poeseos in quatuor periodos describi posse videntur. Prima tentamina artis fuere breves sententiae, quae inter saltandum canerentur: αὐτοσχεδιάσματα vocantur ab Aristotele Poetic c. 4. Altera aetas vidit poetas qui essent doctores, legislatores, ac duces populorum. Orpheus eo tempore Cosmogoniam scripsit, et Musaeus obscuris versibus hexametris, Eumolpus cecinit de mysteriis Cereris, Thamyris de bello Titanum. Tertia aetas tempus erat Bardorum, qui essent in aulis principum, et festis diebus carmina de diis vel heroibus ad oblectandos convivas canerent. Poetarum quartae aetatis, qua Graeci libertate gauderent, alii religionem, philosophiam, regendaeque civitatis artem tradebant, vel sua sponte, ut Hesiodus, Aesopus Solon, Epimenides, Simonides, vel iubente civitate, ut Aeschylus, Sophocles, Euripides, Pindarus, alii vero modo animi oblectandi causa canebant, ut Anacreon, Sappho Alcaeus, multique alii. Eo tempore poesis similis videtur Veneri fuisse, quae modo coelestem, modo terrestrem personam ageret. Libertate amissa poetae non amplius id spectabant, ut cives sapientiores prudentioresque redderentur, sed ut principibus placerent, ingenioque famam gloriamque consequerentur. Veluti Callimachus, Theocritus, Apollonius, aliique. Fata poeseos in Germania si a prima origine spectemus, magnam poetarum copiam XII. et XIII. Seculo floruisse, ex collectione centum et quadraginta poetarum, inter quos multi fuere summo dignitatis gradu conspicui, veluti Imperator Henricus, reges Conradus et Wenceslaus, aliique, intelligitur, quae anno huius Seculi quinquagesimo octavo Turici prodiit sub titulo: *Sammlung von Minnesängern aus dem Schwäbischen Zeitpunkt, CXL. Dichter enthaltend.* Poetae qui Seculo XV. et XVI. magna copia prodiere,

Digitized by Google

prodiere, quosque noſtris *Meiſterſänger* conſtat appellari, nullum locum merentur in hiſtoria poeſeos. Mores atque ingenium gentis minus favere eo tempore videbantur ſuavitati poeſeos, quare in poteſtatem plebis veniebat, et miſere vexabatur. Martinus Opitius Seculo XVII. celebratur parens reſtauratae poeſeos; ſed alii tamen lente eius veſtigia ſecuti ſunt, pauci, veluti Logavius et Wernickius, expreſſere. Noſtra demum aetate ſplendor artis poeticae denſas tenebras penetravit. Bodmerus, Hallerus, Hagedornius, primi fuere, qui maculas barbariei detergerent. Atque horum beneficio aetas noſtra intra triginta annos multos ingenioſos atque elegantes vidit poetas. At legi quoque merentur ea, quae ab A. de poetica, et de ingenio poetico, de Dramate, Elegia, Epodo, Epiſodiis, ſublimitate, carmine, ingenio heroico, carmine bucolico, aliisque rebus cum arte poetarum coniunctis diſſeruntur: ſed quibus circumſcribimur in ſcribendo limites plura addere vetant. Optamus igitur potius, ut deſiderio doctorum et artificum, qui hac prima parte Lexici Artium philoſophici non ſine fructu utuntur, brevi ſatisfiat, ne liber utiliſſimus mancus atque imperfectus deſeratur, ac impatientes morae lectores in hac parte priori multa fruſtra quaerant, quae litterarum ordo ſequentibus voluminibus reſervari iuſſit. Quod ut fieri poſſit, nihil magis in votis habemus, quam ut Cel. Sulzerus, qui de litteris elegantioribus adeo praeclare meretur, commoda utatur valetudine, vigeatque animo, ut hunc taedii plenum laborem ad finem perducere poſſit.

RHETORES SELECTI; DEMETRIUS *Phalereus, Tiberius Rhetor, Anonymus Sophista, Severus Alexandrinus. Demetrium emendavit, reliquos e MSS. edidit et latine vertit, omnes notis illustravit Thom. Galeus Scholae Colet. M. Iterum edidit, varietatemque lectionis Aldinae adiecit* JOHANNES FRIDERICUS FISCHERUS.

Lipsiae, sumtu Ioh. Frider. Langenhemii, A. C. cIↃIↃCCLXXII. 18. plagg. 8.

Quanquam a temeraria quorundam facilitate impetrat arrogans aetatis nostrae vanitas, ut sibi multa recenter inventa, magnaque artium incrementa, insigni cum laude, parique antiquitatis invidia tribuantur; tamen latini sermonis ad verae eloquentiae vim ostendendam parum formati, ac propemodum sine cultura relicti, iustam multorum vituperationem, cum magno suo, nec facile abolendo dedecore sustinet. Quod quidem crimen eo gravius existimandum est, quo apertius est non id in levi caussa et vitio haerere, sed artis nobilissimae, et cum ad ingenii laudem praestantissimae, tum ad communem utilitatem uberrimae, per summam turpitudinem neglectae, accusationem habere. Nam quod paucorum oratio, ad exempla a summis in hoc genere hominibus, quos aetas prisca habuit, nobis relicta, satis componitur, quod in verborum delectu plerique peccant, periodorum formam et modum ignorant, numeri leges turbant, a concinnitate aberrant, variandae fingendaeque orationis figuras negligunt, et qualescunque sententias, soluto, aspero, horridoque sermone obscurant et implicant, quid aliud nisi documento est, nostrorum hominum orationem ab verae eloquentiae ratione longe abesse. Atqui nec eorum, qui se latini

latini sermonis magistros profitentur, copia deest, nec horum qui latinitatis studium prae se ferunt greges deficiunt; tamen hoc vitium alitur et latius serpit et tantum non omnem recte scribendi dicendique fontem obruere minatur. Ergo vel magistrorum culpa, vel discentium pravitate, nos laborare existimandum est: nec, qui ad animum proponat docendi discendique vulgarem nostrorum temporum consuetudinem, rem aliter habere reperiet. Multi enim sunt, qui suos praeclare putant ad stili sapientiam adduxisse, si undique correpta vocabula qualicunque modo componere, et animi cogitationes iisdem vel leviter declarare docuissent, securi de proprietate in unaquaque re designanda, de delectu vocabulorum, ipso sono naturaque, cuicunque rei significandae aptorum, de iuncturae ac numeri cautionibus quibus, ne quid asperum et hiulcum sonet, neve oris ingenui in pronuntiando illiberalius distorquendi caussam ferat, docetur; securi de barbarie, quae omnem propemodum sermonem inficere et inquinare coepit; securiores multo de assiduitate legendi et imitandi veteres scriptores, quae sola largam dicendi copiam afferre, solaque ad cultum et nitorem orationis vel comparandum, vel conservandum, valere debet. Accedit admiratio vernaculae linguae nimia, et vernaculi sermonis librorum comparandorum, legendorumque ingens et commune studium; quod quanta cum litterarum utilitate, a bonis scholarum magistris, deterrenda avocandaque ab hoc errore iuventute, compesci et coerceri poterat: tanta cum verae eruditionis pernicie, indulgendo, vel etiam commendando vernacule scriptarum librorum veterum versionum usu, adiuvatur. Non nuper aut heri demum has fundere querelas bonus quisque instituit, verum quae in seculi nostri moribus notamus vitia, eadem dialogi de corrupta eloquentia Auctor, quisquis ille est, imminutae et deficientis suo tempore eloquentiae attribuit, praeter iuventutis negligentiam graviter reprehendens inscitiam

ſcitiam praecipientium, et oblivionem moris antiqui. Quodſi iam illa tempora hanc exprobrationem ſuſtinuerunt, quum nondum eſſet exſtincta in Latio Latinitas ſed identidem a magnis ingeniis reficeretur: quanto iuſtiores erunt noſtra aetate querelae, quae priſcae eloquentiae vim, niſi procul et per umbram nec videt, nec intelligit. Et quamquam, quae de artium incrementis et inventorum novitate celebrantur, ea iactanter magis feruntur, quam vere praedicantur: tamen nobis non invitis fruatur aetatis noſtrae gloria ſuo ingenio, dummodo viciſſim hoc nobis concedat, eloquentiae formam non aliam laudari aut fingi debere, niſi quae ſpreta hominum nova ſemper captantium levitate, ad Graecorum Latinorumque exemplorum gravitatem, et ad veteris diſciplinae ſeveritatem, exigatur. Proximum illud eſt, ut praeclare de literis agi cenſeamus, ſi latina eloquentia ad priſtinam rationem vel mediocriter inſtauretur. Quare nec poſſumus non eorum favere induſtriae, qui ad antiquitatis rationem voce ſcriptiſque hoc ſtudiorum genus revocare non deſiſtunt, et utrique, cum docentium, tum diſcentium parti demonſtrant, quo fonte hauriendum ſit, quo flumine ſqualorem horroremque, qui fundos eloquentiae iam dudum obſitos tenet, mitigare et abſtergere conveniat. Quod ipſum conſilium quoque Joh. Fridr. Fiſcherus, magna litterarum ſcientia et ingenti antiquae doctrinae revocandae ſtudio celeberrimus, Demetrii Phaleraei de Elocutione libello, adiunctis aliorum rhetorum, quos Galaeo ſuae editioni, quam is in hac adornanda ſequutus eſt, inſerere placuit, Opuſculis, edendo, ſibi propoſitum habuit; de cuius inſtituti ratione, de libelli ipſius bonis, de Codicum Manuſcriptorum apparatu, editionumque numero, ipſe in Praefatione, a vitiorum quae diximus libera accuſatione exorſus, diligenter expoſuit; de quibus et nos, ut libelli notitia lectoribus, et dignitatis aeſtimatio ſit, pro horum commentariorum modo tradidiſſe non alienum fuerit.

Ad

Digitized by Google

Ad auctorem opusculi quod attinet, hodie fere nemo fuerit, qui id antiquo Demetrio Phaleraeo, Theophrasti discipulo, eximiaeque eloquentiae laude Ciceronis etiam praeconio illustri, tribuendum putet, ut Victorius existimavit. Neque enim huius nostri oratio cum ea, quam antiquorum fuisse novimus, ita consentit, ut non discrimina reperiantur haud obscura quae recentiorem scriptorem aperte prodant. In caeteris illud, nec ab iis qui ea de caussa disputaverunt animadversum, commemorare licet, quod in cultu ornatuque beatiorum refert, πλατείας πορφύρας (S. 108.) h. e. *tunicas laticlavias*, non vero, ut Victorius vertit, *purpuras laxas*. Neque vero Dionysio Halicarnasseo maiori cum verisimilitudine vindicari potest, qui profecto vocabulum ἀλληγορίας, utpote suo tempore nondum usu receptum, non adhibuisset; quum demonstrari possit, hoc demum Plutarchi aetate innotuisse, veteres autem illos vocem ὑπονοίας in hac sententia posuisse. De quo quidem Valesius, qui tamen hanc eamdem ob causam de *Allegoriis Homeri* Opus non Heracliti Pontico cui vulgo deberi putatur, sed alii cuidam eiusdem nominis, qui Caligulae, Claudii, et Neronis tempore vixerit, tribuendum censet, cogitasse non videtur. Quare vero proximum est, quod et Caussinus vidit de Eloqu. sacra et prof. Lib. I. c. 37. Demetrium Sophistam, quem Alexandriae vixisse, et τέχνας ῥητορικὰς scripsisse, Diogenis Laertii V, 54. indicio, novimus auctorem libelli agnoscere, et cognomen Φαληρέος, nisi quis prorsus falsum et alienum iudicare velit, ita interpretari, ut cum antiquo illo hic recentior Phalereus eamdem patriam coluisse indicetur.

Virtutes, quibus pollet singulares, admiratores ac laudatores operi conciliarunt et multos et amplos, et, quod potissimum est, ingenii et eruditionis fama clarissimos et laudatissimos. Inter quos Casaubonum inprimis, et Caselium esse novimus, quorum hic ediscendum, propter praestan-

tiam insitam, libellum praecipit artis bene dicendi studiosis, ille ad Athen. 5, 20. p. 391 eruditissimum vocare non dubitat. Hinc factum est ut multorum in eo legendo, tractando, et describendo cura versaretur, quam Manuscriptorum Codicum numero agnoscere licet, quorum quinque vel sex, ab hominibus doctis, qui eius editionem vel illustrationem suscepissent, adhibitos fuisse scimus, alios in Galliae, Germaniae, aliarumque civitatum bibliothecis, adhuc latere, Montefalconii in Bibl. Coisl. p. 545. et Nesselii in Catal. Biblioth. Viennensis imperatoriae P. 4. p. 36. indicio accepimus. Sed antiquissima editio Aldina est, Venetiis emissa. Nam collectioni antiquorum rhetorum Graecorum, ab Aldo curatae libellus Demetrii insertus reperitur. Calamo descriptus codex, e quo haec editio profecta est, cum eo, quem Galeus consuluit, valde consentit. Victorii habemus duas editiones, quarum tamen altera, quae 1552. octonis, ab altera quae 1562. in folio Florentiae prodiit, cum lectionis varietate, tum commentationis modo discrepat. Diversum ab eo, quo Aldus usus fuerat, codicem sequutus est, nec usquam Aldinae editionis mentionem facit; in quo callidi simulatoris partes egisse videtur, cum tantam viri in huius generis rebus indagandis diligentiam fugisse illius in hunc libellum merita, verosimile non sit. Versionem quoque latinam ei adiungere placuit: tamen quod in ea magis adnumerare verba, quam adpendere studet, minus probandam, et clari Interpretis, quo nomine ab Huetio celebratur, laudi contrariam. Sequutae sunt editiones aliae, Basileensis quidem Islovii, et Parisiensis Morelli quarum utraque interpretationem latinam Graecis textis subnexam refert. Alii praeterea viri docti singulas versiones libelli latinas, recentiores quidam etiam Etruscas, confecerunt, quas partim a se non visas, partim ad institutum parum pertinentes, nomine tantum auctorum commemorato, celeberrimus Editor transit. Primus in Germania Caselius, annis triginta post primam Victorii editionem, Rostochii

edidit,

Digitized by Google

edidit, alteram Victorii editionem sequutus, cuius etiam quaedam vitia recte sustulisse, quamquam ab nouis irrepentibus non satis cavisse, animadvertitur. In alio autem libro de eloquentia, quem Phalereum inscripsit, partem eius non minimam, versionis et prolixiorum commentariorum additamento locupletatam, retractavit. Tum quoque Johannes Simonius, qua in civitate Eloquentiae professionem egit, Rostochii quaestionibus explicatum anno superioris seculi primo dedit. Ab illa inde aetate, ad haec usque tempora, per ducentorum annorum seriem, in Germania quidem omnis huius libelli cura, quantum cognoscere licet, intermissa est, vitio quodam, ut vir Celeb. suspicatur, hominum, et artium doctoribus, quo suae scientiae venditandae amplior locus patescat, reiecta veterum doctrina, nuper nata sibi placita et decreta in praeceptionum libellis exponere gaudentibus. Alienissimus ab hoc more vir Celeb. quin revocandae et illustrandae veteris doctrinae cupidissimus, Oxoniensem, editionem a Galeo ante hos sex et nonaginta annos adornatam, denuo typis exscribi iussit, servata annotatione perpetua, diligentius quidem scribenda, at varietatem lectionis, e Cantabrigiensi Codice et Morelliana editione collectam, complexa, nec non Henr. Stephani emendationes, quas tamen ubi locorum propositae reperiendaeve sint, Celeb. Fischerus se non comminisci, nec a quoquam demonstratum meminisse fatetur, commemorante; salva quoque Victorii versione, in eo libello, qui non rationi linguae discendae, sed artis percipiendae inserviat, tironibus non obfutura, imo inter ipsa eius quae diximus vitia, ad intelligendum et iudicandum quam in suo libro Auctor aut ante oculos habuerit, aut, vel aliunde adscitam, vel ingenio natam lectionem, sequendam putaverit, plurimum profutura; indivulso denique rhetorum, quos illa sibi editio adsociatos habet, comitatu, ut adeo

integram Oxonienſem editionem, ſane quam raro, cum in patria, tum exteris terris obviam, hac oblata teneamus. Ac illa quidem Glaſguae fuerat ante hos novem et viginti annos repetita, ſed integritati detractum eſt, comitibus illis, quos diximus, abſtractis; niſi quod Victorianae, et editionis et verſionis, vitia quaedam, praeclare, Celeb. viri iudicio, emendata praebet. Sed et huius editionis exemplorum mira ſentitur paucitas. Jam praeter communia haec, alia ſunt propria editioni Fiſcherianae bona. Inprimis varietas lectionis Aldini exempli, ex valde boni Codicis manuſcripti fonte ducti, cuius collationem nunc primum illius diligentiae acceptam debemus, commemoranda eſt. Secundum locum Victorianae, Caſelii, et Glaſguenſis editionis varietas obtinet: nec parum commendationis habet locorum, quibus citandis ſcriptor fidem dictis auctoritatemque conciliat, accuratum indicium. In obſervationibus vero, quamvis paucis et brevibus, quae traduntur, v. c. de recentioris Graecitatis ſcriptorum, in verborum Mediorum uſu inconſtantia; *candidam vocem* apud Quintil. II. 3, 15. eſſe canoram, ſonoram, et de Graeco, λευκὴ φωνὴ ſ. 87. ductam, non vulgaria ſunt et cognitu utilia. Quibus quidem etiam Schneideri, ingenii probi et rectiſſimi ſtudii adoleſcentis, Animadverſionibus in Anacreontem editis, et Periculo Critico in Anthologiam Cephalae noti, cum maxime in Nicandri Poemate conſtituendo elaborantis, emendationes adnotationesque ad ſe tranſmiſſas inſerere ita quidem, ut ſua in iis vel confirmandis, vel refutandis, libertate uteretur, non dubitavit. In his nonnulla, v. c. de vocabulo αὐτίτης p. 240. et alia quaedam, pluribus diſputantur. Quae omnia extremo libro duabus plagulis ſeparatim continentur.

Caeterum, cum ad ſ. 86. vidiſſemus notari, male Aldinam habere τὸν τοξοφόρμιγγα, lectioni autem τὸν τόξον

φόρμιγγα

φόρμιγγα ita faveri, ut pro τὸν iubeamur τὸ reponere; sciremus autem, *Tuonem Villiomarum*, animadversorum ad Rob. Titii loc. Controv. libro p. 9. in hoc Demetrii loco commemorando, non solum illa lectione uti, verum etiam sententia magistri illius dicendi quo pertineat, atque adeo ipsius vocabuli τοξοφόρμιγξ quae potestas sit, docere; non alienum putavimus, quae ad intelligendum istum locum, et ad repudiatam lectionem defendendam valerent, ea commemorare. Nobis quidem etiam verbum παρατίθεται ad compositam vocem, τὸν τοξοφόρμιγγα, accommodatum esse videbatur.

NOVA LITTERARIA.

PROGRAMMA

adiudicati praemii Stolpiani, die XIII. Octobr. CIƆIƆCCLXXIII.

Professores Academiae Lugduno-Batavae, quibus cura Legati *Stolpiani* demandata est, quum die XIII. Octobris de more in id convenissent, ut suffragia ferrent de Dissertationibus a viris doctis ad se missis, ad solvendam quaestionem anno superiore propositam:

„*Sit ne homini innatus aliquis sensus, quo dirigatur „ad dignoscendum, et impellatur ad faciendum bonum „morale?*

evenit, ut paria suffragia tulerint Dissertationes duae, una, cui Symbolum: *Quid aut laudari rite, aut vituperari potest,*

si ab eius natura recesseris, quod aut laudandum, aut vituperandum putes? Altera cum hac Epigraphe: *Nullum theatrum virtuti conscientia majus est.*

Sorte igitur ducta secundum ultimae b. *Stolpii* voluntatis tabulas, palmam praeripuit Dissertatio posterior, eamque adiecta schedula docuit auctorem habere virum Clariss. IOHANNEM FREDERICUM HENNERT, *Philosophiae Doctorem et Professorem Matheseos in Acad. Trajectina*; cui proinde praemium, numisma aureum ducentorum et quinquaginta florenorum adsignatum fuit.

Quemadmodum vero praeclari huius aevi Philosophi sensum moralem homini tribuunt alii, alii negant: ita quoque in diversas partes abiverunt Cl. auctores dissertationum, de hoc argumento ad Institutum Stolpianum perlatarum; censuerunt propterea Administratores, gratiam se inituros, si fasciculo proxime edendo, iuxta illas, inter quas sors diremit, adiiciant dissertationes octo alias, argumentum propositum acute, hinc et inde, disputantes:

Illarum Symbola sunt:

1) *Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?*

2) *Omnes tacito quodam sensu, sine ulla arte aut ratione, quae sint in artibus ac rationibus prava aut recta, diiudicant.* Cicer.

3) *Expertus novi.*

4) *Pa-*

4) *Parcite oves nimium procedere; non bene ripae creditur.*

5) *Non, nisi rationis experientiaeque lumine nutrito, fide.*

6) *Quantum mortalia pectora caecae noctis habent!*

7) *Est natura sic generata vis hominis, ut ad omnem virtutem percipiendam facta videatur, ob eamque caussam parvis virtutum simulacris, quarum in se habent semina, sine doctrina moventur. Cic. de finib. bonor. et malor. L. V. §. 15.*


8) *Nec natura potest iusto secernere iniquum,*
Dividit ut bona diversis, fugienda petendis.
Horat. L. I. Sat. 3.

Humanissime rogatos volunt Autores illarum dissertationum Legati Stolpiani Curatores, ut ante proximi anni initium indicent, velintne apertis Schedulis sua indagari nomina atque edendis praemitti dissertationibus, an contra, obscura contenti esse malint diligentia: sin hoc eligant, responsione opus non est, siquidem ipsorum Schedula, uti eorum, quorum dissertationes typis non mandantur, obsignata flammis cessura est.

Litterae autem posthac inscribentur *Davidi van Royen* Botanices Professori, qui h. t. Instituto Stolpiano ab Actis est.

Haec

Haec, ut ad nos missa sunt, eo lubentius cum Lectoribus nostris communicamus, quo evidentiora commoda sunt, quae e Legati Stolpiani cura, inde a principio, variis omnis doctrinae classibus accesserunt. Nos, qui Batavae linguae, extra illas regiones paucis cognitae, ignari sumus, diu optavimus, dissertationes, Stolpiani legati curatoribus exhibendas, scribi eruditorum lingua, hoc est latina. Ita fieret, ut nemo doctorum hominum earum lectione fraudetur, quod accidisse nobis aliquoties meminimus.



Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Septembris Anno MDCCLXXII.

DE NOVIS DIOPTRICAE AUGMENTIS,

Commentatio JOANNIS ERNESTI ZEIHERI, Ph. et Med. Doct. Mathem Superior. Prof. Ordin. in Academ. Wittemberg. Acad. Scient. Petropolit. Socii, reliqua.

Exhibemus Lectoribus nostris commentationem celeberr. *Zeiheri*, qua legenda, scimus, magnam voluptatem, immo et fructum non contemnendum capturos esse omnes eos qui Physicen diligunt. Integram damus, nam ita cohaerent omnia, ut excerpto locus non sit.

SECTIO I.

§ 1.

Quae directionem luminis caussae mutare solent, corporum nimirum, quo eius radii reflectuntur, opacorum occursus, et radiorum, ex medio quodam diaphano in aliud, vel densius vel tenuius quoddam, transitus, quo refractio oritur, obliquus, duae tantum centum abhinc annis, in Optice erant cognitae, quum P. *Grimaldus* eandem novis, quae a. 1666. singulari *de lumine, coloribus, et iride* libello an-

 nuntia-

nuntiabat, inventis locupletaret. Nam diligens hic naturae scrutator radium luminis, in cameram obscuram per foraminulum valde exiguum illabentem capilli aut alius interpositi corpusculi umbram insolitam proiicere, non sine maxima admiratione animadvertebat. Videlicet umbra multo maior, quam debuisset, evasit, si radii corpusculorum margines contingentes in lineis rectis viam suam continuassent; quod deinde tam ex umbrae magnitudine, quam ex distantia foraminuli ab obiecto, manifeste cognouit; simulque aream a radiorum, qui per foramen laminae metallicae valde exiguum ingrediebantur, penicillo illuminatam, prorsus maiorem esse, quam sola radiorum divergentia pateretur, observavit. Phaenomenon hoc a *Grimaldo diffractio* nuncupatur, et illa plane radiorum est modificatio, quam *inflexionis* nomine celebrem adeo fecit *Newtonus*, quum experientiis antea adductis, insigni acumine et varietate repetitis, leges tandem, secundum quas mutationem hanc radii luminis paterentur, exploraret feliciter.

§. 2.

Idem ille *Grimaldus* penicilli, prisma transeuntis luminosi dilatationem primus detexit, quamvis diversam radiorum refrangibilitatem haud perspectam habuisse videtur; quoniam phaenomenon hoc dispersioni cuidam irregulari a partibus prismatis ortae heterogeneis attribuit. Itaque sagacitati *Newtoni* reservatum fuit, huic rei, adeo usque tenebris obductae, lumen accendere; quum, licet prismatis phaenomena antiquiore tempore nota quidem essent, ante *Newtonum* huius qui mirandae super lumine mutationis caussam serio investigasset, et, praeter opiniones precario assumtas aliquid veri in lucem protulisset, certissimum sit fuisse neminem.

§. 3.

Newtonus, experimentis physicis haud sine summo geometriae usus acumine, ipse experimenta commemorat, quibus

quibus opinionem de diverſa radiorum refrangibilitate, ſtatim initio ab ſe conceptam, veram eſſe luculenter apparuit. Luminis radium per foramen minimum in cameram obſcuram illabentem priſmate intercipiens, ſumma, ut fatetur, cum admiratione, imaginem in pariete oppoſito plus quinquies longiorem, quam latam, nitidiſſimisque iridis tinctam coloribus vidit: quum e contrario imago, ſecundum notas refractionis leges, foraminis figurae ſimilis rotunda non autem oblonga eſſet expectanda. Variis autem experientiis et ratiociniis, diſperſionem hanc proprietatis cuiusdam immutabilis neceſſarium quendam effectum eſſe, brevi convincebatur, et partes radium luminis conſtituentes aequalem omnes refractionem neutiquam pati debere recte iudicabat. Et tum quidem inſignis Vir, de radiorum luminis diverſa refrangibilitate ſemel perſuaſus, facili negotio experimentis poterat determinare, quinam radii maximam, quinamve patiantur minimam refractionem; radii nimirum partem, quae colorem rubrum conſtituebat, inferioremque imaginis marginem occupabat, minimam, partem vero violaceum quae efficiebat maximam ſubire deviationem, mox conſpiciebat. Poſt hanc primam experientiam lumen ſolare e ſeptem coloribus primitivis, ſeu radiis totidem diverſa refrangibilitate praeditis, ac ſenſationem de iridis coloribus in nobis excitantibus, conſtare cognovit, eo quidem modo, ut, priſmatis angulo deorſum verſo rubrum colorem infimum locum occupantem ſequatur auranceus hunc flavus, viridis, caeruleus, azureus, et tandem violaceus; hos vero ſeptem colores eſſe primitivos non ulterius diviſibiles ſed immutabiles, multa et ingenioſiſſima a *Newtono* poſtmodum inſtituta experimenta docuerunt: quae, quum ſint notiſſima, ſilentio praeterire licebit.

§. 4.

Ex his autem, lentes obiectivas teleſcopicas non unico ſed duplici vitio, geminis nimirum radiorum aberrationi-

bus laborare, mox colligebat *Newtonus*, quorum utrumque essentialiter cum vitri natura et sphaerica eiusdem figura, eo quidem modo esset coniunctum, ut a lentibus nullo modo separari posset. Alterum enim vitium, uti quidem iam pridem est observatum a figura sphaerica oritur, atque efficit, ut a radiis extremis alia atque a mediis imago efformetur, eoque maior pro maiore lentis apertura, confusio in imaginem redundet. Alterum autem vitium, quo radii diversorum colorum inaequali refractione per vitrum transmittuntur, adeoque disperguntur, pari modo lentes afficit, dum imagines a diversis coloribus formatae, eo magis a se invicem divelluntur, quo maior earum a lente fuerit distantia. Frustraneam igitur operam impenderemus, si, relicto hoc aberrationis genere, in illo vitium multo minus tollere studeremus, quum *Newtonus*, aberrationem a sphaericitate ortam bis sex saltem centies inferiorem esse altera, computo demonstraverit. Atque Vir hic perspicacissimus, postquam huius, quae a colorum separatione oriebatur, confusionis avertendae spem omnem abiiciebat, reflexionem, quam confusionis a refrangibilitate diversa ortae expertem esse noverat in refractionis locum substituit, eoque modo primam excellentissimo suo invento telescopio nimirum reflectenti, seu ex speculis metallicis constructo, dedit originem. Quoniam enim constat in speculis illam imaginis confusionem, quae transitum luminis per media refringentia necessario concomitatur, locum non habere, atque distinctionis defectus a figura sphaerica ortos, illa colorum aberratione multo minores esse, uti supra iam dictum est: prorsus sequitur ut speculis concavis, in lentis obiectivae locum adhibitis, sine distinctionis detrimento multo maior dari apertura possit. Non minus porro liquet, istorum instrumentorum obiecta augendi vim, ab areae, in quam luminis incidunt radii magnitudine pendere; nisi illam ad obiecta dignoscenda necessariam perdere claritatem malimus. Quam ob causam specula sphaerica, positis focis aequalibus,

qualibus, primas prae lentibus obiectivis sibi partes vindicant per consequens, telescopia reflectentia multo maiorem effectum, quam refringentia, quae ex lentibus obiectivis simplicibus, de quibus solis iam sermo est, componuntur, praestare debere, in dubium vocari nequit. Id enim experientia satis superque docuit, quum illustris *Hadleius*, huius eximii inventi restaurator, rem denuo suscepit, et in ea adeo usque progressus est, ut telescopium confecerit, quod, non quidem ultra quinque pedes cum parte quarta longum, tubo Hugeniano 123 pedum neutiquam cessit; quodve magnus tandem rerum opticarum antistes, *Jacobus Shortus*, ad summum fere, quo pervenire posse videtur, perfectionis gradum perduxit.

§. 5.

Magni huius quidem commodi causa, telescopia e speculis composita, ut multo breviora, vi amplificandi mirum in modum praedita, tubos dioptricos penitus forsitan de possessione depulissent, nisi eorum pretium, maxima difficultas in elaborandis iisdem, incommodior micrometri applicatio &c. obstitissent. Interim tamen, cum *Newtonus*, refrangibilitatem diversam a refractione unquam separari, ideoque colorum aberrationem in lentibus telescopicis ullo modo destrui posse desperaret, perfectio tuborum e vitris compositorum, ab *Hugenii* et *Campani* inde temporibus quasi stationaria fuit, usque ad annum 1747. ex quo rerum mathematicarum summus arbiter, *Eulerus*, Dioptricae scientiae novam posuit epocham, utramque aberrationem, mediantibus duobus vitris, eo modo coniunctis ut spatium intra cavitates eorundem contentum aqua repleretur, corrigi posse, ingeniosissime computavit *). Hoc eximium inventum, etsi

 arti-

*) Vid. Mémoires de l'Académie Royale de Berlin de l'année 1747.

artificum pericula in construendis talibus lentibus obiectivis, ex sententia non successerunt, tamen verus fons et origo illius emendationis est Dollondianae, quam posteritas semper admirabitur, de qua mox plura dicemus.

§. 7.

Quod quum *Newtonus* iam tunc temporis observavit, videlicet specula metallica minorem multo radiorum quantitatem, quam vitra aequalium superficierum transmittunt, reflectere, id hodie testatur experientia, qua duce cel. *Eulerus*, non sine veri fundamento, vitra ab refrangibilitate diversa immunia multum antecellere speculis debere, et mediantibus iisdem res stupendas, quae oculorum aciem fugiunt, detegi posse, asserit. Quaenam vero meditationes perspicacissimum hunc Mathematicum ad ideam allegatae emendationes perduxerint, eas §. XI. supra citatae dissertationis hunc in modum explicat: *Mr. Newton a déja soupçonné, que des objectifs composés de deux verres, dont l' espace entre deux fut rempli d' eau, pourroient servir à perfectionner les lunettes par rapport à l'aberration des rayons, qu' ils souffrent à cause de la figure sphérique des verres* *). *Mais il ne paroit pas, qu' il eût l' idée, que par ce même moyen il seroit possible de retrécir l' espace par lequel les foyers des divers rayons se trouvent disperses. Or, il m' a d' abord paru très probable, qu' une certaine combinaison de quelques differens corps transparens pourroit être capable de remedier à cet inconvenient; et je suis persuadé, que dans nos yeux les diverses*

*) Vid. eiusd. Opticae tract. Edit. Gall. Amstel. 1720. p. 132. ubi eius verba sic habent: *Sans cette différente refrangibilité des rayons, on pourroit rendre les Telescopes plus parfaits que ceux que nous avons décrits jusqu' ici, avec des Objectifs composés de deux Verres, dont l' entredeux seroit rempli d' eau.*

ses humeurs s'y trouvent arrangées en sorte qu'il n'en résulte aucune diffusion du foyer. C'est à mon avis un sujet tout nouveau d'admirer la structure de l'oeil; car s'il n'avoit été question que de représenter les images des objets, un seul corps transparent y auroit été suffisant, pourvu qu'il ait eu la figure convenable; mais pour rendre cet organe tout accompli, il y faloit emploier plusieurs differens corps transparens; leur donner la juste figure, et les joindre selon les regles de la plus sublime Géometrie, pour que la diverse réfrangibilité des rayons ne troublât point les représentations. Quum porro luminis radii, oculum intrantes, quatuor patiantur refractiones, non impossibilem videri quatuor facierum refringentium talem dispositionem, ut diversi generis radiorum foci in unicum colligantur punctum, quaecunque demum obiecti distantia sit, *Eulerus* iudicat. Cui autem rei ut satisfieret, eandem ad calculos revocavit, atque ex formulis analyticis generalibus regulas praxi adcommodatas deduxit, et in hunc usum pro datis lentium obiectivarum focis principalibus, tabulas construxit.

§. 7.

Theoria autem refractionis, cui lentium aqua repletarum compositionem superstruxit cel. *Eulerus*, *Newtonianae*, in qua dispersionem colorum, quotcunque etiam diversa media refringentia adhibeantur, diminui nullo quidem modo posse, precario assumitur, penitus adversatur. Precario inquam; nam *Newtonus* hoc principium nusquam demonstrationibus confirmaverat. Hoc modo sententiam *Newtoni* argumentis summis *Eulerus* quum peteret, adversarium nactus est Anglum, *Joannem Dollondum*, peritissimum nuper Opticum, qui de suis contra theoriam Eulerianam obiectionibus et argumentis, ante quam in publicum ederentur, ad *Shortum* litteras perscripsit. Hic postquam eas cum *Eulero* communicaverat, factum est, ut responsio *Euleri*, una cum litteris *Dollondi*, Transactionum Volum. XLV. insere-

insereretur. Interim autem, quum Cel. *Eulerus* theoriam suam experientiis certissimis corroborare non potuisset, quia diversae satis refrangibilitatis media tunc temporis essent ignota, non mirum est, si postmodum ei, qui experimentis destitutus theoriam conderet, experimenta ipsa contradicerent, ad quae instituenda rerum opticarum emendatores theoria *Euleriana* certo sunt excitati. Quam ob rationem pro vera habetur caussa, unde telescopiis Dollondinis, seu achromaticis, origo trahatur. Quantum vero magno *Eulero* in hac re debemus, mathematicorum praestantissimus *Clairaut* recte iudicavit, dum in altera sua dissertatione de telescopiis lentium e vitris diversis compositarum remedio emendandis ita ait: *) Cette hypothése que j'ai examinée par la theorie dans mon précedent Mémoire an. 1756. p. 403. est detruite ici par l'experience, (experientia nimirum *Dollondi*;) mais si ce qu'elle renferme de precaire meritoit d'étre relevé, comme l'a fait M. *Dollond*, il n'est pas moins vrais, que cet habile Opticien auroit du (dans son Mém. des Transf. phil.) rendre a M *Euler* la iustice qu'il meritoit sur l'ingenieuse idée de corriger les differences de refrangibilité des rayons colorés par l'emploi de deux matiéres diversement refringentes. Cette idée est vraiment la source de la decouverte de M. *Dollond*, qui de son coté est tombé sur un fait bien heureux, en s'appercevant de l'extreme différence qui est entre le crystal d'Angleterre et le verre ordinaire par rapport aux couleurs de l'iris.

§. 8.

Postquam autem *Euleri* defensio, prouti certissimum mihi videtur, prima dubia contra principium Newtonianum in Angli artificis animo excitaverat, principium illud experi-

*) Vid. Mém. de l'Acad. de Paris, pour l'ann. 1757. Mém. p. 524. sqq.

Digitized by Google

experimentis explorandi ſtatim cepit conſilium, et mox binis priſinatibus, altero vitreo, altero aqueo, coniunctis deprehendit, opinionem *Newtoni* ſubſiſterè non poſſe, ſimulac, ſublata refractione, diſperſionem colorum, ac vice verſa, non tolli expertus erat. Iam varias vitri ſpecies, mediantibus cuneis e vitro politis ac eo modo, ut refractiones fierent contrariae, ſibi invicem impoſitis, examini ſubiecit, atque diſperſionem colorum a refractionis quantitate non pendere, ideoque diverſas vitri ſpecies diverſa vi colores diſpergendi eſſe praeditas, animadvertit *). Ex quo deinde facile erat iudicatu, binarum lentium, ex diverſis vitri ſpeciebus factarum, coniunctione, utique fieri poſſe, ut colorum diſſipatio penitus tolleretur; quem in finem neceſſe erat, alteram concavam, alteram convexam confici, ita ut convexitas ad concavitatem datam, et a diverſa refrangibilitatis vi determinatam, haberet rationem.

§. 9.

Quoniam praecipuum *Dollondi* erat propoſitum, huiusmodi vitri ſpecies detegere, quarum diſperſionis differentia eſſet maxima, hanc illi notiſſima Anglorum vitra *Crownglaſſ*, et album cryſtallinum ſ. *Flintglaſſ*, ſuppeditabant. Itaque poliendis huiusmodi cuneis vitreis ſecundum angulos diverſos omnem dedit operam, donec tales prorſus obtineret, qui quum ſibi invicem ita, ut luminis radios ſecundum directiones refringerent contrarias, imponerentur, lumen refractum penitus a coloribus liberum transmitterent: quo facto, quum refractionem cunei cuiuslibet metiretur, eam, a vitro

*) Experimenta haec a *Dollondo* in hunc finem inſtituta, in Tranſact. Angl. Vol. L. P. II. p 733. ſeqq. et in Diſſert. mea de vitris vi lumen diſpergendi diverſa praeditis, Petropoli 1763. impreſſa, enarratius et fuſius deſcripta reperiuntur.

a vitro albo effectam, duas partes circiter tertias illius, vitri nempe viridis, deprehendit, perſpexitque, quo modo talis e concava et convexa parte compoſita lens, luminis radios in focum poſitivum, ſive actualem colligere, eosque ſimul ſine diſperſione transmittere poſſit. Ut enim diverſae refrangibilitatis effectus annihiletur, lentium ex duabus vitri ſpeciebus compoſitarum foci in ratione inverſa angulorum cuneorum diſtent neceſſe eſt, poſitis iam refractionibus mediis circiter aequalibus, hinc focum lentis e vitro cryſtallino confectae negativum ſeſquialterum foci poſitivi lentis e vitro communi paratae eſſe debere conſtat. Ita enim fiet, ut radii a differentia, ſive reſiduo refractionis, quod poſitivum nuncupare licet, inter utramque lentis partem exſtante, per vitrum compoſitum tranſeuntes, ſine coloribus in focum convergant poſitivum. Idem illud generalioribus uſus terminis effari ſic poſſum: cuiuslibet paris tangentium, quae ad incidentiae in quavis vitrorum ſuperficie ab axe aeque diſtans punctum ductae concipiuntur, *inclinationes*, ſeu anguli, ſint in ratione virium diſperſionis inverſa, quamcunque demum diametri ſphaerarum, ſecundum quas vitrorum ſuperficies ſunt politae, quantitatem habeant reſpectivam; ita ut, refractionum mediarum diverſitate omiſſa, atque iisdem poſitis aequalibus, foci duorum vitrorum lentem conſtituentium ſint inverſi, uti vires ſeparandi colores; namque hac ratione quilibet radius, hoc vitrum compoſitum permeans, per refractionum contrariarum differentiam in proportione requiſita conſtanter refringitur, ac refrangibilitas luminis diverſa penitus evaneſcit.

§. 10.

Verum enim vero ſingulorum vitrorum lentem componentium radii quum longe minores eſſe debeant, quam radii lentem ſimplicem aequali foco determinantes: notabiliores ſphaericitatis aberrationes, imaginis diſtinctionem valde

Digitized by Google

valde perturbantes; oriri possunt. Id quod peritissimus *Dollondus*, exactis non adeo multis tentaminibus, tam in vitrorum diversa specie, quam in earundem cum aqua combinatione, mox expertus est. Cui identidem lentium superficies innumeras, remanente foco eodem, variationes pati, ac mediantibus hisce variationibus earum aberrationes a sphaericitate ortas pro lubitu vel augeri, vel minui posse, quum compertum esset: multis tandem ac insignibus difficultatibus superatis, eo pervenit, ut telescopia refringentia, tali perfectionis qui omne id, quod ea in re praestitum hactenus est, longe superat, gradu conficeret; quem dignus filius, *Petrus Dollondus*, successu iam sequitur felicissimo.

§. II.

Interea temporis, quo *Dollondus* regulas suas practicas caute celabat, quo theoriae huius novae vestigium nec ab artifice ipso, nec ab alio in lucem ullum prodibat quo denique tam Flintglass et Crownglass species, quam eorum compositio, totam Europam, Anglia excepta, latebant; Academia Scient. Imperialis Petropolitana, in ann. 1762. quaestionem, ut inter omnes constat, proposuit sequentem: *Quantum imperfectiones tuborum opticorum et microscopiorum, ex diversa refrangibilitate radiorum, ac figura vitrorum sphaerica ortae, per combinationes plurium lentium corrigi aut imminui queant?* simul exigens, *ut theoria praxi adaptata per experimenta comprobetur.* Huius quaestionis solutio, a profundissimo mathematico *Klingenstierna* data *), praemio ab Academia

*) Titulus est: Tentamen de definiendis et corrigendis aberrationibus radiorum luminis in lentibus sphaericis refracti, et de perficiendo telescopio dioptrico. *Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem.* Dissertatio ab Imperiali Academia Scientiarum Petropolitana praemio affecta: Petropoli 1762.

mia Imperiali affecta fuit; quae etiam dissertationem a Cel. *Eulero* hac occasione ipsi traditam, atque summi Viri profunditati consentaneam, publici fecit iuris *). Sub idem fere tempus vir magni nominis, *Clairaut*, rem hanc aggressus est, omnique, qua praeditus fuit, geometriae profunditate, in emendanda telescopia dioptrica inquirens, dissertationem primam de remediis telescopia e vitris confecta emendandi in Conventu Academiae Regiae Scientiarum Parisinae die 8. Aprilis 1761. publico praelegit **). Elapso circiter anno, institutis tentaminibus cum crystallo anglica Flintglass dicta nec hoc, nec alterum illud vitrum Crownglass obtinere potuit, (de quo in posteriori dissertatione ipse conqueritur,) et vitro gallico, anglicum Crownglass aemulante, probe sub examen revocato, atque geminis viribus, refringendi et dissipandi, determinatis, alteram dissertationem mense Iun. an. 1761. Academiae tradidit ***). Hac in dissertatione rationem refractionis mediae in crystallo anglica, id est, rationem sinus anguli incidentiae ad sinum refractionis pro mediis luminis radiis, ex aere in vitrum transeuntibus, per numeros

*) Sub titulo: Constructio lentium obiectivarum ex duplici vitro, quae neque confusionem a figura sphaerica oriundam, neque dispersionem colorum pariant. Dissertatio, occasione quaestionis de perfectione Telescopiorum ab Imp. Acad. Scient Petrop. pro praemio propositae conscripta. Petropoli 1762.

**) Huius egregiae dissert. tit. est: Mémoire sur les moyens de perfectionner les lunettes d'approche par l'usage d'objectifs composés de plusieurs matiéres differemment refringentes. Vid. Mém. de Paris ad ann. 1756. p. 380. seq.

***) Second Mémoire sur les moyens de perfectionner les lunettes etc. Vid. Mém. de Par. ann. 1767. pag. 524.

numeros 16 ad 10 admodum accurate exprimi asserit. Ad vitrum quod attinet commune, eius rationem refractionis mediae eandem esse, quam plurimi Physici, praesertim *Newtonus*, statuerunt nimirum ut 31 ad 20 propemodum, seu ut 155 ad 100, multis reperit experimentis; sicuti rationem 154 ad 100 in radiis rubris, et 156 ad 100 in violaceis, locum habere edoctus est. Praeterea tentaminibus his ultro perductis, rationem refrangibilitatis inter crystallum anglicam et vitrum commune gallicum, itidem cum *Dollondo*, uti 3 ad 2 compertus est: ex quibus omnibus rationes in crystallo anglica pro radiis violaceis uti 1, 615 ad 1, et pro rubris uti 1, 585 ad 1, vir perspicacissimus definivit. Post illas in formulis generalibus substituit valores inventos, regulas pro singulis casibus deduxit, atque theoriam suam ingeniosissime ad praxin applicavit, eo quidem modo, ut quilibet artifex peritus, si pro quolibet casu regulae eidem darentur, haud difficili negotio, iisdem ducibus, lentes obiectivas achromaticas polire posset. Brevi post, eiusdem viri celeberrimi tertia dissertatio de tubis emendandis, Academiae Scientiarum Parisinae Memoriis inserta est *), qua disquisitionis ope ulterioris in formulas, ad casus diversos speciales applicavit, et constructiones pro praxi maxime utiles calculo erutas tradidit.

§. 12.

Haud inutile negotium suscipere credar, si de successibus, quos Gallorum artifices in lentibus poliendis achromaticis iam fecerunt, nonnulla subiungam. Inter hos ingeniosissimus praesertim *Antheaume* eminet, qui, duce *Clairaltio*, tubum achromaticum, septem pedes longum, atque adeo perfectum confecit, ut anglico *Dollondi*, decem pedes longo, merito

*) Vid. Mém. de l'Acad. de Sciences de Paris pour l'an. 1762. p. 578. seqq.

rito comparetur. Huius rei cauſſa epiſtolam Dom. *Meſſier* ad *Sancheſium*, virum ill. Imperatoriae Maieſtati Ruſſicae a Conſiliis Status, eiusdemque Medicum quondam primarium, libet allegare; ex qua, quum, quod ſciam, nunquam ſit in vulgus edita, ſequentia depromere conſultum duco.

Paris, Collége R. de france le 15. Dec. 1763.

Il y a quelques jours, que j' ai fait l' eſſai d' une nouvelle lunette, qui l' emporte pour la bonté et pour la commodité ſur les lunettes ordinaires; elle eſt même préférable aux teleſcopes. Cette lunette eſt de l' invention de Dollond, dont la conſtruction eſt déja connue; elle eſt compoſée de deux objectifs, mis près l' un de l' autre, et de deux oculaires plan-convexes. Je ne puis Monſ. me diſpenſer de vous faire part de l' excellence de ce nouveau inſtrument. C' eſt Monſ. Antheaume, connu par ſes ouvrages, (ſur l' Aimant et ſur l' Aether,) et amateur pour les ſciences, qui vient de conſtruire une de ces lunettes ſur les principes qu' en a donné Mr. Clairaut. Elle n'a que ſept piés deux pouces de foier; le prémier oculaire 9 lignes, et le ſecond trois. Je n' ai jamais eté plus ſurpris, qu'en voiant l'effet de cette lunette, qui égale à une lunette ordinaire de 35 piés. Elle groſſit le diamétre des objets de 120 à 130 fois, les rends clairs et bien terminés. J' ai vû Jupiter et Saturne d' une beauté ſurprenante: ce qui eſt encore d' avantageux à cette lunette, c'eſt qu'elle a un champ d' environ quarante minutes; l' objectif porte trente cinq à trente ſix lignes d' ouverture. Cette lunette approche beaucoup de l' effet que fait une lunette de 10 piés de la même conſtruction, que ſ' eſt procuré Monſ. Wargentin, Aſtronome à Stockholm: voici ce qu' il m'a écrit.

„*Pendant l' année paſſée (1761.) j' ai obſervé, dit il, les* „*eclipſes des Satellites de Jupiter, avec une lunette de 10 piés de* „*la nouvelle invention de Dollond; en y appliquant l' oculaire 1.* „*elle aggrandit les objets à peu près de nonante fois: mais*

„*l' ocu-*

„l'oculaire 2. les représente au moins 140 fois plus gros sans rien „perdre de la clarté et de la netteté de l'objet: avec l'oculaire „3. cette lunette fait l'effet quant à l'aggrandissement d'une lu„nette ordinaire de 100 piés; mais les objets en deviennent ob„scurs et sombres, particuliérement si le ciel n'étoit pas parfaite„ment serein et tranquil. A l'aide de cette lunette j'ai vû „deux fois les cinq Satellites de Saturne. On peut juger de „l'excellence de cette lunette par cette épreuve, qui est incompa„rable aux autres, et très commode dans l'usage.“

Mr. Antheaume assûre, que l'on peut encore aller plus loin. Il travaille actuellement à une de 9 piés, qui sera finie à la fin de ce mois, il espére y reussir, et qu'elle sera l'effet d'une lunette de 80 piés, pouvant souffrir quatre pouces d'ouverture.

Pars lentis obiectivae extrorsum versa, e materia Flintglass dicta, altera vero e vitro communi gallico est polita. Superficies prioris vitri convexa, radium 7 pedes regios cum dimidio, vel 90 pollices longum, habet, superficies vero interior concava e sphaerae semidiametro, 18 pollices adaequante, est polita. Alterius partis vtrinque convexae, ex quibus lens obiectiva est composita, semidiametri superficierum sunt $17\frac{1}{4}$ poll. seu 1 ped. 5 poll. 3 lin. et 7 ped. 6 poll. 8 lin. illud nempe de superficie, quae cavitati anterioris adiacet, hoc de superficie oculo obversa valet. Peritissimus *Antheaume* geminatam lentem ocularem iunxit huic obiectivo, ut, manente vi amplificandi eadem, visionis campum redderet ampliorem. Focus maioris vitri ocularis, quod propius est obiectivo, 18 gaudet lineis; radius eius convexitatis vitro obiectivo obversae $11\frac{6}{10}$ lineas adaequat; altera vero convexitas oculo obversa radio 7 poll. $1\frac{9}{10}$ lin. est praedita. Minor lens, quae meniscus est, focum 5 linearum, superficies convexa obiecto obversa radium $2\frac{1}{4}$ linear. concavi-

concavitas autem 8 linear. radium habet. Ceterum haec lens 9 lineas a priori distat *).

§. 13.

Celeberr. *Clairaut* in tertia dissertatione **) mentionem fecit tuborum, quos Dn. *de l' Estang*, vir in rebus opticis insignem nactus famam, novissime elaboravit. Peritissimus hic artifex, principiis *Clairaltii* assuetus, telescopia dioptrica foco circiter 27 poll. 3 lin. construxit, in quibus radii superficierum vitri communis 17 poll. 4. lin. et 5 poll. 4 lin. lentis autem crystallinae 5 poll. 5 lin. et 4 ped. sunt. Porro idem (l. c. p. 618) Dominos *de l' Estang* et *George* multas lentes obiectivas ratione 5 ad 1, videlicet quarum menisci crystallini curvatura interior et concaua semidiametro gaudet quinques minore, quam convexitatis exterioris semidiameter, et lens utrinque convexa, ex vitro communi parata, iisdem semidiametris cum priori est praedita, non sine successu poliisse enarrat.

SECTIO II.

§. 1.

Anno circiter 1762 quo mathematicorum principes, *Eulerus*, *Clairault*, *Klingenstierna*, *d'Alembert*, alii, nulla non perspicuitate et cognitione adhibita subliniore, animum in disquirendis determinandisque lentium obiectivarum ex duplici vitri specie combinandarum regulis, habebant occupatum: vitrorum ad scopum hunc idoneae species, non sine difficultate atque magnis sumtibus omnes ex Anglia, maculis quidem, nodis, bullulis, gyris, omnibusque quibus vitra poliendis lentibus inepta fiunt defectibus nunquam non laborantes,

*) Vid. de la Lande Astronom. T. II p. 840. §. 1822.

**) Vid. Mém. de Sc. de Paris pour l' an. 1762 p. 614. §. 7.

borantes, asportabantur. Quam ob caussam vitrorum maximis sumtibus emtorum vix decima parte uti, aliudve, compositione vitrorum plane incognita, et ab Anglis omnimode celata, eorum in locum substituere haud poterant.

§. 2.

Ego, Petropoli tum degens, postquam inventi huius pretium et insignem usum satis perspexi, mox omni attentione de illo meditari instituebam, siquidem ipsa propemodum fortuna, qua duas vitrorum species, diversa sua refrangibilitate Anglicis similes, *Crown*- et *Flintglass* dictas, Imperio Russico quasi indigenas, reperi, ad ipsa inventi vestigia sequenti fere modo me perduxit. Primo enim comparatio vitri crystallini ex officina Petropolitana, cum crystallo Anglica, hanc me similitudinem docuit: quippe utrumque, quando lampadis flammae exponitur, splendorem suum amittit, et colorem inducit cinereum sive plumbeum; id quod prima vice experiebar, cum barometra et thermometra tam ex vitro albo Petropolitano, quam ex alio crystallino, quod dicebatur Anglico, conflarem. Porro, cum mihi non esset ignotum, vitri albi Russici compositionem partem minii continere, statim illam mutationem splendoris in cinereum colorem pro signo habui, magnam quoque inesse vitro Anglico plumbi calcis partem; quoniam, teste chemia, color hic cinereus initium reductionis metallicae a flammae fumo, tanquam inflammabili, productae, recte statuitur.

§. 3.

Colorum maiorem dispersionem a plumbi partibus originem forsitan ducere, venit in suspicionem; qua ductus et confirmatus ex vitri speciebus, quae speculorum inde conficiendorum caussa funduntur, et in officina ista, 32 stadiis Russicis (*Werst*) ultra Schlüsselburgum sita, poliuntur, diversos cuneos poliendos curavi, et facto aliquoties tentamine, bina

tandem vitra, album, atque dilute viride deprehendi, quoad vim tam colores dispergendi, quam radios refringendi medios, Anglico *Flint*- et *Crownglass* perfecte aequales: namque angulus dissipationis crystalli tres partes dimidias anguli dissipationis vitri viridescentis continet, et vis eorum refractiva quam proxime est eadem.

§. 4.

Cum vero calcem plumbi partem esse ingredientem compositionis vitri Anglici crystallini, *Flintglass* sive *Strass* dicti, ac potiorem colorum dispersionem ab ista calce metallica, minime autem sive ab albedine, sive a viriditate vitri dependere, primus detexissem, et innumeris experimentis, serie haud interrupta, postea quotidie institutis, angulum dispersionis cum quantitate calcis plumbeae relativa simul augeri convincerer: accidebat anno subsequente 1763. ut scientiarum atque virtutum dea, Augustissima, Invictissima *Catharina* II. Ottomannorum terror, totius Europae adoratio, pro eo qui ipsi in litteras est incredibili amore, conventum Academiae scientiarum die 2. Iul. st. v. suprema praesentia sua redderet splendidissimum, mihique per illam occasionem prorsus solemnem, de meis noviter detectis, et institutis eum in finem experimentis, germanice praelegenti, aures praeberet clementissime.

§. 5.

Compositionem vero vitri crystallini, in Differt. de vitris p. 13. not.*, iam a me descriptam *), anglicam esse, et prorsus eam, ex qua Anglorum *Flintglass* conficitur, comparatione huius vitri cum anglico plus centies repetita, didici; id quod nemini admirationem movebit, qui vitrarias

*) ℞. Nitri, Minii āā ℔ j. Aren. alb. ℔ jß. Arsenic. ℥j. Magnes. ℥ß.

rias officinas, Petropolitanam, Iamburgenſem, et Naſienſem, ab Anglicis artificibus erectas, et compoſitiones vitrorum apud Anglos conſuetas ab iis ſic introductas eſſe, perſpectum habet. Iamburgenſis quidem, ſpeculis conficiendis adaptata, in praeſens extincta, et ad Naſiam, loco videlicet poliendis ſpeculis magis commodo, translata eſt. Hic quemadmodum tabulae vitreae praegrandes ex cryſtallo Anglica fuſae inſignis reperiuntur puritatis; ſic cuiuslibet formae vaſa ex eodem vitro copioſe conflata, in vitriaria Petropolitana viſuntur, in qua non modo ſingulis ſeptimanis conſuetam vitri anglici *Flintglaſs* dicti compoſitionem vicenis amplius vicibus miſceri, fundi, et conflari vidi, ſed etiam multas et varias, easque nouas vitri compoſitiones fundendas curavi. Quarum in numero aliquam, eamque ſingularem prorſus, reperi, quae in obiectivae lentis achromaticae combinatione vulgari cryſtallo anglicae palmam praeripit. Eius enim refrangibilitas cryſtalli Anglici refrangibilitatem longe ſuperat, ac refractio iſtius media vix paullo maior eſt refractione vitri communis *). Vires autem huius vitri refractivae, cum viribus tam vitri cryſtallini, quam communis, ſunt ſequentes:

	Ref. med. ex aere in vitr.	
Vitr. novae meae compoſitionis	— 1,61	ad 1.
Vitr. flintgl. tam anglic. quam ruſſ.	— 1,60	ad 1.
Vitr. comm.	— 1,55	ad 1.

	Ratio diſperſ. ad vitr. commune.	
Vitr. meae nov. compoſit.	— 2,739	ad 1.
Vitr. flintgl. angl. et ruſſ.	— 1,500	ad 1.

§. 6.

Quali vero quantave cautione in fabricandis et fundendis vitris, ex plumbi calce, tanquam ex parte, compoſitis,

*) Componitur e Nitri et Aren. part. aequ. ℔ j. Min. ℔ ij. Arſenic. ℥ j. Magneſ. ℥ ß.

tis, opus fit, qui in his versantur laboribus satis pervident. Mihi quidem in vitriaria, quae Petropoli est, officina, Auspiciis Imperatricis Optimae, sumtibusque Academicis, experimenta quotidie instituendi, repetendi, et cautiones necessarias perdiscendi, exoptatissima data est occasio. Quas, uti edoctus sum, hoc loco breviter recensebo.

§. 7.

Massam vitream, cui plumbi calx est immixta, homogeneam, puram, pellucidamque si desideremus, omni cavendum cura est, ne flamma eandem verberet, neve fumus aut carbonum pulvis sese insinuet. Id enim simulac contigerit, pars calcis metallicae, mediante inflammabili, quod massae hoc modo admixtum est, in metallum denuo reducitur, et massam impuram, heterogeneam, striis nigris reddit maculatam; quod quidem ollis fornice coopertis, ad latus apertura praeditis, perfecte evitatur.

§. 8.

Ad ollarum massam simul est respiciendum, ut qualitate gaudeat debita, hoc est, ut vitri vi Saturnini solventi perfecte resistat, ne ollis perforatis tota deperdatur vitri massa. Ut autem haec avertatur iactura, seligenda est terra difficillime vitrescens, argillacea, subtilis, ab omni arena crassiori striisque ferreis libera. Ollae, quibus utuntur in vitriariis Russicis, ex terra prope Moscuam et in aliis Rutheniae regionibus effossa, subtili, argillacea, alba, conficiuntur, et vitro Saturni admodum resistunt. De fornacum vitris fundendis metallicis inservientium constructione, de vitando inflammabili, de formatione vasorum, de compressione et densatione argillae, de modo eam compingendi, pulsandi, cet. multa dicere penitus superfluum foret, quoniam illae res omnibus, qui in elaborandis encaustis, obducendis porcellanis cet. versantur, sunt notissimae.

§. 9. Vi-

§. 9.

Vitri massa in furno ad minimum tres vel quatuor dies, priusquam effundatur, persistat liquida, ut partes eiusdem ingredientes perfecte sese soluant et commisceantur; consequenter ut vitrum homogeneum, limpidum, ab omnibus striis seu stratis, nodis, maculis, ceteris vitiis, immune praestetur. Quodsi enim non satis diu in olla retinetur fusoria, impurum, et fini parum idoneum obtinetur vitrum. E contrario, si massa nimis longo temporis intervallo in fusione substiterit, accidere potest, ut vas corrodatur et perforetur. Experientia quemlibet diligentem et attentum artificem, quaenam sit iusta fusionis duratio, brevi docebit.

§. 10.

Vix monendum videtur, arenam, si vitrum crystallinum, i. e. omnis tincturae et coloris expers, desideretur, ab omni impuritate liberandam esse. Efficitur hoc partim crebriore lavatione, partim silicibus et arenis, a partibus, quae ipsis communiter et maxime adhaerent, martialibus, spiritus ope vitrioli, aqua diluti, repurgatis, et per solutionem liberatis. Sed ad scopum dioptricum plane nihil interest, utrum colore quodam imbutum sit vitrum, an secus: etenim neque umbra, qua tinctum est vitrum, neque eius defectus, de refractione media, aut de refrangibilitate, quidquam detrahit, aut eandem, uti innumeris experimentis ipsemet comperi, ullo modo mutat.

§. 11.

Vilioris pretii vitrum forsitan obtineri poterit, si loco Sodae Hispanicae cineres clavellati, et in locum nitri dimidium circiter ponderis eiusdem alcali fixi substitueretur; quoniam dispersionis vim, a proportione calcis plumbeae ad reliquas ingredientes partes, solummodo pendere evidentissime constat. Sodam Hispanicam longe solidius, et in aeris

 humi-

humiditate multo durabilius vitrum, quam cineres clavellatos efficere, nihil attinet monere. Sed ad refractionem mediam quod attinet, quaenam massae vitreae iungantur salia non idem videtur esse: id quod ipse saepenumero periculorum expertus fide sum.

§. 12.

Accidit interdum, ut liquescente adhuc massa, quaedam vel maior, vel minor calcis saturninae pars, forma rursus metallica recuperata, vasis fundum petat, utque olla evacuata plumbi reperiantur grana; quamvis sine ullo puritatis, pelluciditatis, pulcritudinisque vitri crystallini detrimento. Quo fit, ut tabulae vitreae crystallinae ex eadem massae compositione, sed diversis fusae temporibus, quoad radiorum separationem nonnunquam aliquid differre soleant. Quam ob rem non possum non suadere, ut de qualibet tabula, ex qua lentes conficere propositum nobis sit, antea cunei poliantur vitrei, atque sic dispersionis quantitas, methodo cognita, quantum fieri potest accuratissime determinetur.

§. 13.

Cum semper sit in manu nostra, minii quantitatem augere, reliquarum partium constituentium ponderibus manentibus iisdem: facile perspicitur, quod vitreae etiam massae vim dispersionis conciliare tantam possimus, quantam ad vitrum, scopo nostro aptissimum, atque desiderata colorum dispersione praeditum, sufficere indicaverimus.

PETRI

PETRI LAMBECII, HAMBURGENSIS, *Commentariorum de Augustissima Bibliotheca Caesarea Vindobonensi*, LIBER I. — *Editio altera, Opera et studio* ADAMI FRANCISCI KOLLARII, *Pannonii Neosoliensis, Mariae Theresiae Augustae a Consiliis, et Vindobonensis Bibliothecae Palatinae Custodis Primarii*: LIBER II. *eiusdem opera.*

Vindobonae, typis et sumtibus Io. Thomae Nob. de Trattnern: MDCCLXIV. et MDCCLXIX. fol. cum fig. aen. quamplurimis.

Opus Lambecianum, eruditione et utilitate ita diu notum est doctis hominibus omnibus, ut nihil de eo dicere attineat. Prodiit istius praeclari operis nova editio, in qua quid ab illustri atque eruditissimo *Kollario* sit praestitum, iterum indicabimus. Permulta Lambecius, an per errorem, an aliam quam ob caussam, commiserat, aut omiserat, et ea in *Additamentis* demum corrigenda, vel addenda, admonuit. Haec omnia, lectoris commodo, ipso iam subiecta leguntur textui, additis insuper, ubi Lambecius a vero declinavit, illustris Kollarii adnotationibus. Exceperat librum primum operis Lambeciani Catalogus Codd. Orientalium sub Nesselii nomine editus, ad quem monet Vir illustris, Bibliothecae Vindobonensis non eam esse talium codd. multitudinem, quae cum aliis conferri possit, et magnum in hoc genere futurum fuisse incrementum, nisi ingens numerus Codd. Orientalium, captus a Turcis, (et quorum Catalogus a Michaele Talmanno editus est Vindobonae Anno MDCCII.) a Marsiglio Bononiam esset transmissus; quod sane, quia Itali haec studiorum genera fere contemnunt, non levi literatu-

rae

rae Orientalis cum iactura factum videtur. Excipiunt Catalogum Nesselii Supplementa illustris Kollarii, in quorum principio agit de ipso Lambecio, vitamque eius, partim ex Mollero, ipso indicante desumptam tradit. Invectus fuerat Mollerus acerrime in Lambecium, quod, sacris Lutheranis relictis, transisset ad Pontificios. Defensionem brevem Lambecii instituit Vir illustris, addiditque Catalogum librorum ab Lambecio editorum, quem Fabricius iam subiectis quibusdam adnotatiunculis vulgaverat. Pergit postea Vir Illustris de reliqua Lambecii vita, studioque eius in bibliothecam Augustam ingenti, quae, inquit, *iacuisset adhuc procul dubio, inglorta, et in tenebris situque suo, nisi Lambecii, immortalis alumni sui, in lucem et vitam incredibili labore fuisset educta.* Nulla sane Lambecio maior potuit contingere laus, quam talis, a tanto Viro. Neque tamen tantus est in laudando Lambecio, ut non fateatur, inconstantiae et festinationis in Lambecio fuisse nimium, de quo multa p. 532. Vindicat tamen eum a duris Reimanni obiectionibus. Ea nihilominus etiam iudicans de affectis Lambecii caeteris commentariorum libris, utitur modestia, quae simplicem animi non fucati candorem prodit Tractat deinde a p. 541. de opere, quod Lambecius promiserat *Syntagma Rerum Germanicarum.* Recenset Codd. Vir Illustris, quibus uti voluit Lambecius, subiuncta cuique crisi, adcurata illa quidem et eleganti. Non erit iniucundum lectoribus, titulos librorum indicare, quando ea, quae observat Vir Illustris, etsi eruditionem summam produnt, plura sint quam quae possint adscribi. Sunt autem hi. *Codex Epistolaris Carolinus,* quem a Tengnagelio Bibliothecae tum temporis praefecto missum ad Gretserum vitiatum, ab eodemque vitiose editum demonstrat Vir Illustris. Parasse quidem ill. Gentilottum, narrat p. 547. novam huius operis editionem; sed immortuo hoc operis consumationi, rem venisse ad Em Cardinalem Passioneum, sub cuius auspicio a Clar. Cennio opus est editum, hoc titulo: *Monimenta Dominationis Pontificiae,* Romae MDCCLX.

Digitized by Google

MDCCLX. duobus Voll. in 4. Sed neque tamen post horum virorum curas integrum esse datum hunc codicem, iudicat Vir Illustris, cuius exemplum profert ex prima Gregorii ad Carolum Martellum epistola, ubi Gretserus *ad Regnum dimisimus*, Lambecius *ad rogam dileximus*, Gentilottus, quod probat, *ad rogum dileximus*, explicatque *rogum* de militiae praemio, quo excitare pontifex Carolum voluit, ut Urbem a Longobardis defenderet. II. *Ermoldi Nigelli, Exulis, Poëma Elegiacum, de vita et rebus gestis Ludovici Pii.* III. *Rhabani Mauri Glossarium Latino Theotiscum in Biblia Sacra Veteris et Novi Testamenti.* IV. *Calendarium Ecclesiasticum sub Impp. Carolo Magno et Ludovico Pio compositum.* V. *Concilii Wormatiensis Professio fidei, contra errores Graecorum.* Desiderari eam in utraque Conciliorum collectione, et Harduini et Mansiana, observat Vir Illustris. VI. *Historia de Sanctitate meritorum, et gloria miraculorum beati Caroli Magni.* VII. *Officium ecclesiasticum in honorem et memoriam Sancti Caroli Magni.* VIII. *Udalrici Babenbergensis Codex Epistolaris.* IX. *Codex Epistolaris Antiquitatum Archiepiscopatus Magdeburgensis.* X. *Anonymi Chronicon Trevirense.* XI. *Hermanni Abbatis Altaichi inferioris Chronicon Altaichense.* XII. et XIII. *Codex Epistolaris Imperatoris Rudolphi.* Editus hic a Cennio V. Cl. Romae MDCCLX. inter Monumenta Dominationis Pontificiae, sed male, ut erudite docet Vir Illustris, neque ad fidem Codicis. XIV. *Rationarium Austriae et Styriae, ab Helwico Turingo compositum.* XV. *Ottocari de Horneck, Equitis Styri, Chronicon Germanicum rhythmicum, rerum gestarum Impp. Rudolphi I. et Alberti I.* XVI. *Engelberti, Abbatis Admontensis, liber de ortu et fine Romani Imperii, post primam Gasparis Bruschii editionem secundum editus.* XVII. *Eiusdem Engelberti, Abbatis Admontensis, Speculum Virtutum.* XVIII. *Annales Crembsminstrenses, seu Cremifanienses.* XIX. *Chronicon Crembsminstrense ab anno 777. usque ad annum 1298.* XX. *Anonymorum quorundam Autorum hactenus ineditae continua-*

Digitized by Google

tinuationes Chronici Hermanni Contracti. XXI. *Wichardi de Polhaim Continuatio Chronici Hermanni Contracti.* XXII. *Chronicon Austriacum ab A. C. MCIV. usque ad A. MCCLXXIX.* XXIII. *Chronicon Austriacum Florianense.* XXIV. *Chronicon Austriacum Claustro-Neoburgense.* XXV. *Anonymi Chronicon Thuringiae.* XXVI. *Chronicon Austriacum Zwethalense.* XXVII. *Chronicon Mauerbacense.* XXVIII. *Aureae Bullae Imp. Caroli IV. editio nova.* XXIX. *Anonymi cuiusdam, natione Itali, Tractatus de expeditione Imperatoria in Italiam recte instituenda, &c.* XXX. *Aureae Bullae Imp. Caroli IV. prima omnium atque authentica versio Germanica.* XXXI. *Anonymorum quorundam Autorum Catalogi antiqui Archiepiscop. Episcop. et Abbatum Germaniae.* XXXII. *Centuriae quatuor variorum selectorum diplomatum hactenus ineditorum.* XXXIII. *Summaria antiqua selectorum veterum Diplomatum miscellaneorum plusquam bis mille.* XXXIV. *Tractatus Commercii inter Regnum Angliae et Hansam Teutonicam.* XXXV. *Monumenta varia antiqua ad Historiam Hamburgensem pertinentia.* XXXVI. *Monumenta varia antiqua ad Historiam Archiepiscopatus et Civitatis Bremensis pertinentia.* XXXVII. *Anonymi cuiusdam Presbyteri Bremensis Continuatio Chronici Slavorum Helmoldi.* XXXVIII. *Aeneae Sylvii Historia Austriaca.* XXXIX. *Concordata de Beneficiis Ecclesiasticis Germaniae inter Papam Nicolaum V. et Imp. Fridericum III.* XL. *Ioannis de Zredna Epistolae Historicae.* XLI. *Nicolai Langmanni de Falkenstein Historia Desponsationis et Coronationis Imp. Friderici III. et Eleonorae eius coniugis.* XLII. *Columbani de Pontremulo Descriptio Coronationis Imp. Friderici III.* XLIII. *Goswini Mandoctae, Cantoris in Capella Papae Nicolai V. Descriptio Introitus Imp. Friderici III. in Urbem Romam.* XLIV. *Acta publica Rebellionis Austriacorum contra Imp. Fridericum III.* XLV. *Acta publica et Concordata inter Imp. Fridericum III. et Matthiam Corvinum, Regem Hungariae.* XLVI. *Anonymi cuiusdam, coaetanei auctoris, Descriptio exequiarum*

Digitized by Google

quiarum Imp. Friderici III. XLVII. *Bernardi Bergeri, Praefecti Senatus Viennensis, Oratio, in funere Imp. Friderici III. dicta.* XLVIII. *Diplomata varia hactenus inedita, ad Imper. Friderici III. vitam et res gestas pertinentia.* XLIX. *Henrici Gundelfingii Historia Austriaca.* L. *Eiusdem Gundelfingii Narratio de Successione.* LI. *Alberti Baronis de Bonsteten Historia Austriaca.* LII. *Joannis Langeri Calendarium Astronomicum fatidicum.* LIII. *Nicolai Schreitweinii Catalogus Archiepiscoporum et Episcoporum Laureacensium et Pataviensium.* LIV. *Laurentii Hochwardi Catologus Episcoporum Ratisbonensium.* LV. *Wolfgangi Lazii Chorographia Austriae.* LVI. *Eiusdem Wolfgangi Lazii alia varia scripta historica, hactenus inedita.* LVII. *Anonymi cuiusdam coaetanei Autoris Narratio de Dissensione Provincialium Austriae post obitum Maximiliani I. Imp. Viennae orta.* LVIII. *Imp. Ferdinandi I. fata astrologica, conscripta a Balthasare Sartorio Wratislaviensi.* LIX. *Anonymi cuiusdam Autoris descriptio satyrica Aulae Imp. Maximiliani II.* LX. *Acta publica Electionis Imp. Maximiliani II. in Regem Poloniae.* LXI. *Joannis Sambuci liber de Panauthentia, sive Maiestate Imperatoris, et quorundam praeiudicio, sive Donatione Constantiniana.* LXII. *Onuphrii Panvinii Veronensis de Comitiis et potestate Imperatoris Libri tres.* LXIII. *Caeremoniale antiquum Coronationis et Consecrationis Imperatorum Romanorum Aquisgrani.* LXIV. *Codex Epistolaris Rudolphi II. Haec sunt opera, ex quibus* Lambecius voluerat conficere Hist. Germ. *Syntagma.* Nos tantum titulos indicavimus, sed neminem poenitebit ea perlegisse, quae ad singula adnotavit Illustris Kollarius. Sequitur deinde Catalogus aliorum librorum, quos Lambecius promiserat, desumtus ex Reimanno, auctus etiam ab illustri Kollario. Successit Lambecio Nesselius, cuius etiam vitam, sed maxime eam, quam praefectus bibliothecae egit, conscripsit Kollarius. Sed erat Nesselius iste, ut eruditione, ita constantia in laboribus ferendis, Lambecio longe inferior,

 ipso

ipso illustri Viro iudice, qui etiam candide indicat, ubi Nesselius peccaverit, et, quomodo antecessoris vestigia premendo, plus utilitatis in rem litterariam conferre potuisset. Enumerantur deinde opera, et quae edidit Nesselius, et quae edere promisit, intermixtis eruditis sane observationibus. Mortuo Nesselio A. MDCXCIX. aliquot annis sine praefecto fuit Bibliotheca Caesarea, et per id tempus plures ex illa ablatos Codices Msctos queritur Cel. Kollarius. Anno demum MDCCVI. cura bibliothecae imposita est *Joanni Benedicto Gentilotto*, nato non longe ab urbe Tridentina. Eruditione, ut iudicat Vir illustris, et laborum assiduitate, Nesselio haud paullo superior Gentilottus, incepit opus Lambecii et Nesselii affectum persequi, inde a libro decimo, conscripsitque XV. Volumina quae nondum sunt edita, ita tamen, ut assiduitatem Lambecii sit imitatus, vitaverit contra vitia, in quae ille inciderat, levitatis nempe et festinationis. Enarrat, quae in istis operibus contineantur, Vir illustris, late, et, pro more, eruditissime. Romam profecto Gentilotto A. MDCCXXIII, cura Bibliothecae venit ad Pium Nicolaum Garellium, et Alexandrum Riccardum; qui duumviri, etsi scriptum de bibliotheca nihil reliquerunt, teste Viro illustri, tamen nihilo minus de ea praeclare sunt meriti. Nam praeterquam quod eorum consiliis in aedificiis bibliothecae novis exstruendis usus est Carolus VI. Imperator, etiam lautissimis copiis numerus librorum est auctus, emtis bibliothecis, Hohendorfiana, Cardoniana, ipsius Riccardi, et Eugenii Principis. Illatus est praeterea in bibliothecam ingens numerus Codd. Graecorum, ex regno Neapolitano Imperatori dono oblatorum, quorum Catalogus, lingua Italica confectus exhibetur p. 766. sqq. A morte Garellii Aug. Bibliotheca Praefecto caruit, cuius vice eidem praefuit Nicolaus Forlosia, Custos Primarius, ad annum usque MDCCXLV. quo Gerardus van Swieten ei est praefectus. A quo et Illustris Kollarius, ut ipse narrat, commendatus

datus Theresiae Augustae, inter eos adlectus est, qui Bibliothecae curam haberent. Et Spanagelio quidem, alteri Bibliothecae Custodi, mortuo, de cuius doctrina et libris, partem editis, honorifice differit, successit. Absoluta, quam instituerat Vir Illustris, de Forlosiae vita et scriptis, animoque non satis candido, narratione, agit de illustri van Swieten, et quales ei in componenda Bibliotheca Augusta, per Praefectos pessime curata, exhauriendi labores fuerint, exponit, quæque hoc praefecto, et quam insignia acceperit incrementa.

Secundus Tomus non habet ille quidem, ut prior, supplementa, sunt tamen notae et animadversiones per totum opus dispersae, quibus Lambecii errores, quos subinde commisisse visus est, erudite emendantur, et castigantur modeste, quaeque non adcurate dicta sunt, diligentius finiuntur. Omnia describere hic non vacat, neque est necessum: pauca tamen, quae rei sint argumento, proponemus. Disputat e. c. verbose Lambecius de ratione nominis urbis Vindobonensis, et vult tandem, scriptores Germanos latine scribentes non *Viennam*, sed *Wiennam* adpellasse. Iudicat Vir illustris, non tantam Lambecium in hac re indaganda debuisse collocare curam, *cum soloeca sit scribendi ratio* (nempe *Wienna*,) *aut profecta ab inscitia, aut ab Austriacorum Teutonumque, latine loquentium et scribentium*, consuetudine; in quo libenter Viri illustris sententiae subscribimus. Lambecius enim erat adsuetus nostro mori pronuntiandi τὸ *V* per *F*, cum aliae nationes pronuncient per *W*. Ubi p. 10. Lambecius vult confutare, Vianam Plinii esse Wiennam: non inepte admonet Vir illustris, neque Plinium in recensendis provinciarum oppidis semper fuisse diligentem, neque alios, etiam alioquin diligentes scriptores, inprimis si non dedita opera id agere instituerent; quod firmat exemplo Livii et Ammiani Marcellini. Pag. 27. sq. agit Lambecius de situ oppidi *Astura*, aliorumque sententiis reiectis statuit, fuisse nec in *Norico Ripensi*, nec in *Pannonia*, sed in *utriusque vicinia*, i. e. in *Quadorum*

 regione,

regione, ad *ulteriorem* ſive Germanicam Danubii ripam, idque adfirmatum contendit ex S. Severini vita, quam Eugippius ſcripſit, ubi reiecta lectione, quam dat editio Velſeriana, *in vicinis Ripenſis et Pannoniarum partibus, &c.* praefert lectionem Mſcti Vindobonenſis, *in vicinia Norici Ripenſis et Pannoniarum, parvo* &c. Sed malum Criticum egiſſe docet Vir illuſtris, diſertis his additis verbis, ſe Lambeciani adſerti gratia ipſum inſpexiſſe Codicem, qui habeat, *in vicino*, et inde colligit, Aſturim oppidum ſitum fuiſſe trans Cetium montem, in ultimis Norici Ripenſis finibus, Pannoniam ſuperiorem contingentibus. Eadem diligentia inquiritur in Comagenum et Favianam, doceturque, in horum locorum ſitu definiendo erraſſe cum aliis Lambecium. Et cum multam in eo conſumſerit operam Vir iſte, ut doceret, Viennam Auſtriae olim adpellatam fuiſſe Vindobonam, monet pag. 73. Kollarius, idem iam dudum docuiſſe Cluverium, et conſentire in eo veteres, poſtremam Pannoniae urbem verſus Noricum, Cetium prope montem, fuiſſe Vindobonam. Non videtur abſurdum, totum adſcribere locum, in quo Vir Illuſtris ſuam de Vindobonenſis urbis origine prodit ſententiam, his verbis p. 114. „Arbitror, Pannonias in Romanorum ad has oras adventu ſedes iam fuiſſe noſtrorum Slauorum, quos Germani, cum alias ſemper, tum etiam nunc, *Windos* et *Wendos* vocant: habitatum deinde ab his fuiſſe exiſtimo vicum ſive oppidum ad ripam torrentis, cui *Viennae* nunc nomen eſt, adpellatumque Slavico nomine *Wieden*. Subacta ab Romanis Pannonia, ad *Widen* vicum poſita fuiſſe a milite Romano caſtra exiſtimo, lingua et conſuetudine orbis terrarum victoris populi *Vindobona*, id eſt *Windo* aut *Wendo* futura bona; quae poſtea, ob perpetua legionis cuiuſpiam in iis ſtativa, in villam aut oppidum fuerint converſa. Conditarum a Romanis hoc prorſus modo urbium, et captandi boni ominis ſtudii exempla, habemus complura: quippe in Rhaetia, ex caſtris utique Romanis, natum eſt oppidum *Rhaeto-*

Rhaetobona; in Belgica, *Juliobona*; in Gallia, *Augustobona*. Hanc *Ptolemaeus* Αὐγουστόμανα, *Augustomanam* vocat, quae, ut recte obseruat *Cellarius*, eadem est cum *Augustobana* Antonini, aut Aethici itinere, a Carocotino portu *Augustobonam*. Quippe, ut idem Cellarius adnotat, utriusque vocabuli idem sensus, idem *omen* est; quia quod Varro prodit lib. 5. de latina lingua cap. 2. *Bonum* antiqui dicebant *manum*, et aureo quoque seculo prisca vocabula a vulgo, lingua latina utente, fuisse conservata, dubitari nequit. Atque haec eadem causa est, cur in *Notitiae Imperii* vetustissimis membranis, sub ditione Pannoniae primae et Norici Ripensis, pro *Vindobonae* constanter occurrat scriptum *Vindomanae*. Quam etiam ob causam procul a vero aberrant illi, qui hoc ex *Vindobona*, vulgi non recte enunciantis vitio, natum esse arbitrantur, et in exemplaribus *Notitiae Imperii* suis *Vindomona*, *Vindomina*, vel *Vindoniana* tolerant. Errat quoque Cl. Wesselingius, *Itinerarii* pag. 234. haec scribens: *Vindomanam non improbaverim tot testibus firmatam*, *arbitratus, quae et Cluverii sententia, in vocis sono fuisse variatum.* Sed *Augustomana* pariter multis testibus firmatur, atque idcirco probari, et *Vindomanae* lumen adferre potest. Igitur his, quae modo adlata sunt, diligenter expensis, aio: *Vindomanam* vocis sono corruptum non videri, et *Vindobonae* priscum nomen Romanae potius, quam vel Teutonicae, vel Slavicae originis esse; quod diligentissimum quoque Cellarium fugisse vehementer miror." Non gravati sumus, observationem hanc, etsi longiorem, inserere, partim quia est testimonio, quam modeste Vir illustris ab aliis dissentiat, et qua diligentia et cautione in res antiquitate obscuras inquirat; partim ut aliis esset exemplo, ad cuius imitationem similia tractare addiscant. Et talis semper est Kollarius, in suis, quas his Commentariis addidit, castigationibus et observationibus. Quapropter magna ei est habenda gratia ab universo orbe erudito, quod laborem hunc gravis-

graviſſimum ſibi iniunxit, incepitque dare Lambecianorum Commentariorum eam editionem, in qua et Lambecii peccata candide indicata emendarentur, et quae ille, rerum multitudine obrutus, ſubinde omiſit, commode explerentur. Magna etiam huic editioni accedit a typorum et chartae elegantia, quae priorem longe ſuperat. Optamus autem vehementer, poſtulamuſque nomine eruditorum publico, ut Viro illuſtri telam inceptam pertexere, et reliquos Tomos abſolvere placeat: ad quae perficienda Deus illi vitam ſine moleſtiis, valetudinemque, quae par ſit tanto oneri ferendo, continuet, precamur.

HISTORIA ET COMMENTATIONES ACADEmiae Electoralis Scientiarum et elegantiorum literarum Theodoro - Palatinae, VOLVMEN I.

Manhemii, Typis Academicis, MDCCLXXII. quaternis.

Tanta per bellorum complurium atrocitatem, quae Palatinatum Rhenanum igne olim et ferro devaſtaverunt, bonis litteris videbatur illata calamitas, quae ſumma Principum per multos annos continuata cura vix repararetur; abductis inprimis, ſive potius abſtractis dilaceratiſque Heidelbergenſibus theſauris illis, quos ſine lacrimis et moerore patria vix cogitet. Magnum eſt, has tantas litterarum miſerias ſiſtere, magnum, vi eiectas in exilium Muſas revocare, eaque inire et exſequi conſilia, per quae, ſuperatis difficultatibus, in antiquas illae ſedes, laetas olim atque iucundas, vaſtatas dein funeſtaſque, reduci ſe patiantur. Quodſi aliqua tandem ratione minui levarique poteſt Palatinatus univerſaeque Germaniae iuſtum Bibliothecae Heidelbergen-
ſi;

Digitized by Google

sis, quondam suae, desiderium, summae id iam Serenissimi Caroli Theodori Electoris tribuendum erga litteras litteratosque indulgentiae, quae, ut illas firmaret, extolleret, augeret, hos excitaret, foveret, novam instituit Academiam. Quae quo laetius surgeret, tutiusque habitaret, eadem, qua Princeps Indulgentissimus, sede continetur. Non potest non excelsa veraque magni Principis haec indoles omnibus, qui litteras amant, esse gratissima. Quam, dum satis laudare non possumus, ne verbis minuamus, ipsum decretum, sapientissimi et indulgentissimi animi indicem idoneum, adscribere non dubitamus.

Carolvs Theodorvs, *Dei gratia Comes Palatinus Rheni &c. &c. praesentibus atque futuris literas has inspecturis, salutem. Cum felicitatem Principatuum et splendorem nulla re magis, quam artium liberalium et scientiarum cultura promoveri, pristinumque eorum florem in Palatinatu nostro ad Rhenum, funestis et frequentibus bellis magno cum rei publicae detrimento, a seculo superiore interruptum esse constet; pace Germaniae totique Europae nuper restituta, nihil nobis antiquius fuit, quam ut literae, ab exilio suo in terras nostras revocandae, nitori suo restituerentur antiquo; postquam a multis iam annis librorum, numorum veterum, et naturalium rerum thesauros insignes, in palatio nostro collegimus, unde multiplex viris eruditis examinandi, differendi, scribendique oriretur materia.*

Re itaque cum peritis, fidelibus nobis ac prudentibus viris, mature deliberata, praeter antiquissimam nostram Universitatem Heidelbergensem, non tam proferendis solidioris doctrinae finibus, quam formandis studiosae iuventutis ingeniis consecratam, diplomate hoc nostro solenni novum doctorum virorum collegium, scientiarum nempe et elegantiorum literarum academiam, ad leges a nobis approbatas atque sancitas, in palatio nostro Electorali Manhemii instituimus, stabilimus, stipendiis et privilegiis liberaliter munimus, bibliothecam nostram, antiquarium, numophylacium,

Ggg *char*

chartularia, pinacothecas, omnisque historiae apparatum, eidem academiae aperientes, ut praesidiis et auspiciis nostris universam praesertim Palatinatus omnis aevi historiam, Principum in eo regnantium origines, progressus, et fata, quin etiam varia liberalis naturae per provincias nostras dona, ad omnem posteritatis memoriam scrutari, eruere, illustrare, perscribere, et cum orbe literato communicare queat.

Ad plenam voluntatis nostrae fidem, et auctoritatem perpetuam, literas has nostras propria manu signavimus, eique sigillum nostrum Electorale appendi iussimus. Datum Manhemii die decima quinta mensis Octobris anni MDCCLXIII.

Cum Electorale hoc diploma, legum, quae novae academiae latae sunt, facit mentionem, illiusque inde cognosci possit natura et ratio, quae sint hae leges, cognoscere non fuerit iniucundum.

ACADEMIA *Electoralis Theodoro-Palatina, de rerum gestarum atque naturalium, Palatinatus praecipue, domusque in eo regnantis, historia, artibusque eo spectantibus, solicita; in omnibus veritas suprema lex esto.*

Academici universi doctrina, studiis, moribus suis commendabiles, et a partium studio alieni sunto. Quae privatim tractantur, ne propalanto.

In duas illi classes, historicam et physicam, divisi sunto. Altera alteram in rebus ad alterutram solam spectantibus ne turbato.

Legum ac dignitatum custodes, Praeses atque Director, dein Secretarius actorum perpetuus, et quaestor aerarii, sunto. Secretario vicarius adiungitor. Praeter hos numerus academicorum ne denarium excedito.

Novi Socii electio penes academiam, confirmatio penes Principem esto. Secularis, vel ecclesiastico-secularis, non alius eligitor.

Praeses

Praeses et director a laboribus consuetis immunes, reliqui academici in legundis audiundisque commentationibus assidui sunto. Quicquid scripserint egerintve, placido sociorum examini et iudicio, repetita lectione subiciunto. Digna et suo et academiae nomine singuli commentantor.

Praesentium in conventibus praemium numus argenteus, in usum hunc cusus, esto.

Lingua in scribendis commentariis ac dissertationibus princeps Latina, Germanica et Gallica subsidiariae sunto.

In rebus, quae vel ab universo conventu, vel a singulis classibus decidi possunt ac debent, plurium suffragiorum habetor ratio. Sententiae scripta aut viva voce, prout aptius visum fuerit, explorantor. Praeses eas rogato pronuntiatoque; Secretarius actis inscribito.

Academiae apud exteros, horumque apud academiam, interpres Secretarius esto. Commentarios, et quidquid academia probaverit iusseritque, idem in lucem publicam edito. Tabulas, privilegia, literas, dissertationes praelectas, et sigillum servato. Academicorum fatis functorum elogia scribito.

Conventus aestivi in bibliotheca Electorali, hiemales in vicino conclavi, singulis diebus Jovis ab hora tertia pomeridiana ad quintam habentor. Bis quotannis feriae sex hebdomadum sunto, vernales et autumnales.

Primus post utrasque ferias conventus, publicus atque solennis esto. In vernali sociorum defunctorum elogia leguntor. In autumnali praemium numismatis aurei quinquaginta ducatorum, meliori, quae aliunde ad propositam quaestionem academicam missa fuerit, commentationi rite examinatae, tribuitor; novumque, alternis classium vicibus, problema in annum sequentem publicator.

Certantes de praemio ante Calendas Quinct. opuscula sua Secretario reddi curanto. Nomen in schedula obsignata adiiciunto.

ciunto. Si nullus palmam meruisse videbitur, praemium in sequentem annum servator. Academici iudices praemii non participes sunto.

Proximo inde conventu privato acceptorum et expensorum rationes annuas quaestor reddito.

Additae sunt deinceps leges hae:

Promovendis academiae honoribus et incrementis, socii quidam, tum honorarii, tum extraordinarii, adsciscuntor.

Honorarii vel generis sui, vel munerum, quibus funguntur, splendore, vel nominis in rep. literaria amplitudine, suoque in musas Palatinas favore conspicui; extraordinarii, ad musas has manu et opera sua amice iuvandas proni atque idonei sunto. Neutris conventus academicos adire fas esto, nisi per collegii indulgentiam singularem.

In conventibus academicis, publicis atque privatis, sedendi ordo servator ex tempore, quo quisque socius cuiusvis classis, ad praesidium directoriumve non pertinens, electus fuerit, nec alius cuiuscunque dignitatis praerogativae hac in re ulla habetor ratio.

His legibus nititur sapientissimi Principis ad promovendas litteras utilissimum institutum.

Indicabimus iam ea, quae in primo Actorum huius academiae Tomo continentur.

I.

Historia academiae.

Io.

Io. Dan. Reiffeiffenii commentatio victrix, de origine comitivae Palatinae ſub Romanis Imp. eiusque indole ſub Merovingis et Carolingis, Franciae regibus, usque ad diviſionem regni &c. *Latine*, pag. 76

Io. Henrici de Juſti diſſertatio victrix, de faciliori minuſque ſumtuoſa methodo, ex minera cuprifera aes vel cuprum purum eliciendi, *Germanice*, pag. 113

II.

Commentationum academicarum
pars prior, hiſtorica.

Cornelii Valerii a Vonck Sylloge obſervationum criticarum et etymologicarum, *Latine*, pag. 151.

Io. Danielis Schoepflini, de ara votiva Ladenburgenſi, Imperatoribus et Caeſaribus Rom. a Moguntiacenſi civitate Seculo III. exeunte dicata, *Latine*, pag. 183.

Andreae Lameii ad lapides quosdam Romanos, inventos ad Neccarum, *Latine*, pag. 193.

Eiusd. deſcriptio pagi Lobodunenſis ex chartis Sec. VIII. et IX. *Latine*, pag. 215

Eiusd. deſcriptio pagi Wormatienſis, *Latine*, pag. 243.

Io. Dan. Schoepflini de caeſareo Ingelheimenſi palatio, *Latine*, pag. 300.

Chriſtophori Jac. Kremeri de extinctis antiquioris et mediae aetatis Loewenſteinii Comitibus, *Germanice*, pag. 322.

Eiusd. incunabula Univerſitatis Heidelbergenſis, *Germanice*, pag. 373.

III.

Commentationum academicarum pars altera, physica.

Nomina haec virorum, et fama et eruditione celebrium, nihil nón sperare iubent, ea cura, diligentia, atque elegantia elaborata esse expolitaque omnia, quae maxima esse possit. De quibus ita, certi sumus, omnes sibi sunt persuasuri, ut, quid egerint, indicasse, laus eorum et gloria summa sit futura. Iucundissimum quidem nobis foret, si ea esset loci temporisque ratio, quae singularum dissertationum, quas hicce Tomus continet, accuratam dare enarrationem pateretur: sed cum sit ea abstinendum, unam alteramve paullo diligentius excussisse suffecerit.

Feriis primi, a. 1764. susceptum est iter litterarium, quo in civitate Vormatiensi repertae quatuor antiquae inscriptiones, omissae in Gruteri, Reinesii, Sponii et Muratorii thesauris, editae quidem a Schannato, et iam ante ab Anonymo, sed ab utroque, ut e nova hac editione apparet, vitiose. Ad portam S. Martini sunt quatuor saxa, quae litteras Romanas cum imaginibus habent,

Primum

Primum habet equitem, irruentem in hostes Germanos, cum inscriptione, cuius quidem hinc inde litterae quaedam sunt detritae, ex quarum tamen vestigiis haec verissime, ut monet Cl. editor, efficiuntur:

Q. CARMINIO IN
GENVO EQVITI ALA
HISPANORVM . . . . .
STIP. XXV. SIGNIFERO
SACER IVLIVS H. E. T.

Quae verba sic explicantur: *Quintus Carminius Ingenuus eques alae Hispanorum et signifer*, eamque dicitur sinistra signi figuram, quae alibi non inveniatur, tenere, meruisseque *stipendia XXV.* monumentumque posuisse SACER IVLIVS *Heres Ex Testamento.* Inscriptionem hanc sequioris esse aetatis inde colligitur, quod gentilitium nomen IVLIVS cognomini SACER postpositum est.

Altera Inscriptio ita habet:

LICINVS CLOSSI
F. HELVETTIVS ANN.
XLVII. EQVES ALA
HISP. STIP. XXVI. HS.
TIB. IVL. CAPITO H.

Licinius Clossii filius Helvetius annorum quadraginta et septem, eques alae Hispanorum, stipendiorum viginti et sex, hic situs est. *Tiberius Julius Capito Heres* posuit.

Tertia

Tertia in lapide equitis epigraphe est haec:

ARGIOTALVS
SMERTVLITANI
F. NAMNIS EQV.
ALA INDIANA
STIP. X. ANNO
XXX. H. S. E.
EREDES POSVE
RVNT.

Argiotalus, *Smertulitani filius*, et *Namnis*, indicant Gallum oriundum ex Namnetibus, f. Nannetibus (*Nantes*).

Quarta est peditis auxiliaris sepulcralis:

VEIAGENVS
SISGI F. MIL
ES EX COH
ORTE RAETO
AN. XLVI. STIP.
. . . . . .
. . . . . .

Cum vero inscriptio paene omnis iam sit detrita, facile intelligitur, antiquiores, qui eam iam dederunt, plura quam quae nunc exstant invenisse. Addit enim Anonymus Vormatiensis,

XXIV. NATVS M
ON ET
H. S. E.

et hoc posterior Schannatus etiam pauciora:

VMVSM.

Permagnus

Permagnus etiam circa Moguntiam inſcriptionum antiquarum numerus repertus eſt; quae, cum lapides plerique in archivum lapidare Palatinum ſint adducti, Tomo horum Actorum alteri ſervantur.

Neque erit iis, qui hiſtoriam medii aeui, paullo quam vulgo fieri conſuevit diligentias, cognoſcunt, ingratum, ex tabulario oppidano, *Odernhemii*, edita eſſe XXV. Imperatorum aliorumque Principum Seculi XII. XIII. et XIV. diplomata.

Cl. Reiſſeiſſenii diſſertatio, de origine Comit. Palat. non alia ratione magis commendatur, quam quod a Collegio eruditiſſimorum hominum *Victrix* pronuntiata eſt. Et profecto nihil Viri iſtius diligentiam fugit, quod ex ultima antiquitate, ad eius uſum firmandum, illuſtrandum, declarandumque, et quomodo a primis quaſi incunabulis ad hoc incrementum magnitudinemque eſcenderit, docendum facere videatur.

Ex Sylloge iam Obſervationum Cel. Vonckii, quibus loca quaedam e Plinii Panegyrico, e Columella, Curtio, et Vegetio, ita tractat, ut lectioni partim, partim ſenſui ſubventum velit, pauca delibemus. In Paneg. c. 14. in his: *et necdum imperator, necdum Dei filius eras.* Germaniamque *cum plurimae gentes* — — *muniunt dirimuntque, per hoc omne ſpatium cum legiones duceres* &c. emendat, et legit *per* Germaniam *quoque* (quam cum — muniunt, dirimuntque,) per hoc omne &c. Ita ſuam emendationem firmat: *per* in antiquis ſcribi *p*, atque deinde putat *per* a ſimili Syllaba *ger* eſſe abſorptum, et ex compendioſo *quoque* factum *que*.

Columellae libro decimo, de *cultura hortorum* verſ. 23. ſic legitur:

Ne gravis hauſturis tendentibus ilia vellat:

Locus a multis iam tentatus eſt, Noſter reſtituit lectionem quam in ora antiquae editionis (quae forte eſt Gryphiana, quae

fuit quondam Cl. Oudendorpii, in cuius margine sic notatum ipsi vidimus, quod addimus confirmandae emendationi,) ut variam lectionem invenit, *labor*, unde felici sane emendatione refingit:

Ne labor austerus tendentibus illa vellat.

Ut primo τῷ *austerus* adscripta sit glossa, *gravis*, quod deinde in textum receptum eiecerit τὸ *labor*, et pro *austerus*, *hausterus*, dederit *hausturis*. A simili orto ex glossa vitio non minus feliciter videtur liberatus insignis ille locus *Capitol.* in *Maximin.* c. 13. ubi sunt *Scythica vehicula*. Salmasius vere ineptit in hoc loco explicando, dum suum *ficcis*, quod in Palat. cod. est, obtrudere vult et explicare. Reiecta sunt haec idoneis rationibus in novae, quae hoc ipso anno (1774) Lipsiae prodiit, editionis indice, sed emendare non est ausus editor. Cel. Vonck ex *ficcis* facit *cisiis*, pro quo, ut glossema vocis rarioris, adscriptum sit *vehiculis*, et illud *cisiis* mutatum in *ficcis*.

Non aeque felix videtur loci Curtiani explicatio lib. III. c. 2. *Erat Dario mite ac tractabile ingenium, nisi suam naturam plerumque fortuna corrumperet.* Pro *suam* vult *summam*, quod, pace viri Cel. dictum sit, nobis et ipsum non videtur idoneum. Scimus quidem, *ingenium* dici *summum*, nec tamen eodem modo *natura summa*. Neque loca, quae adducuntur, sunt huic nostro similia, etiamsi in illis *summum* facile concedamus mutatum in *suum*. Sed aliud est *summum crimen*, *summum dedecus*, aliud *summa natura*. Explicat quidem *summas naturae dotes*, sed tamen est hoc durius. Quid si legamus *nisi eam?* τὸ *su* ortum forte ex praecedente *si*.

Felicior medicina ad Vegetii I. c. 5. vulgatur: *necdum enim* civilis pars *florentiorem* adduxerat *iuventutem*, cum Scriverio et Stewechio, membranis monentibus, legit *abduxerat*, et ex coniectura *civilis mars*: quod unice verum.

Sufficiat

Sufficiat haec indicasse ex specimine Cel. Vonckii, in quo etiam, qui etymologiae antiquae Germanicae student, habent quo delectentur.

Sequitur Cel. Schoepflini disquisitio de ARA VOTIVA *Ladenburgensi, imperatoribus et caesaribus Romanis a Moguntiacensi civitate Seculo III. dicata.*

Exhibemus inscriptionem, ut a *Schoepflino* V. cel. ubi erat detrita, suppleta est:

IN H. D. D. IOVI ET
IVNONI REGINAE
MINERVAE NVMINI (vel DIIS DEA)
BVSQVE IMPERII PRO
SALVTE ET IN COLVMITATE
DD NOSTRORVM DIOCLETIANI ET
MAXIMIANI FELICISSIMORVM
AVGVSTORVM CONSTANTII
ET MAXIMIANI CAESARVM
CIVITAS MOGVNTIACENSIVM
AVRELIO ET ANNIBALIANO COSS.

Fuit haec ara ad Nicrum quondam posita, et inscriptio ab aliis iam, sed vitiose edita, omissis inprimis consulibus. Litterae minusculae additae sunt a Cel. Schoepflino, qui etiam ex ultimis latinis quae paene prorsus sunt detritae, OSIA I. coniicit intelligendum praesidem superioris Germaniae *Tosianium.*

Illatum iam marmor Thesauro Palatino, principem locum, ipso Schoepflino iudice, obtinet.

Est ara quadrilatera, Heidelbergae olim, nunc Manhemii conspicienda, cum inscriptione, quam, ut in reliquis lateribus figuras, Vulcanum, Victoriam, et Fortunam indicantes, erudite illustrat Cel. Lameius.

Inscriptio est haec:

IOVI OPTIMO MAXIMO
IVLIVS SECVN
DVS ET IVLIVS
IANVARIVS
FRATRES
VOTVM SOLVVNT LVBENTES LAETI MERITO.

Pro *Ianuarius* Barthius dedit *Ianiakus*, linea ultima τὸ V.S. omisit, et L in F mutavit. *Vulcanus* malleum aut clavum dextra, sinistra forcipem tenet. Incus est ad pedes. In capite integumenti est quiddam, ad quod V. Cl. bene monet, errare eos, qui credant, semper Vulcanum nudo esse capite. *Victoria* est alata, seminuda, globo altero pede insistit, et clypos inscribit. *Fortuna* est stolata, et sinistra tenet gubernaculum inversum.

Reperta itidem ad Heidelbergam ara Mercurii cum inscriptione, a nemine, ut monet Cel. Lameius, recte edita, itemque monumentum Dei Visucii. Nisi tabulis aeneis opus esset ad exprimendos characteres, libenter has inscriptiones exhibuissemus, oportet igitur, cum diligentissimo Cel. Lameii commentario talium rerum studiosis cognoscendas relinqueremus. Sed ne nimis multi esse videamur, a pluribus est abstinendum, indicasse contenti, quae, ex consilio et instituto sapientissimi Principis, ad omne litteraturae genus redundatura sit utilitas. Haec ut propria sit, atque perpetua, vere et ex animo precamur.

MEMOIRE

Digitized by Google

MEMOIRE SUR LES MOYENS DE RENDRE les études de Droit plus utiles. Par feu M. LORT, Docteur en Droit.

à Paris, chez Saugrain le jeune 1768. p. 179. in 12.

Quum *Lorius*, Iureconsultus celeberrimus, nuper vero mortuus, studium iurisprudentiae academicum in plerisque academiis Francogallicis valde neglectum videret, hortarenturque eum amici, ut magistratus nonnulli, ut animum ad emendandum vitium illud academicum applicaret; factum est, ut hoc opus conficeret, viamque emendandi aperiret. Studiosis igitur iurisprudentiae de hoc opere indicium, quanquam ad academias tantum Francogallicas pertinet, non erit molestum, quorum interest scire, quo modo disciplina aliqua in exteris quoque regionibus tractetur elaboreturque. Qua ex re facile cognosci potest, nunc quidem Francogalliam nullos Cuiacios, Balduinos, Hotomannos, Alteserras, Cirones, Fabrottos, eiusdemque generis alios, de iure et civili et canonico bene meritos, posse in scenam producere. Nunc ad rem. Vitia primum et abusus auctor vivis depinxit coloribus et libere, quibus studium iuridicum in plerisque academiis dehonestetur, a pag. 1 — 28. deinde proponit ea, quibus vitia illa aut tolli, aut minui possunt, a pag. 28 — 172. in utroque autem bene distinxit Parisiensem a ceteris litterarum Universitatibus. Ex hoc autem uno omnes deducit abusus, quod Facultates iuridicae gradus vendant academicos, et personis quoque, quibus nunquam in mentem venerit dare se litteris, tribuant. Si quis enim dignitatem Bacalaurei aut Licentiati velit consequi, ei sufficere profiteri se candidatum, et praeter Summam, statutis, pro unoquoque gradu destinatam, honorarium quoddam pro doctoribus, a quibus instituendus erat, superaddere. Legaliter debet is, qui honorem appetit academicum, certum quod-

 dam

dam tempus verſatus eſſe in litteris. Ut ſatisfaciant huic conſtitutioni, ficta in album referuntur nomina, quo credunt ſe ſuccurrere iuriiurando. Durante hoc tempore, candidatis quoque academia diſcedere non licet, ſub poena nullitatis gradus accepti. Vix autem tres aut quatuor dies eo, quo gradum acad. accipiunt, loco commorantur, et Profeſſores publice dicunt, iusiurandum advocati has omnes tegere nullitates. — Docentes, qui tenentur quotidie, exceptis feſtis Venerisque diebus, lectiones habere, multis in locis ter tantum hebdomade praelegunt, in nonnullis etiam ſe liberant hoc onere, cauſam interferentes, nullos habere ſe auditores. — Facultates quaedam nullum inſtituunt examen; aliae candidato pro ſe alium ſiſtere concedunt; et ſi forte inſtituitur examen, quaeſtiones ex Inſtitutionibus tantum proponunt, Pandectas atque Ius canonicum praetereunt ſilentio. Theſes quidem editae ad diſceptandum proponuntur, ſed vix in cathedram defenſor aſcendit, iam omnis diſputatio finita eſt; aut opponentes ea, quae contra theſes dici poſſunt, antea candidatis communicant, pecunia precibusque adducti, quod appellant ius communicationis, (droit de communication). Conſtitutione regia, candidatus ab ea facultate iuridica, cuius doctores non eſt ſecutus, gradus conſequi nequit, niſi ab ea, a qua teſtimonium, decani et ſyndici manibus ſubſcriptum, adfert fide dignum, ſe non ſolum tempus quoddam certum triviſſe in ſtudiis, ſed neque, ſi iam ſit examinatus, tuliſſe repulſam. Quum autem pleraeque Facultates provinciales ſolo inſcriptionis contentae ſint teſtimonio, indigniſſimi tamen candidati, a Pariſienſi Facultate repulſi, ad ſummum iurisprudentiae gradum perveniunt, ut poſſint operam dare foro. Sancte quidem auctor confirmat, academiam fere unicam eſſe in omni Gallia Pariſienſem, in quam haec opprobria non cadant, ab omnibus tamen eam non liberat vitiis pag. 18. ſequ. quo inprimis refert conſuetudinem, a ſexaginta circiter annis inveteratam inter ſtudioſos, profeſſorum dictata ab aliis deſcribi curare, cum tenean-

teneantur ea producere, si testimonium nancisci cupiant. Scriptionis intermissio propriae auditores reddit segnes, qui aut lectiones non ordine frequentant, aut, ubi ad manus non sunt dictata, interpretationes doctorum non intelligunt: et cum dictata saepe vitiose descripta sint, ea accurate cognoscere non possunt, si quando illis uti necessum fuerit. — Constitutionem, qua autum, ne qui philosophiae dant operam, simul iuris praelectiones audiant, non amplius colunt et observant. Ut statutis, quae postulant, professorum testimonia insuper a quatuor studiosis, qui una audivere lectiones, oportere subscribi, pareant, plerumque opera librariorum utuntur, qui non erubescunt quatuor manus subscribere imitatas. — Auctor dein incipit de horum vitiorum emendatione loqui. Monet igitur iure, emendationem esse oportere generalem et universalem, et optimum medium semel susceptae emendationis conservandae constitutionem visitatorum quorundam esse putat pag. 23. Emendatio autem ipsa partim ad methodum *discendi*, partim ad promotiones pertinet. Ratione prioris, methodum a Facultate iuridica Parisiensi receptam supponit, eamque passim emendare studet, pag. 39. Tres enim annos durat cursus academicus: intra hoc tempus studioso quatuor libri Institutionum Iustiniani, systema totius iuris canonici, ordine decretalium, pars Pandectarum, quaedam materiae veteris disciplinae ecclesiasticae ex Gratiani decreto, denique delineatio iuris Francogallici, exponuntur. Unaquaeque lectio durat sesqui horam, praeter eas, quae de iure Francogallico habentur, et una absoluuntur hora; dimidiam lectionis partem ad excipiendum adhibet professor, dein interpretatur dictata: semel aut bis hebdomade suas breviter repetere solet praelectiones. Suadet auctor, collegia sic distribuere, ut primo anno duo, unum in Institutiones Iustinianeas, alterum in ius canonicum, systemate bono audiant. His auditis examen instituendum, ad honores Baccalaurei con-

consequendos. Altero anno pars aliqua Pandectarum, partes quoque nonnullae ex corpore iuris canonici, vel ex decretalibus, vel decreto, audienda. Tertium vero annum manet iuris Francogallici institutio, et praeterea studioso pro lubitu lectionem aliquam, aut in Pandectas, aut ius canonicum cum hac coniungere licet. Ceterum auctor pag. 156. &c. rigorosa atque repetita ut examina instituantur, et quaestionibus ac disputationibus, adolescentum ingenia ut acuantur et explorentur, postulat atque urget, si honores decernendi sint academici. — Omnia tamen haec Gallorum moribus sunt accommodata.



NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Octobris Anno MDCCLXXII.

PINDARI CARMINA CUM LECTIONIS varietate. *Curavit* CHRIST. GOTTLOB HEYNE.

Goettingae, apud Io. Christ. Dietrich. 1773. 1 Alph. 1 plag. 8. mai.

Dudum est, cum minorem Pindari editionem optavimus, instructam iis adiumentis, unde quilibet ipse de lectione iudicare posset. Multum quidem praestiterat Erasmus Schmidius sed post eum alii aliis fuerant praesidiis usi, quorum veluti summam editione aliqua comprehensam tenere optabile erat Fecit nos huius voti compotes Cel. Heynius, cui, praeter diligentiam, doctrinam, et in hoc genere exercitationem multam, ad manus fuerunt e bibliotheca Goettingensi editiones omnes, quae quidem criticum haberent usum. In qua re quo modo versatus sit, videamus.

Diiudicavit in praefatione editiones omnes, textusque Pindarici historiam hanc confecit. Aldina nimirum, quae prima fuit, ab editoribus reliquis fere neglecta est, secutis potissimum Romanam Calliergi: nec male; cum Romana

esset e melioribus libris ducta, Aldinaeque lectiones saepe numero aperte vitiosae. Cratander ergo, Brubachius, Morellus, Stephanus, imitati sunt Calliergum, paucis mutatis. Stephanianae rursus invicem ita diffident, ut prima optima sit, ceterae inde ab a. 1566. paulo vitiosiores: quod Cl. Heynius saepe vel inscitiae, vel audaciae eius, qui operis praefuit, tribuendum autumat, et cum alibi, tum ad Olymp. VI, 152. demonstravit. Commeliniana tamen, et Plantina priorem Stephanicam expressere. Erasmus Schmidius Cratandrum secutus est, et primus post Aldum atque Calliergum operae pretium fecit, cum tres Palatinos codices, et Augustani particulam adhibuerit. Ab hoc Cl. Heynius multa egregie constituta censet, eique saepe in ipsa lectionum recensione iustam laudem tribuit. Ex Schmidiana fluxit Oxoniensis, sed inconstanti imitatione: eadem trium Bodleianorum codicum lectiones adiecit, quibus Cel. Heynius non multum tribuit, etsi eorum varietatem diligenter enotavit.

Harum ergo editionum omnium varietas, una cum iis, quae Schmidius e Palatinis, Oxonienses e Bodleianis libris collegerant, in hanc Heynianam editionem relata est summa cum cura. Ab initio praesertim Editor hanc sibi legem dixerat, ne quid omitteretur; sed cum in Olympicis carminibus, si coepta semel ratione pergeret, bene multa, et alia super alia vitia enotanda esse intellexisset, deflexit paulisper ab hac lege, et indubitatos errores, in primis ab neglectu dialecti, non indicavit; usque dum in Pythiis, Isthmiis et Nemeis sensit, ad illam severiorem diligentiam redeundum esse, quoniam haec carmina a ceteris editoribus non eodem studio, quo Olympica, tractata fuerant. Praeterea facta est mentio lectionum, quae in anonymi libro de dialectis, quem Koenius nuper praeclare ornavit, exstant; coniecturarum item, maxime Cornelii a Pauw, aliorumque. Facile ergo est lectoribus, hanc materiam digerere,

rere, et originem atque pretium ſingularum lectionum diiudicare.

Neque vero Cel. Editor materiam hanc intactam reliquit; ſed ſaepe numero ſuam de lectione ſententiam dixit, ac per hanc occaſionem multa loca breviter interpretatus eſt, fecitque interdum plus, quam ſe facturum pollicitus erat. Sed ut variarum lectionum congeſtarum exempla proponere ab hoc loco alienum eſt, ita de altero genere obſervationum criticarum et exegeticarum paulo plura dicemus.

Omnino cum locum aliquem interpretatus eſt redegit eum ad ſimilitudinem ſermonis communis, quo facto facillime intelligitur, et quid dixerit poeta, et quid carmen ab oratione ſoluta diſtet: debetque hoc in Pindaro praeſertim et tragicis poetis fieri, quos ipſa hac cum ſermone communi diſſimilitudine agnoſci conſtat.

Olymp II. 39. defenditur, εὔθρονοι κῶραι, quoniam, ut alibi reginae, heroinae, deae χρυσόθρονοι dicuntur, ita hic εὔθρονοι adpellantur. Fruſtra ergo aliquis εὔφρονοι correxexerat, quod iam Schmidius docuerat ferri non poſſe. Ibid. v. 66 e tribus Bodleianis τοῖδε praefert vulgato τῶνδε, et ſententiam totius loci ſic deſcripſit: *Fortuna, quae fauſtam* hanc *conditionem (a maioribus tranſmiſſam) retinet, inter opes, divino munere datas, alias etiam calamitatem adfert.* Non vult, τῶνδε ad Cadmi ſtirpem (v. 64.) referri: nam illum locum, et ἄνδρας, omnino de toto genere humano intelligit; id quod Pindaricae conſuetudini, a re praeſenti libenter ad univerſe dicta tranſeundi, magis conſentaneum videtur. Ibid. v. 153. πάν pro πᾶν ſcribendum eſſe monet, cum metrum brevem ſyllabam poſtulet.

In inſcriptione Olymp. III. totum illud, quod de Theoxeniis dicitur, Scholiaſtae commentum putat, niſi quis niti putet v. 71. et 72. Ibid. v. 28. probat Pauvianam

 con-

coniecturam, πείσαις, e dorica dialecto, aliisque locis de hac participii forma idem fere monuit. Sed locum a versu inde undetrigesimo laborare vitio putat. Nam ὅγε aptius foret ὁ δὲ, et pro hoc ipso ὅγε est in uno codice λόγῳ, quae videtur interpretatio verbi πείσαις, v. 28. (Sed quod Cl. Editor Scholiasten quoque putat illud λόγῳ in libro suo habuisse, id nobis quidem secus videtur: ille enim cum πείσαις interpretari vellet, πείθων λόγῳ scripsit, unde non sequitur, eum hoc λόγῳ in libro suo legisse.) Rursus pro αἴτει, in cuius forma demonstranda iam veteres haeserunt, cum Koenio ἄλτει legi posse suspicatur, sed ut ἄλτει sit ἄλσει: quae quidem nimia nobis coniectura videtur. Secundum haec pronunciat, libros exspectandos esse: ceterum si quis liberior esse velit, locum ita fortasse legi posse: Δᾶμον Ὑπερβορέων πείσαις, Ἀπόλλωνος θεράποντα, λόγῳ, πιστὰ φρονέων, Διὸς ἄλτει (i. e. ἄλσει) πανδόκῳ ἀμφισκιαρὸν (ne desit aliquid metro, sublato ἄλσει, quod tollendum est, si ἄλτει est ἄλσει) φύτευμα — — — ἀρετᾶς sc. ἕνεκε. Sed nemini haec obtrudit, ut omnino multa cum modestia in omnibus versatur.

Ol. IV. extrema, indignum poeta censet, si Psaumis canus pugnasse dicatur. Ita ergo locum accipit: *Me vera de Psaumide dixisse, res ipsa declarabit, ut Clymeni filium, et si robore iuvenili carentem, eventus probavit vegetum.* Nobis videtur et hoc universe dictum: non semper iuvenilem aetatem spectandam videri; nam et iuvenes interdum debiles et seniles esse.

Signm χ', quod Ol. VI, 24. in marginae Aldinae et Brubachianae positum est, huc refert, grammaticos notare voluisse, πυρᾶν τελεσθέντων pro π. τελεσθεισῶν accipiendum esse. Ibid. v. 106. μεταλλᾶν simpliciter interpretatur, *compellare*, et v. 141. δόξαν ἀκόνας, quae habet vim cotis, quae acuit: ut sensus loci omnino sit, *oberrat linguae narratio, a maioribus accepta,* (huc ergo δόξαν refert) *acuens et stimulans me,* ut

ut eius mentionem faciam: quae mihi, sic satis proclivi, inter suaves tibiae modos (πνοαῖς) *se in animum infundit* (προσέρπει): sive, *quae me allicit, ut plura canam* (προσέλκει): dubia enim est haec lectio.

Ol. VII, 33. ubi εὐρυχόρῳ et εὐρυχόροιο variant, monet, χορὸν etiam esse locum in quo choreae ducuntur; id quod sane verum est: inde ergo concludit, εὐρύχορος de loco dici elegantius, quam εὐρύχωρος, etsi eadem sit utrobique significatio. Idem teneri vult in Homer. Il. β. 498. Sed an χορὸς omnino de omni loco dici posset, id fortasse restabat docendum. Paulo post v. 35. ἔμβολον de Peraea, Rhodo obiecta, et cunei formam referente, accipit, donec de loco et re aliunde constabit: quae enim in Scholiis dicantur, ea non idonea auctoritate videri niti.

Ol. IX, 79. sqq. obscuriorem locum hac distinctione illustrat: Κείνων (e Deucalione et Pyrrha et amicis Jovis,) ἔσσαν χαλκ. ὑμέτεροι πρόγονοι ἀρχᾶθεν, Ἰαπετιονίδος φύτλας κοῦροι, (ex Japeti stirpe,) κορᾶν τε φερτάτω (sic legi vult) Κρονιδᾶν: ita φερτάτω, genitivo casu, cum κείνων cohaerebit, ut in parenthesi sensus expressus est.

Ol. XI, 4. sqq. ita explicat: *Sin quis aerumnoso certamine victoriam consecutus fuerit, proveniunt ipsi dulces hymni, laudum apud posteros fecunda semina* (intelligitur εἰσί), *et iis ipsis venit fidum pignus magnis virtutibus. In primis autem Olympicis victoribus talia carmina aequis omnium animis consecrantur.* Ita ὕμνοι ἀρχαὶ λόγων a sequentibus seiungitur, quibuscum e vulgari ratione cohaeret.

Pyth. I, 44. non est in eo argutandum, quod Aetna noctu saxa eructare dicitur: poetam putat non nude illud ponere voluisse, noctu flammam volui, ideoque commutata dicendi ratione usum esse.

 Pyth. II,

Pyth. II, 125. ſqq ita vertuntur: *Mittitur tibi carmen hoc trans mare* (Thebis Syracuſas), *mercis Phoeniciae more* (addit, ut poeta, *Phoenicine*). *Carmen autem hoc* (Καστόρειον eſt haec ipſa ode Pindarica), *munus lyrae, ſeptem chordis Aeolicis ſonantis, adſpice benevole occurrens* (excipe benigne).

Nem. I, 34. hoc modo explicat: *Vir probus id conſequitur, ut obtrectatorum calumnias reſtinguat, vel beneficiis, vel virtutibus: tamquam aqua obfuſa fumum opprimit.* Ita legendum eſt ἐσλός γ', pro ἐσλοῖς.

De metro Pindarico ad Nem. III, 27. ita ſtatuit, Pindarum, qui illa pedum metrorumque nomina non cognita habuerit, ab initio carminis veluti ſchema, ad temporis menſuram et aurium iudicium exactum, animo concepiſſe, idque in reliquo carminis decurſu conſervaſſe: ſe tamen de hac coniectura cum quopiam contendere nolle. Quorſum pertinere videntur, quae p. VIII. praefationis indicata ſunt, in codicibus carmina eſſe una ſerie ſcripta, verſuumque diviſiones recentiores. Tamen Cel. Editor in coniecturis examinandis et conſtituendis, normam hanc non neglexit. Nobis quidem, ſi hac opinione uti licet, in toto hoc genere nihil certi, quod hodie quidem cognoſcatur, relinqui videtur.

Saepius per occaſionem inſcriptionum, quas grammatici ſingulis odis praefixerunt, vel de poetae ipſius vita, vel de hieronicis, ludis, erroribusque grammaticorum in hoc genere, dictum eſt.

De ſcholiis p. XIII. praefationis admonetur, eſſe farraginem obſervationum, in margine a grammaticis notatarum, varie interpolatarum, et pro arbitrio librariorum imminutarum et auctarum. Quae a Calliergo vulgata fint, vetera eſſe; recentiora, ad calcem Olympiorum in editione Romana excuſa, non certa fide Triclinio tribui, cum p. 156. ed.

ed. Oxon. auctor se ad Lycophronem aliquid exposuisse dicat, id quod in Lycophroneis Tzetzae scholiis ad v. 174. reperitur: nisi quis his quoque scholiis recentioribus putet varia aliunde inserta esse.

Hunc tomum, de quo hactenus diximus, in quo Carmina cum lectionis varietate exstant, alius sequetur, fragmenta, indices, et versionem emendatam continens. Sunt autem hae odae tam accurate et nitide typis impressae, ut ipsi Germaniae magnae laudi atque decori apud omnes esse, certo sciamus. Sed haec omnia superat ipse Editor, si quis alius, ad poetas interpretandos aptus, qui Virgilianis carminibus edendis meruit, ut in hoc genere ipsi praecipua vis et facultas tribueretur. Et solet carminis vim tam sagaciter assequi, tam perite monstrare, ut vere poetam deprehendere sibi videatur, qui Heynium ducem sequitur.

STATUTA ACADEMIA CONIMBRICENSIS, SUB proxima et suprema Domini Regis nostri Josephi I. inspectione, opera et studio Regii Coetus de providendo litteris, pro instauratione scientiarum et artium liberalium in Lusitania, et coloniis eius universis, collecta; lege lata XXVIII. Augusti, anno MDCCLXXII. roborata; iussuque eiusdem Domini Regis latine reddita. Liber I. Theologiam complectens.

Olisipone, apud regiam officinam typographicam, Anno MDCCLXXIII. 8. plagg. 363.

Si, teste omnium temporum usu atque experientia, et gravissimorum peritissimorumque hominum iudicio, haec litterarum bonarum est ratio, ut reipublicae non insigni tantum sint ornamento, verum etiam et universis et singulis omnium

omnium ordinum hominibus, bello atque pace, eam afferant utilitatem, quae summa et est et e ístimari debet: vix aliud est tempus, quo maiorem sibi gratulentur Lusitani felicitatem, quam hoc, quo Josephi regis verbis non satis praedicanda sapientia, litteras bonis, vel sepultas antea paene ab inferis velut excitat, et in vitam conspectumque hominum remittit; vel eiectas suis sedibus longo postliminio reducit, certoque ut possint, et tuto habitare, atque augeri, providet. Conscribenda curavit a coetu regio Josephus rex nova haec statuta, eaque diligentissime examinata omnibus sui regni civibus, tanta severitate observanda proposuit, ut intelligatur, quanto dolore, ex ignorantia cunctorum paene, regius affectus sit animus, et quam serio velit, ut pristinus litteris debitusque ille splendor reddatur. Praefationis locum occupat gravissimum edictum, nomine regio munitum, quo haec statuta, non ut utilia modo commendantur, sed et ut necessaria, Rege sic iubente, proponuntur, *interdictis* omnibus, omninoque reiectis fraudulentis *interpretationibus* et exceptionibus. Est haec summa titulorum, et capitum, quibus primus liber constat. *Titulus I.* De praemittendis curriculo theologico. *Titulus II.* De tempore curriculi theologici, deque disciplinis in illo tradendis. *Titulus III.* de ordine ac distributione disciplinarum per annos curriculi theologici: de methodo lectionum, quas audituri sunt Theologiae Candidati unoquoque anno Theologici quinquennii. *Titulus* IV, De privatis *Gymnasiorum* Exercitationibus, deque publicis actibus, atque examinibus disciplinarum theologicarum. *Titulus V.* de Lectoribus substitutis; de distributione Cathedrarum, et Substitutionibus illarum per utrumque Clerum, Saecularem et Regularem, deque Theologis Doctoribus, qui theologalibus togis donandi sunt apud tria Collegia, S Petri, S. Pauli, et militarium Ordinum. *Titulus VI.* De Congregationibus Facultatis, earumque officiis; et quibus ex personis componi illae debeant. Ut planius appareat, quae

quae ſit indoles et natura horum *Statutorum*, quaedam hinc inde depromta cum Lectore communicabimus. Tit. I. cap. I. quod agit *de educatione, vita, et moribus Theologiae ſtudioſi*, egregia nobis viſa ſunt haec: *Admoneo, iniungoque omnibus Praeſulibus, Parochis, Rectoribus Seminariorum et Collegiorum, Praefectis ſtudiorum, Directoribus, Magiſtris, Patribus familiarum, et aliis quibuscunque, ad quos ratione aliqua ſpectet educatio iuventutis, illique in vigilare, ut prae oculis habentes, theologici aedificii primum fundamentum eſſe debere Chriſtianam educationem; quanta maxima fieri poſſit vigilantia ac cura in illud incumbant, ut qui huic ſtudio deſtinandi fuerint, boni Chriſtiani eſſe prius addiſcant*, (quod utinam omnibus ſit cordi,) *quam eſſe incipiant Theologiae Candidati. Adoleſcentum proinde corda ad bonum inclinent: ipſorum mores forment: principiis doctrinae Chriſtianae imbuant: flagrantiſſimum religionis amorem inſpirent: qua intentione, quo fine aggrediendum ſtudium theologicum, declarent: et ſi quos prudenter intellexerint ad huiusmodi ſtudium non vocari a Deo, hos inde retrahant, et abſterreant.* Capitis tertii, quod agit de iis, quae Theologiae Candidatum oportet iam addidiciſſe, antequam Theologiae nomen dare liceat, ſunt haec: *Qui Theologiae nomen dare voluerint, hos oportet eo accedere rite inſtructos Latina Lingua, Rhetorica, Philoſophicis diſciplinis, praeſertim vero Dialectica, cuius ope perfecte callebunt generales regulas artis criticae et hermeneuticae. — Inſtructi ſimiliter accedent omnibus Metaphyſicae partibus. — Aeque peritos accedere oportet Ethicae ſcientiae: non ſolum qua parte docet cognoſcere quae moralis natura ſit actionum humanarum, et quibus mediis voluntas emendanda: — verum etiam qua agit de officiis et obligationibus, quibus naſcimur obnoxii erga Deum, erga Principem, erga Patriam, erga noſmet ipſos, erga proximos. — Erunt etiam perfecte inſtructi probo Catechiſmo. — Debebit etiam in Scholaſticis elucere ſufficiens cognitio Linguae Graecae et Hebraicae, dummodo in terris domiciliorum cathedrae illarum exiſtant. Quodſi oſtendant non exiſtere, —*

obstringantur illas addiscere. Secundus Titulus constituit curriculo Theologico quinquennium, et quod per singulos huius temporis annos Theologiae genus tractari debeat, generatim tradit, praemissa longa disputatione de variis in Theologia disciplinis. Primo anno tradenda sunt principia *Historiae ecclesiasticae: Historia literaria Theologiae: Loci Theologici*, sive principia *Theologiae exegeticae*, ubi simul exponitur, quo quaeque scientia modo sit tractanda, et quam quaeque ad alteram habeat rationem. Lectiones secundi anni sunt Principia *Theologiae dogmaticae historice tradenda*, et *Theologia dogmatico-symbolica*, ubi eodem modo tractatur de methodo haec tradendi. Perplacuit in his particula haec p. 98. *Ubi vitiosa extrema duo diligenter sibi vitanda curabit* (praeceptor): *ut neque omnem eis auctoritatem deneget* (Symbolis), *quod faciunt Arminiani, Sociniani, Indifferentistae; neque tantam attribuat, quantam ipsi scripturae, ut Symbolis ipsis propterea ne verbum quidem addere liceat.* Tertii anni initio proposita est *Theologia mystica*, quae pars sit *Theologiae practicae*, et ita quidem, ut historia simul Theologiae mysticae diligentius explicetur. Sequatur ipsa *Theologia practica* sive *moralis*, divisa in has velut species: primum qua diversum tractandi methodum, in *parenaeticam, paradigmaticam, dogmaticam, scholasticam*, casuisticam; qua differentiam obiectorum, in *moralem* speciatim sumtam, in *mysticam, homileticam, canonicam, liturgicam.* In tradenda *morali evangelica dogmatica methodus* commendatur, ut *facilior, tutior, periculisque minus obnoxia.* Quarto anno Theologiae Candidatus debet doceri *externam Ecclesiae Disciplinam*, sive *Theologiam canonicam* et *liturgicam*, tradita simul Historia, praecipuisque in hanc rem libris et scriptoribus commemoratis. Haec omnia per quatuor annos tradita cum tantum videantur compendiaria, quinto anno Candidatus Theologiae debet adduci ad veram intelligentiam *scripturae* atque Traditionum, ut sua sponte inde detegere possit mysteria et praecepta divina, sine magistro.

Debet

Digitized by Google

Debet itaque explicari Vetus Teſtamentum, et Novum Teſtamentum, et ſimul agi de varia interpretandi ratione, de ſenſu litterali et myſtico, de verſionibus antiquis, earumque auctoribus. Quae ut uſu et exercitatione tanto firmius teneantur, praeſcribuntur Titulo IV. *Exercitationes vocales quotidianae, hebdomadariae, et in fine unius cuiuſque menſis privatae.* Item, in quibus *per ſcriptum* examinetur, explicetur, illuſtretur, et vindicetur, caput aliquod religionis Chriſtianae, ſive quod ad mores pertineat, aut inſignis aliquis ſcripturae ſacrae locus, propoſitis cap. 3. *mulctis et poenis, quibus officiendi illi ſint, qui Gymnaſiorum exercitationibus defuerint*, quorum, ſi publica fuerint, et utilitas, et forma, et honor declaratur cap. 4. Etiam hoc caute eſt ſancitum, ne cuique, de quavis re libere diſputare ſit licitum quovis anno Theologici curriculi, ſed cuique anno admenſum cap. 5. de cuius generis themate exercitatio poſſit inſtitui. Quae reliqua ſunt, cum pertineant ad rationem qua theologici honores conferuntur, illa indicare non eſt neceſſum, nam neque commode poteſt, neque facit ad cognoſcendam indolem et naturam inſtitutae reſtaurationis. Optamus ex animo, ut omnia ſic eveniant, ut ſapientiſſimus Princeps plane ſibi ſatisfactum exiſtimare poſſit. Adhuc non poteſt.

OBSERVATIONES PHAENOMENORUM Electricorum in Hohen-Gebrachin et Priflingen, prope Ratisbonam, factae, et expoſitae a COELESTINO STEIGLEHNER, O. S. B. in principali et immediata eccleſia ad S. Emmeramum Phil. et Math. Profeſſore.

Ratisbonae, 1773. 55. pagg. quaternis.

Si tantummodo Phaenomena, diligenter obſervata, ſimilitudinem materiae electricae cum tonitru explicare et

 certio-

certiorem facere, ſicque veram tonitru theoriam, quae in communi vita tanta cum utilitate coniuncta eſt, efficere poſſunt, eſt profecto cur hic libellus, qui obſervationes effectuum a tonitru anno 1769. et 1770. in Hohen-Gebrachin et Priflingen productorum continet, omnem attentionem mereatur. Cl. Auctor explicationem horum Phaenomenorum abſoluit tribus partibus, quarum primam, quod non niſi regulas generales, ad quas in obſervationibus et phaenomenis reſpiciendum eſt omnibus ſatis notas, adeoque facile ab auctore praetermittendas, tradit, nos quoque ſine longiori luſtratione, indicatam tantummodo, mittimus et ad alteram magis propriam exponendam nos ſtatim convertimus, ita ut phaenomena enarremus, obſervationes parallelas commemoremus et tandem explicationem demus.

Exhibet igitur pars altera illa obſervationes in Hohen-Gebrachin factas fere ſequentes: Decimo Kal. Maii anni 1769. circa horam decimam veſpertinam, *fulmen in* contiguarum aedium ſacrarum turrim irruerat. Nullus tamen eo die apparebat fulminis effectus, neque etiam altera die prius, quam aedituus mane poſt horam quartam ſigno angelicae ſalutationis per campanam dato, templum egreſſus fuerat, tum magnam flammarum vim in ſuprema turris contignatione, in qua campanae erant, per feneſtras erumpentem vidit. Interea, dum in extinguendo igne omnes occupati ſunt, ſubito ferrea crucis pertica ex alto turris cacumine prolabitur, ſummusque tecti apex, cui eadem crux affixa haeſerat, novas flammas ſpargit, tignis, quibus intermedia tecti conſtabant, prorſus illaeſis. Campanae medias inter flammas ſervatae, et totus ignis duarum horarum ſpatio ſopitus.

Sequenti dein die, ſingulis in turri locis luſtratis, animadverſum eſt, tectum turris intus, qua deorſum ad campanas vergit, apertum eſſe, tigna tecti inferiora, muro immiſſa,

missa, illaesa et firma haerere; campanas pauimento ligneo insistere e fulcris ligneis pendentes, sed pauimentum et pedes fulcrorum, qui campanas sustentarant, igne consumtos lapsum minari, ita ut incendii initium a pedibus fulcrorum originem traxisse videretur.

Totius autem phaenomeni novitas erat in eo, quod ignis per totam noctem inclusus manserat neque, ante quum campana tangeretur, se prodiderat, ea vero pulsata, uno impetu in flammas eruperat; deinde etiam, quod summo tecti apice, subiectaque turris contignatione igne corrupta, ligna tamen interiecta prorsus illaesa reperirentur.

De quo quid sentiat, et quomodo explicari possit, ante quam Cl. Auctor ostendat, aliud simile phaenomenon, a Nolleto in Actis Academiae Scientiar. Parisiensis anni 1764. p. 435. commemoratum, refert; cumque hoc suo comparat.

Jam explicationem ipsam ita suscipit, ut dicat, materiam fulminis per ferream crucis perticam in spicam tecti ligneam irruisse, quae, quum comburi posset accendebatur, verum ignis in flammam abire non poterat ea de causa, quod spica haec laminis ferreis undique contegeretur, ita ut lento igne consumenda esset, delapsa primum cruce. Verum fulminis substantia, interpositu spicae ligneae impedita ad latera dirigebatur, atque per laminas tecti ferreas ad campanas vi defluxit. Ad quam suspicionem auctorem deducebant striae subnigrae, oblongae deorsum expansae, tectoque turris ad septentrionem verso inustae.

Ad pauimentum autem et pedes fulcrorum ignis peruenerat eo, quod quum in altera contignatione, sub campanis, machina horologii staret in hanc materia electrica ex campanis transilire conata, eodem pauimento, iisdemque pedibus fulcrorum impediretur, ita ut haec accendi necesse esset. Porro ignem in flammas non statim abiisse credit fa-

ctum propterea, quod hac nocte nulla ventorum vis sufficiens fuerit, qui secuta primum die pulsatis campanis, commovebantur, (pridie enim campanae in Gebrachin minime pulsatae fuerant.)

His ita traditis ad aliam alius anno sequente in eadem turri effecti phaenomeni narrationem venit, quae ita se habet:

Anno scilicet praedicto 1770. undecimo Kalend. Junii, sero ad vesperam, saeva iterum mota tempestate in Gebrachin, supra fastigium eiusdem turris flamma exigua comparuit, quam ignem esse ferreae crucis perticae adhaerescentem postea in oculos incurrebat, quum magis magisque cresceret, scintillasque spargens crucem fere totam occuparet. Stetit flamma haec hora integra, quum subito fulgure tonitruque horrendo factis flamma dispareret tota, neque tamen quidquam laesum animadverteretur. Altera autem die *visa* est arbor in horto, turri et aedi ad orientem fere contiguo, fulmine icta.


In hoc igitur phaenomeno iterum duo apparent notatu digna: primo, flammam supra turrim longo satis tempore comparuisse, crevisse, et facto tonitru subito disparuisse; deinde alterum alterius caput ardere vidisse, de quo posteriori singulatim dicendi materiam auctor reiicit ad tertiam, eamque postremam suae dissertationis partem.

Illud vero primum memorabile in hoc altero paulo ante narrato phaenomeno, nunc instituit illustrare observationibus parallelis, non omnino novis, vario ex genere. Castorem scilicet et Pollucem, Helenam, St. Elmi, flammas in turribus conspicuas, aliaque similia refert. Ex iis iam porro phaenomenis omnibus demonstrat, totum rei caput quaerendum esse in flamma, quae vario modo appareret, vel crescens, vel decrescens. Quam eius differentiam studet

Digitized by Google

exhibeus genesin et naturam Flammae electricae *St-Elmi*, ve

xum materiae electricae et luce



det componere ſic. Flammas illas, ait, nihil aliud fuiſſe, quam ignem electricum; eas creviſſe creſcente materia electrica circum crucem, vel perticam ferream &c. tandem, flammas potiſſimum ortas eſſe per affluxum materiae electricae, et lucentis, atque adeo per condenſationem materiae adfluentis et cruci adhaereſcentis.

Progreditur deinde A ad originem iſtarum flammarum clarius oſtendendam. Hic tria potiſſimum corpora conſiderat: aerem ambientem, perticam, aut crucem vel bullam metallicam, et denique turrim. Verum ut natura et origo harum flammarum electricarum uno intuitu facile pernoſci poſſit quum in ea re explicanda paulo prolixior fuerit, diſſertationi adiecit Tabulam, qua eas partes, ad quas inprimis attendendum eſt, litteris conſignavit ſic, ut aer ambiens ſit *A*, pertica aut crux, vel bulla metallica *B*, et tandem turris *C*, quam proponere neceſſarium iudicavimus. TABVLA.

In *tertia* diſſertationis parte iam ſupra indicavimus illuſtratum eſſe alterum illud notatu dignum, et novum in phaenomeno Gebrachienſi ſecundo obſervatum, quod nempe duorum virorum alter alterius caput igne lucere viderat eo tempore, quo conſpiciebatur flamma in turri Gebrachienſi.

Neque hic auctor V. Cl. obliviſcitur veterum et recentiorum quorundam hanc in rem obſervationes percurrere, quae legi non ſine fructu poſſunt. His adiecit aliud novum phaenomenon, eodem anno in Priſling obſervatum, quod ita habet:

Sexto Kal. Aug. anno 1770. circa horam quartam pomeridianam domus Venatoris in Priſling de coelo tacta eſt, pago una leuca Ratiſbona abhinc ad occidentem ſito. Hunc in locum Cl. Auctor ad luſtranda omnia proficiſcens, invenit primum, domum diſtinctam eſſe in contignationes duas, et tectum. Ea parte, qua Boream reſpicit, duodecim fere

fere paſſibus abhinc Nucem ſtare praegrandem, ramos ſuos ad domum usque extendentem. Palos humi arborem iuxta infixos fulmen proſtraſſe, partibus ultra paſſus octo proiectis. In arbore nulla fulminis veſtigia apparebant. Qua vero ramus arboris murum domus contingebat, ſulci ſatis ampli iuxta feneſtras lapidibus recenter inflicti videri poterant. His proxima ſtabat lectica, ad cuius caput affixus pendebat gladius venatorius. Sub eadem autem lectica plurimum ferramenti veteris, olim reconditi, ſervabatur. Suſpicabatur noſter phaenomenorum obſervator, fulmen per ſulcos murales aut ingreſſum eſſe, aut certe egreſſum, unde in gladio quaedam veſtigia relicta ſe inventurum ſperabat. Neque fefellit ſpes: gladio enim e vagina educto, eum iuxta mucronem recens fuſum eſſe reperiebatur, vagina prorſus illaeſa. Quam in rem iterum commemorantur obſervationes aliorum parallelae.

Jam porro alia quaedam obſervatione digna in hac domo reperta commemorat A. et locis itidem parallelis illuſtrat. Nempe, quum tota domus igne fulmineo obruta fuerit, nullum conclave illaeſum permanſit. In unius autem, quod inter caetera ſatis amplum et nitidum erat, angulo quodam extremo, tabula ſtetit vasculis porcellanis ſtrata, qualibus ad potum thée uti ſolemus; paulo autem ſuperius altare erat, imaginibus deauratis ornatum. Hic angulus ſupra in cymatio Dorico fulmine pertuſus erat. In aſtragalis autem imagininis mediae auro obductis metallum partim obfuſcatum, partim fuſum, et per vitream imaginis tabulam diſperſum erat. Vaſculorum, quorum quodlibet duplex eſſe ſolet, conſtans parte inferiore et ampliore, ac ſuperiore inverſa, quum nullus eorum eſt uſus, unum, quod ſuperius et inverſum erat, confractum eſt totum, inferiore prorſus illaeſo, in quo fruſta confracti nitide omnino ac eleganter omnia collecta iacebant, ut vix ulla induſtria melius potuiſ-

potuissent. Tabula vero lignea iuxta vasculum fulmine perforata fuerat.

Alterius conclavis tabulam gypso, vel potius mortario inductam, plurimis foraminibus, sed exiguis, perforatum erat, ea fere ratione, qua fieri necesse esset, si quis globulis plumbeis illud e sclopeto quaquaversum peteret. Sed iis foraminibus propius consideratis ibi singula adparuerunt, ubi clavis fila ferrea asseribus affixa sunt, quo mortarium cum calamis firmius cohaereat. In eo conclavi, quod omnium maxime a fulmine laesum erat, et in quo magna lactis copia, in vasis, aliaque multa ad victum necessaria servabantur, nihil singulare repertum est, nihil quod non etiam in prioribus visum esset. Nullum in conclavi lac erat coagulatum. Vasa ipsa non erant metallica.

Atque sic finita Phaenomenorum istorum narratione, illustratione, atque explicatione omnium quae dixerat, auctor iam incipit summam facere, et ponere conclusionem generalem ex iis tantum, quae a Physicis veluti pro exploratis haberi debent, singula aliorum industriae relinquens.

Concludit autem *primum*: tractum metallorum interruptum aedificiis, irruente fulmine, ruinam terribilem, et hominibus, siquidem adstiterint, aut quod peius intermedii fuerint, aut ad extremos metallorum terminos steterint, summum vitae discrimen minari, ut duo illi milites apud Nolletum in Actis Ac. Sc. ad ann. 1764. p. 443. morte testati esse dicuntur.

Deinde: arbores iuxta domos praesertim solitarie positas, semper periculosas esse, eodem Nolleto loc. cit. et ipso Abbate Ponceleto in libro:

La nature dans la formation du tonnerre, P. I. p. 118. assentientibus. — *Tandem*, tutius esse virgas ferreas, aut alia quaevis corpora analoga, fulmine semel icta, nec renovare, nec in

pristino loco reponere; quodsi autem veterum mos tenendus et metallum in cacumine aedificii reponendum, potius novum ibidem metallum affigendum, et hac ratione turrim futuro fato suo utcunque committendam esse. Preces ad ultimum adiicit ad architectos nostros has, ut huic naturae scientiae parti plurimam operam navent; ea enim via, mutato paulisper aedificiorum ordine, haud exiguam contra fulmina securitatem adferri posse.

Huic tam eleganter atque docte conscripto libello annexae sunt ad finem Propositiones philosophicae et mathematicae illae, quarum causa, quum defenderentur, libellus propositus est.

Johann Lorenz von Mosheim Sittenlehre der heiligen Schrift.

i. e.

JO. LAUR. MOSHEMII, THEOLOGIAE moralis, VOLL. X. *quaternis*.

Sumtu Weygandi.

Diximus nuper de Introductione *Milleri*: nunc de ipsis *Moshemii* Institutionibus exponere animus est. Praemissa non ita longa ad cognitionem morum christianorum praeparatione, fit totius Operis divisio in partes duas, quarum *altera* describitur tum hominis conditio, qualis est a natura, vitiosa et corrupta, tum qualis fit adhibendis remediis, quae Deus morbis humanae mentis sanandis proposuit, quem statum gratiae Theologi adpellitant. Parte *altera* de officiis praecipitur, quibus obeundis Christianorum vivendi ratio discernitur a vita hominum reliquorum. Sequitur autem b. *Auctor* in disputatione ista vulgarem divisionem officio-

officiorum, in ea quae ad omnes omnino homines, et quae ad propriam ſingulorum conditionem pertinent; de quo ſuo loco plura dicentur.

Habet vero *Pars Prior* Sectiones tres, quarum 1. hominis vitioſitas naturalis depingitur; 2. via, qua redeatur ad primaevam innocentiam, monſtratur; 3. ſtatus iſte reſtauratae innocentiae, ſive receptae gratiae divinae, explicatur.

Sectio I. diſtincta eſt duobus capitibus, quorum prioris lineae primae hae ſunt. Homo, qualis nunc naſcitur, totus corruptus eſt, et quamvis negari nequit, ſupereſſe in eius natura aliquam ſanam rationem, ipſa tamen, ut in rebus naturalibus, ita praecipue in ſpiritualibus et divinis iudicandis, graviter errat peccatque; cuius rei teſtimonia perhibent tum errores varii et funeſtiſſimi, ad quos in rebus ad religionem pertinentibus homines ſaepe delapſi ſunt, tum inſignis intellectus abuſus, qui vel in iis reliquus eſt, quos inſtitutio divina meliora edocuit. Nec deſunt cauſae, quibus mentis humanae vitioſitas naturalis alitur, augetur, confirmatur. Apparet porro iſta depravatio naturalis ex hominis voluntate, quae ſicut in ſe imperfecta eſt et corrupta, ita praeſertim in rebus divinis libertatis et recte faciendi poteſtatis expers. Tertio, impurae quoque nocivaeque cupiditates vitioſitatis animum humanum arguunt: nam ſi vel deprehendantur in eo, quae naturaliter et in ſe ſpectatae innoxiae ſint cupiditates, tamen et ipſae ex prima mentis per peccatum deſtructione perturbationis impuritatisque non parum traxere; id quod eo magis dolendum, quod in omni hominis natura nihil eſt auxilii ad ſubigendas domandasque eiusmodi cupiditates, unde impune vitia naſcuntur et malefacta, quae vitam noſtram aerumnis, turbis vero et calamitatibus afficiunt rempublicam. Tandem voluntatis noſtrae depravatio declaratur et vehementioribus quibusdam eius motibus, qui affectuum nomine veniunt. Horum odium et

 amor

amor quasi stirpes duae sunt, ex quibus vel singulis, vel coniunctis, originem et nutrimenta trahunt reliqui omnes. Sunt quidem motus isti primi in se, tanquam naturae humanae pars, quae abesse nequit, neque pravi neque noxii, at, depravatis per peccatum voluntate appetendique facultate, et ipsi perturbati ita, ut quamplurima prava noxiaque in mente efficiant. Ad morbosam istam mentis conditionem, quae multis variisque causis peior in dies redditur; accedit, quod nec corpus a depravatione liberum et immune morbos animi auget et exasperat naevis suis. Ex his omnibus iam consequitur, hominem viribus suis neque viam ad felicitatem invenire posse, neque si possit velle in ea incedere. Sub finem capitis *Auctor* describit diversam eorum conditionem, qui vel securi stadium vitae decurrentes parum soleant de vera felicitate adipiscenda cogitare, vel eam, non conveniente praeceptis divinis modo, sectari; et denique, quasi praevidisset *b. Vir*, fore, qui aliquando nimia dicendi copia hoc loco offendantur, addit haec: „Age desinamus loqui de naturali mentis humanae depravatione. Erunt forte, qui plura hic dicta videant, quam requisierint; erunt alii qui requirant plura, quam dicta viderint; aliis disputatio brevior et manca, aliis videbitur multis in locis nimis copiosa et vaga. Quid igitur? Nobis non ita videmur idonei in dicendo artifices, qui omnibus omnium opinionibus satis facere, vel explere cuiusque desideria possimus. — Sequitur *Caput alterum* de causis, quibus naturalis hominis depravatio nutritur et sustentatur. Missa hic facimus, quae *Auctor* dicit de causis in homine: quarum praecipuae sunt insignis plerorumque ignorantia, pravae et perversae de rebus ad fidem et pietatem pertinentibus opiniones, varia vitae genera et rationes. Extra hominem vero accedunt fraudes et conatus Satanae, liberorum perversa educatio, iuventutis mala institutio in scholis, adultorum in locis sacris; naevi varii in constituendis et alendis doctoribus publicis; nocivorum librorum copia, hominum profanorum numerus;

rus; funestae controversiae, moresque bruti et agrestes in ecclesia docentium; plebeiorum nimis durum iugum et depressio, pauperum neglecta cura. Facile hic poterant multae aliae eiusmodi caussae addi, quae tamen neque necessariae sunt, neque perpetuae, sed pendent magnam partem a diversa cuiusvis temporis ratione. Refertur v. c. huc et defectus librorum, ubi pietatis natura satis apte, luculenter et cum gratia describatur; qui naevus, si quis est, haud dubie magis fuit aetatis *b. Auctoris*, quam nostrae.

Sect. II. monstratur via, qua ex statu naturali venitur ad statum gratiae, sive innocentiae primaevae, h. e. agitur de poenitentia; et cap. quidem I. de poenitentiae natura et vera indole. Est vero ea morbis et vulneribus animi humani naturalibus unum atque maxime necessarium remedium, quo partim quae cultui Dei vero obstant de mente hominis depravati tolluntur, partim vires imperandi cupiditatibus, deique praeceptis obtemperandi, suppeditantur, ita ut, quantum imbecillitas naturae nostrae semper adhaerescens sinat, ex voluntate Dei vivere possis. Quae omnis mutatio efficitur interveniente vi divina, non absolutae potentiae, sed gratiae indulgentis, capitque initium a peccatorum cognitione, quae cum animi contritione errorumque confessione coniuncta sit; perficitur autem fide, differt tamen in subiectis, tum ratione magnitudinis, tum perseverantiae. Neque enim diu manere, neque fructus ferre necessarios poenitentia potest, nisi per acceptas gratiae vires ea continuetur. Hinc copia fit *Auctori* nostro dicendi de poenitentiae fructibus tam internis, quam externis, quales sint vel esse debeant; de praestantia totius dogmatis, de falsis et perversis multorum circa illud opinionibus. Cap. II explicantur notae et criteria, quibus certus fias de conversione vel in temet ipso facta, vel in aliis. Merentur omnino in hac caussa, tot tantisque difficultatibus impedita, legi quae a *Nostro* dicta sunt; quamquam tota res ab hoc loco alienior videtur

esse. Forsitan nec deerunt, qui in libro de moribus tam adcurate expositam doctrinam poenitentiae omnino alienam iudicent; sed est, quod pro instituto *Autoris* dicatur. Rectissime quidem caput de poenitentia sibi vendicat, qui dogmata religionis tradit, verum nec magister morum christianorum prorsus illo carere potest. Alter tanquam partem necessariam oeconomiae salutaris, alter ut fontem pietatis illud tradit; quo fit, ut uterque de eadem praecipiat non eadem. Brevior fortasse in hoc loco tractando *Noster* esse poterat, sed videtur *b. Vir* in conficiendo toto Opere non tam respexisse quod rigor artis et severitas ordinis dialectici exigerent, quam quod utile esset lecturis. Maluit ipsis exponere omnia, quae lectu necessaria iudicaret, quam ancipiti scientiae spe supponere quae forte nescirentur.

Sect. III. pergit *Auctor* ad explicationem status gratiae, partim in se, partim in progressu suo considerati; unde duo tractationis cap. existunt. Cap. I. describitur *primum* status gratiae quis sit, quibusque vocibus et formulis loquendi in Scripturis S. denotetur. Omnes ad eum reducti homines similes sibi invicem sunt quoad partes eius principales et necessarias, dissimiles vero, si spectes partium singularum modum, pulchritudinem, magnitudinem. Sunt vero partes eius Status non nisi duae, fides et amor, sive veritas et pietas. Quae duo tamen ut recte intelligas, diligenter explicanda sunt. Instituit *Auctor* explicationem ita, ut primum quid in intellectu, deinde quid in voluntate hominis in statu gratiae positi efficiatur, demonstret. In intellectu requiritur *Illuminatio*, quae quum in Scripturis S. varie dicatur, Auctor accurate, qua ratione homo regenitus illuminari dicatur, describit, caput hoc doctrinae christianae ab obiectionibus obscuritatis et absurditatis vindicat, et tandem illuminationis in diversis subiectis diversos esse gradus ac modos ostendit. Occurrunt h. l. quaestiones quaedam, *Moshemii* tempore magis, quam nostro, agitatae, in quibus explicandis

plicandis *Noſter*, ut ſolet, multus eſt; v. c. utrum homo irregenitus, qui, quod verum eſt, ſciat, pro illuminato habendus, nec ne? Porro diſputatur contra fanaticos, qui vel lumen internum iactant, vel revelationes externas ſtulte expectant; contra quos veritas illuminationis, quae fit per verbum divinum, adſtruitur. Iam illuminatus intellectus iisdem gaudet praerogativis et perfectionibus, quas naturalis diſcendo ſibi comparat, nempe ſcientia, ſapientia, et prudentia; quae tria Scr. S. aliis locis uno ex tribus vocabulo comprehendit: v. c. Joh. XVII, 3. ubi γινώσκειν omnem illuminationis ambitum indicat; aliis ſingula ſingulis nominibus inſignit, ut Eph. I, 8. ubi σοφία diſerte diſtinguitur a φρονήσει. Haec poſtquam ex uſu loquendi Scr. S. quo redire omnis debet in hac cauſa diſputatio, ſatis confirmata ſunt, *Auctor*, quibus partibus unumquodque horum illuminationis attributorum contineatur, definit; ſingulorum diſtinctiones, quae fundamentum in re habent, commemorat; et adductis e Scr. S. exemplis illuſtrat. Lectu digniſſima ſunt, quae exempli loco in medium adfert *Auctor*, de Pauli Apoſt. prudentia Evangelium Athenis praedicaturi Act. XVII. Nathanis item Prophetae ad Davidem regem legationem ſuſcipientis, 2 Sam. XII. quamvis ingenio *b. Vir* indulſiſſe plus iuſto videatur, quod in explicandis Scr. S. locis ei fere accidiſſe nemo eruditus ignorat. — Diſputationi de illuminatione intellectus adnectitur, corollarii loco, et doctrina de conſcientia, quamvis hanc in inſtitutionibus morum, ut virtutem in regenitis perpetuam, ad voluntatem quam ad intellectum referre *Auctor* malit. Sequitur altera ſtatus gratiae pars, quae pertinet ad voluntatem, et *ſanctificatio* dicitur. Nititur haec vero omnis, reverentia, timore, et amore erga Deum; quas animi commotiones diverſis principiis, unde naſcuntur, diſtinctas, Script. S. vel ſeparatim notat, vel unius vocabulo comprehendit omnes; quam vim et vox pietatis habet. De triplici hoc omnis virtutis chriſtianae fundamento Auctor in ſequentibus adcurate praecipit; quod eo magis videtur

videtur necessarium, quod istarum animi affectionum notiones vulgo non satis discernuntur, veritas rei interna cum specie externa saepe permutatur, et ita variis iisque valde periculosis et capitalibus erroribus homo christianus impeditur. Missis reliquis, quorum enarratio longior foret, nos, quae *Auctor* disputat de amore erga Deum, paullo fusius recensebimus. Eius in explicanda natura male versantur primum ii, qui, quae ad amorem únius sexus in alterum pertinent, et praeterea non raro singularem quandam cum moribus gentis et legibus reipublicae, ubi vivas, coniunctionem habent, ad amorem erga Deum accommodant. In hoc enim nihil, quod a natura perfectum, nihil quod sensus afficiat. Deinde non minus perverse docent de natura amoris erga Deum, qui proponunt ei efficiendo, quasi exemplar et imaginem, amorem quo se ipsum Deus complectitur et res creatas. Nam si vel concedatur, quae tamen formula loquendi valde incommoda est, deum se ipsum amare, quid, quaeso, amor eius, qui sempiterna et felicissima quiete fruitur, potest commune habere aut simile cum amore humano, qui cernitur in commotione animi? Nec amor Dei erga res creatas huc pertinet, quippe qui promovendae earum felicitatis voluntas est, qualis nostro erga Deum amori convenit nullo modo. His praemissis, veram amoris erga Deum notionem Auctor tradit his verbis: Esse animi commotionem, ex viva (mallemus certa et efficaci) cognitione profectam, Deum solum et posse, et velle felices nos reddere. Inde apparere, eius originem esse fidem, h. e. animi de infinita Dei benignitate et misericordia certitudinem; effectum vero, pronam et propensam patri tam benigno obtemperandi, eiusque praeceptis omnia alia postponendi voluntatem; errare vero, qui, quod multis usu veniat, amorem ipsum cum eius vel caussis, vel fructibus et effectis, confundant. Fuerunt v. c. qui Deum amare nihil esse aliud docerent, quam eum pro summo bono habere; quae amoris

amoris caufa; vel qui voluntatem obediendi in homine, immo obedientiam ipfam pro amore acciperent, quod eius effectum eft. Favere videntur, qui nulla addita verborum explicatione fimpliciter ita docent, erroribus eorum, qui gratiae divinae effectiones et commotiones fpirituales e mente humana expungere, fenfusque bonitatis divinae in nobis veritatem negare fatagunt. Sub finem huius §i diligentia Auctoris occupatur in explicandis locis Scr. S. principalioribus, ubi amoris erga Deum mentio fit. Perplacuit, quam hoc loco libenter offendimus, animadverfio non adeo vulgaris, amoris in Deum non fieri debere totidem diftinctiones et divifiones, quot eius vocis in Scr. S. fint fignificationes diverfæ et enunciationes. Quæ quidem non inepte conferri quodammodo cum iis poterunt, quæ nofter *Erneftius* nuper difputavit vere et præclare, ut omnia folet, de triplici officio Chrifti, in libello fingulari, et poft, vt objectiones quorundam et calumnias dilueret, etiam in Bibl. Theol. noviff. T. I. p. 179. feqq. — Intacta relinquimus, (revertimur ad inftitutum.) quæ *Auctor* poft hæc late pro more difputat contra ineptias Myfticorum, amorem purum, h. e. vocabulum fine re, ftulte effingentium; et corollarii loco tantum haec addimus: Chriftianus quisque in fe deprehendat reverentiam, timorem et amorem erga Deum neceffe eft; verum non quisque eodem modo, eadem fenfus claritate et evidentia. Quae diverfitas oritur a caufis in homine vel naturalibus, vel fpiritualibus, prout quis magis minusve concipere et intelligere pollet res animo commovendo idoneas, vel natura fua in hoc vel illud magis fertur. Alii aliis maiorem fcientiae divinae modum, alii religionis longiorem ufum, et plus cum Deo quafi familiaritatis et confuetudinis habent; unde fit, ut et aliis facilius moveantur vel ad reverentiam eius, vel ad dilectionem. Sunt et caufae a ratione temporis et circumftantiae profectae, quae commotionibus iftis animi virtutis et roboris vel addant aliquid, vel adimant. Ex quibus omnibus confequitur, iudicium, fitne

ne verus in aliquo Dei amor: nec ne? non absque multa cautione esse ferendum. Denique instrumentum, quo utaris ad conservandas confirmandasque perfectiones voluntatis et intellectus, hactenus explicatas, est pietatis contentio, (devotionem christiani schriptores vocant,) quae certo quodam modo naturalis esse, nec tamen effectus gratiae dici non potest. Intenditur vero animus ad pietatem partim meditando, partim intuendo. Meditantur, qui veritatem nondum cognitam investigant; intuentur, qui cognita delectantur et acquiescunt.

Tantum de statu gratiae in universum, sive de perfectionibus quae requiruntur in intellectu et voluntate hominis regeniti, ad virtutem christianam tendentis. Virtus autem, pro qua voce Scr. S. plerumque sanctitatem dicit, vel sanctificationem (ἁγιασμὸν Rom. VI, 19. 1 Cor. I, 30.) cuiusque notionem e pluribus Sc. S. locis diligenter eruit *Auctor*, non est, si proprie dicas, nisi una, sicut neque est nisi unum vitium. Hinc insigniter allucinantur, qui coire virtutem cum vitio aliquo modo posse putant, quippe quum inter plurima vitia, quibus laborant, virtuti alicui singulari student. Propterea tamen, quod et lex divina pluribus et variis praeceptis commendat virtutem, non absonum videtur totidem constituere virtutes, quot earum dantur praecepta singularia. Iam licet pro varia legis divinae divisione, varie virtutum singularium definiatur numerus: tamen cum tres tantum sint doctrinae morum christianorum leges principales, inde nec nascuntur nisi tres virtutes principales, quae reliquis omnibus quasi pro fundamento sunt. Sunt autem hae: 1) studium promovendae gloriae Dei; 2) amor in alterum; et 3) abnegatio, h. e. imperium in se, et moderatio cupiditatis mundanae. *Auctor*, postquam de studio gloriae Dei promovendae in universum dixit, falsas de eo hominum opiniones removit, veram idoneis argumentis stabilivit et illustravit: ex eo tanquam

Digitized by Google

quam fonte derivat virtutes, quae sequuntur, particulares: In nobis 1) veritatis et sapientiae amorem; 2) fiduciam in Deo; 3) patientiam, et 4) aequitatem animi (*Zufriedenheit,*) quibus singulis illustrandis adhibentur loca Scr. S. curiose delecta. Praesertim diligens est *Auctor* in constituenda vere contenti aequique animi notione, circa quam varie errari solet, partim proponendis falsis et insufficientibus, quibus animus tranquilletur; causis, partim commendandis infirmis ineptisque ad tranquillitatem eam tenendam argumentis et subsidiis. Haec sunt itaque, quae studium gloriae divinae in homine efficit; idem vero, ubi foras egreditur, dicitur Zelus religiosus, a quo, nisi caute satis et circumspecte exerceatur, facilis est lapsus ad varia peccata. Virtus altera principalis seu fundamentalis est amor erga proximum, h. e. erga omnes omnino homines, ne exceptis quidem inimicis, incredulis, impiis; qualis amor luculenter demonstratur et asseritur partim praeceptis Iesu Christi partim exemplo. Dividitur vero amor iste in communem erga omnes, et in singularem erga fratres, h. e. christianos et consortes fidei; illius Auctor, ait, normam esse dictum Christi: amato proximum, sicut te; huius vero exemplum Christi, quod postulet, fratres etiam magis amare nobismet ipsis, adeo ut vel vitam pro iis ponamus, si res flagitet. Durum hoc videri posse Auctor bene animadvertit, nec praetermisit quae ad refellendas obiectiones utilia sint, adducere. Nobis, si verum fatendum est, diversitas eius normae non omnino placet. Una est omnis amoris nostri in alterum norma, praeceptum Christi, quod ipse exemplo suo confirmavit et commendavit. Differt autem amor in diversos diverso tantum gradu, diversa effectorum magnitudine, Gal. VI, 10. Utriusque amoris aliud fundamentum ponere, quod *Auctor* fecit, videtur nimia et inutilis subtilitas, nec vitari satis inde emergentes quaestiones dubitationesque possunt. Neque ipse *Auctor* distinctionis huius rationem habuit in sequentibus, sed ea omissa simpliciter loquitur de

Digitized by Google

amore in proximum, et quae inde exoriantur virtutes particulares exponit. Sunt vero eae vel communes, vel singulares. Illarum duas nominat: 1) *Die Erbaulichkeit*. (Sed hoc quaeso, quid vocabuli? quis audeat latine reddere? Auctor quidem valde gratulatur eius fabro ingenium. Nos non item, quoniam commode eo caremus, ut postea dicetur.) 2) Iustitia, quam tamen nec ipsam sensu vulgari, sed latiore quodam dicit de voluntate et conatu promovendae, omni quo fieri potest modo, felicitatis alterius temporalis. Illam vero *aedificationem*, si placet, dicit voluntatis renovatae consilium vivum et constans, ita vivendi, ut felicitas aliorum augeatur, infelicitas et pernicies, quantum in te est, caveatur. Iam quid opus erat novo eoque tropico vocabulo, quod nemo nisi post multam explicationem satis intellexerit? Nos breviter rem omnem ita concipimus: Primum quod amor in alterum efficit, est iustitia, h. e. voluntas cuique tribuendi quod debes. Debes autem, ex lege paris in te et in alterum amoris, pariter eius commodo studere ac tuo, pariter eius damna et noxas avertere ac tuas. Quo maior et gravior est res vel in hanc vel in illam partem, quae agitur, eo magis flagret studium. Hinc praecipue felicitas eius promovenda spiritualis et aeterna; deinde et terrena seu temporalis; praecipue avertenda noxa quae animam aeternum prodere, deinde et quae vitam praesentem adfligere possit. Sic videntur omnia bene cohaerere, nec duplici opus esse vocabulo, ubi res una tantum referatur ad duplex obiectum. — Pergimus ad virtutes singulares, quae fluunt ex amore in alterum: sunt vero 1) facilitas in condonando; 2) gratitudo animi; 3) mansuetudo et lenitas quae debetur proprie iis qui citra culpam errant; 4) misericordia. Tertia denique virtus principalis est, ut supra dictum, abnegatio, h. e. moderatio amoris, quo quis complectitur et se et mundum; quod genus amoris duplex Auctor primum accurate describit, et deinde, qua ratione coerceatur, ne in vetitum ruat, docet. Disputat autem

primum

Digitized by Google

primum contra vulgarem et valde solemnem sententiam eorum, qui virtutis, de qua hoc loco, sermo est, fundamentum quaerunt in locis, ubi Christus suos iubet *ἀπαρνήσασθαι ἑαυτὸς καὶ ἆραι τὸν σαυρὸν αὐτῶν*, Matth. XV, 24. Marc. VIII 34. Luc. IX, 23. Praecipere his locis Christum, ait, si contexta spectes, omnem vitae amorem suo ipsius exemplo quasi exuere, ubi amor Dei flagitet vitam ponere; hinc nec crucem ibi, ut vulgo docent, esse adflictiones et aerumnas a Deo immissas, ut exploret suorum constantiam, patientiam, fidem. Extare vero alia loca in Scr. S. ubi evidenter satis praecipiatur abnegatio sensu eo, quo hic accipitur, v. c. 1 Cor. VII, 29. Phil. III, 8. Summa disputationis haec est, ut abnegare se et mundum non sit amorem sui et mundi animo exsculpere, sed eum ita moderari, ne amori erga Deum praevaleat. Virtutes quae inde existunt singulares, sunt 1) depressio animi, cuius consummatissimum fuit exemplum Christus ex interpretatione Pauli ad Philipp. II, 3 — 10. quem locum Auctor multis explicat; 2) modestia, animi depressi species singularis; 3) pudicitia, et 4) temperantia. Intemperantiae noxas, hac data occasione, *Auctor* non tam describit quam ob oculos pingit.

Huc usque exposuit Auctor de statu gratiae, qualis sit, unde ad eum perveniatur, quo nitatur fundamento. Iam transit ad Cap. huius Sect. II. expositurus quoque de iis, quibus gratia accepta conservetur, confirmetur, et augeatur. Augeri vires spirituales hominis regeniti posse inde evidens est, quod gratia, qua renovamur, neque hominis mutat naturam, neque operatur immediate. Augentur vero et incrementa capiunt duplici modo: primum minuendis naturali ignorantia et pravitate, deinde augendis illuminatione mentis et probitate animi; quae duo, si cum Scr S. loquendum est, sunt, hominem veterem enecare et exuere, novum contra excitare et induere. Hac qui ratione duplici confirmantur in dies in gratiae statu iis tribuitur experientia spi-

 ritualis,

ritualis, cuius et naturam et utilitatem *Auctor* diligenter explicat et describit. Fieri tamen nullo modo potest, ut quis ad eam perfectionem et integritatem redeat, qua, dum haec vita manet, immunis ab omni vitio fiat et peccato. — His, quae satis nota sunt et vulgaria, nec adeo multum difficultatis habent, nos non diutius immorabimur. — Instrumenta vero et subsidia, quibus tenentur, quae ante commemoravimus, status gratiae incrementa, praecipua haec sunt: 1) Vigilantia, h. e. diligens animi cura, quacum poenitentia, quae proxime sequatur male dictum vel actum (quotidianam vocant) coniuncta sit; 2) animus ad pietatem intentus; 3) Preces; 4) cultus divinus. 5) Scripturae S. aliorumque ad pietatem spectantium librorum frequens usus; 6) Exemplorum bonorum contemplatio, cum viris probis consuetudo. Sub finem capitis ostenditur, quam inepte in subsidiis promovendae pietatis ponantur alia quaedam, quae iactant ii, qui corpus ieiuniis adfligunt, plagisque externis male habent.

Haec sunt fere, quae *priori* totius Operis *parte* continentur; posteriore, ubi de externa sanctitate et puritate morum, sive de officiis vitae praecipitur, dicentur, quae reliqua sunt, proxime.

PHILOSOPHICAL TRANSACTIONS, &c.

h. e.

TRANSACTIONES PHILOSOPHICAE,

quibus referuntur molimina, studia, et labores Eruditorum nostri temporis, in variis orbis partibus. Vol. XLIX. Pars I. *pro Anno 1755.*

Wittenbergae, in officina Dürria, Alph. 1. plagg. 7. Tab. aen. II. quaternis 1770.

In procuranda Transactionum Philosophicarum editione, suis impensis a se suscepta, tam strenue pergunt amici nostri

nostri Wittenbergenses clarissimi, tam et nullis parcunt sumtibus, ut prima haec pars Voluminis tertii, quam nunc commemoramus, non modo prioribus, publicam in lucem iam prolatis, per omnia exactissime respondeat, et dignitatem operis sustentet, sed fiduciam quoque augeat ac confirmet, Editores medio forsan in opere numquam esse substituros. Caussae igitur nihil subest quare quis, nimis suspiciosus, de certissime sperando expectandoque prosperrimo operis ad finem suum successu, adhuc dubitet et tam utile ac laudabile institutum quovis modo promovere cunctetur; maxime quum, ad omnes levandas difficultates ipsi Editores officia sua cuique, exteris praesertim, promtissima denuo, quod nuper fecerunt, offerant. Pro consuetudine nostra, et loci huius capacitate, ordinem Classium, abs Editoribus descriptarum sequimur, et indicatis articulis, observationum et additamentorum potissima enarramus capita. Continet autem

CLASSIS I. MATHEMATICA

Art. 41. pag. 251. Quaedam in Astronomia et Physica, noviter in Asia observata, sibique Hierapoli (Aleppo) perscripta enarrat *Iacobus Porterus*. Innumerum stellarum, in Europa boreali, coelo noctu sereno, telescopiorum minorum ope videndarum, copiam, non fallaciae cuidam oculorum, earum ex scintillatione, tribuendam, sed veras illos esse stellas, in Oriente, aere semper sudo, nudis oculis absque scintillatione conspiciendas. perhibet, additque, hic etiam, sed admodum raro, stellas scintillare. Asam foetidam ex planta ferulacea, Thlaspiae specie, in Media admodum frequenter extrahi; in Syria, eiusque vicinia, tentamina electrica succedere, etiam si quis in pice, serico, vitro, haud collocetur, ob aerem oppido siccum.

Art. 19. p. 82. *Th. Simpsonus* de utilitate ex pluribus observationibus numerum medium capiendi, in Astronomia practica,

practica, exponit, usuque doctus adfirmat, incertitudinem errorem ultra tria minuta secunda committendi, si sex inter observationes media seligatur, millies minorem esse eo, qui ex una oriatur sola.

Art. 44. p. 265. Lunae defectus, Elbis a *Io. Mend. Sachetto Barbosa*, 1755. 27 — 28. Mart. observatus, et latine descriptus, Lectoribus satis quidem obvius est; id quod de proxime sequenti articulo aeque dicendum.

Art. 14. p. 48. Eclipses Satellitum Iovis, Ulissipone observatae, a *Io. Chevalier*, etiam latine ad Societatem perscriptae.

Art. 57. p. 347. Reditum Cometae, A. 1757. vel 1758. expectati determinare studet *Th. Barker*; quem in finem Cometae, Annis 1531. 1607. 1682. visi, annoque 1757. aut 1758. redine crediti, tabulam construxit XI. ex qua, quo loco singulis mensibus appariturus esset, perspiceretur.

Art. 2. p. 4. *Th. Simpson* universalem ad resolvenda isoperimetrica problemata regulam disquirit, methodum *Mac-Laurini*, in tractatu de fluxionibus propositam, sequutus; qua tamen in re monita nostratium, *Euleri* atque *Frisii*, non facile praetereunda fuisse, Editores monent, in Commentariis Petropolitanis, ab annis 1732. et 1733. dudum commendata; videnda hic est Tab. I. Fig. 2. et 3.

Art. 1. p. 1. *Christ. Hée* de pressione ponderum in machinis motis agit, latino usus idiomate, addita Tab. I. Fig. 1. qua in re *Schoberi* tractatum de Superpondio, iam A. 1751. editum, et post illa tempora Novi Commentarii Petropolitani, quid *Eulerus* praestiterit, docentes, conferenda Editores subiiciunt.

CLASSIS

Digitized by Google

CLASSIS II. PHYSICA.

Art. 12. pag. 43. *Henr. Miles*, de Frigore insolito dier. 8. et 9. Febr. 1755. in Syria (Surrey) Comitatu Angliae, refert; sed frigus in Germania, Polonia, Russia, tum multo fuisse rigidius, Editores notant, ad Observationes, Francofurthi ad Moenum, Goettingae, Gedani, Petroburgi, factas provocantes, quas Promtuar. Hamburg Vol. XV. Hanovius in Observ. Gedan. Reygerus in Tent. Soc. Phys. Gedan. et Braunius in Nov. Comment. Petropol. Tom. VII. suppeditent.

Art. 25. p. 125—154. *Henr. Eeles*, epistolis tribus in caussam ascensus vaporum, exhalationum ventorum, itemque universalium phaenomenorum tempestatis et Barometri, inquirit, reiectaque vulgari sententia, experimentis numerosis et observationibus, multa cum industria evincere annititur, mutationes has omnes fluido electrico rectius esse tribuendas.

Art. 50. p. 298. *Gust. Brander* effectum fulminis, quod templum Danicum in Wellclose - Square percussit:

Art 53. p. 309. *Guil. Child* effectum fulminis, Darningi in Syria (Surrey) observati, describunt; et

Art. 3. p. 16. *Io. Huxham*, singulari epistola, de fulminis tactu agit: atque ex his suis observationibus universalem regulam deducunt et stabiliunt, qua fulmen per deductores conductoresque quosvis metallicos, ferreos, aurichalceos, &c. directionem suam persequatur, viamque adeo avertendi fulminis periculum sua nobis sponte natura demonstret. Conf. Tab. I. Fig. 4. et 5.

Art. 16. p. 61. De obitu Richmanni, Phys. Experim. Prof. Petropolitani, electrica inter tentamina fulmine percussi, ex Germanico idiomate in Anglicum versa, narratio;

de qua Editorum Additamenta ad Art. 89. Vol. XLVIII. Part. II. p. 9. videri possunt.

Art. 51. p. 300. *Io. Cantoni* Continuatio experimentorum Electricorum, cum explanationibus *Benj. Franklini*; cuius Epistolae, a *Wilckio* Germanice versae, p. 200. sqq. hic conferri merentur. Cantoni Epistolam priorem, Vol. antecedentis Art. 93. p. 9. et 780. exhibet.

Articulo 52. p. 305. Insertum est excerptum *eiusdem* ex epistola, de Electricitatis aereae effectu. Laudatis Beccariae epistolis electricis, Dalibardo nunciat, suam de avertendo fulminis periculo sententiam adhuc minus recte fuisse intellectam; filum enim metallicum non solum dissipare materiam nubis electricam, sed etiam allicere, et in terrae viscera, absque ullo aedificii damno, abducere.

Art. 6. p. 24. *Isaacus Iamineau* incendia Vesuvii novissima, anni 1754. mensibus Aprili, Septembri, ac Decembri observata, eademque post hominum memoriam vehementissima, luculenter describit.

Art. 33. p. 209. Epistola magistratus urbis Siculae, Mascali, de incendio Aetnae, A. 1755. Mens. Mart. d. 9. terribilissimo, civitati huic et viciniae interitum minitari viso; postero die ex radice montis fluvius ferventis aquae erupit, solumque arena et lapidibus, in fundo maris reperiundis non dissimilibus, exaequavit; sequuto, tertio die, fluvio igneo, ex eodem fonte, 4000 pedes lato, totam regionem ad duo milliaria exurente.

Art. 59. pag. 398 — 444. Epistolis XXII. de terrae motu A. 1755. Lisbonae, aliisque pluribus Europae regionibus, animadverso, exponitur; qua de re integri libelli iam exstant.

Art. 24. p. 115. *Iac. Porterus*, regis M. Britanniae in aula Turcica Legatus, recentiores terrae motus Constantino-

Digitized by Google

ſtantinopolitanos recenſet; nimirum d. 25. Maii, 29. Iul. 9. Nov. 1752. d. 2. Sept. 1754. maxime memorabiles; itemque d. 6. 8. 10. 11. 13. eiusd. menſis; porro d. 6. Oct. d. 4. 19. Nov. 15. Dec. et tandem A. 1755. d. 20. Ian. ex iisdemque concludit: I. Probabilia terrae mortuum prognoſtica non dari; ventum autem ſuccusſionis terreſtris directionem plerumque ſequi; II. Motus iſtos quibuslibet annorum contingere temporibus; III. Velocitatem ſuccuſſionum et diſtantiam, qua cum diſſitiſſimis locis communicentur, prorſus eſſe admiranda.

Art. 58. p. 351 — 398. Epiſtolis XXVII. hic coniunctim editis, praeternaturalis aquarum motus, d. 1. Nov. 1755. in variis maritimis ac terreſtribus locis, abſque ſenſibili telluris ſuccusſione, eadem fere die ac hora obſervatus, exponitur; quo Tab. XI. ex parte pertinet.

Art. 55. p. 332. *Steph. Haleſius* de utilitate ventilationis aeris in nauibus, ad hominum ſanitatem ac vitam conſervandam exponit, tanti ſucceſſus, ut in longiſſimis etiam itineribus maritimis vix unus ex duodecim fatis nunc cedat; annonaque, ligna, tigna, aliaque, a putredine et infectione, integra etiam conſeruari poſſint. Quo invento de univerſo humano genere, et de re nautica, praeclariſſime promeritus laudatur.

Art. 54. p. 312. et Art. 56. p. 339. Idem *Haleſius* permiſtionem novi aeris, cum liquoribus deſtillantibus longe utiliſſimam, cum inſtrumento huic operationi perquam apto, deſcripto, comprobat, oſtenditque, ſuam hanc methodum, aliis modis, aquam marinam reddendi dulcem, magnopere praeſtare, hacque ſua machina, Tab. X. delineata, foetorem etiam et ingratum ſaporem ex aqua corrupta, et lacte praeſertim, commode depelli poſſe: quam in rem conferri merentur Ephemerides Wittenbergenſes, Anni 1768. p. 305. et 313.

Art. 29. p. 183. *Iac. Parsoni* historia de ove monstrosa siue cornuta, Tab. IV. pulchre delineata; quod cornu, 26. librarum pondere, ab animali mira quadam vi ac facilitate agitatum memoratur.

Art. 34. p. 210. Relationem de Umbla minore Gesneri, in Wallia septentrionali obvia, ex litteris *Farringtoni* communicavit *P. Collinson.* Ex Salmonis genere videtur esse hic piscis, licet species ex minus sufficientibus Auctorum descriptionibus accurate definiri nequeat. Salmoni tamen Alpino, dorso nigro, lateribus coeruleis, et fulvo ventre notato, Synonymum Gesneri *Linnaeus* adposuit, in Fauna Suecica num. 310. et concinnam eius descriptionem ibidem dedit.

Art. 32. p. 205. *Isr. Mauduit* nidi vesparum Americani, ex Marylandia advecti, quod ex Corno mare, diametri 15. pollic. Lond. pependit, faciem externam et structuram describit. Alios, a *Reaumurio* descriptos A. memorat; ex *Frischio* tamen nostrate, *(Beschr. von Insect. IX. Th. p. 24.)* et *Hanovio (Seltenh. der Natur und Oekon. Vol. I. p. 402.)* alii adduntur; siquidem *Hanovius* similem huic prorsus nidum Anno 1746. Gedani in ribe ramis aculeatis repertum describit.

Art. 39. p. 246. *Franc. Nicholls* de vermibus in animalibus obviis, eademque saepe destruentibus, agit, inprimisque pisces iisdem, exemplo Aselli, Brumae, (Bramae etiam,) infestari, eorumdemque iecinora taeniis seu fasciolis intestinalibus exedi, comprobat. Pluribus videri possunt *Rosenstein* in morb. infant. Cap. XX. de Vermibus ed. *Murray*, et *Richter*, Ichthyotheol. p. 313. et 527. videnda etiam est Fig. I. Tab. VII.

Art. 40. p. 248. *T. Brady* de Insectis, quae ad Polyporum species pertinent, et in aquis stagnantibus prope Bruxellam viuunt. Delineata illa sistit Tab. VII. Fig. 2. 3. 4. 5.

4. 5. et 6. Novam hanc Polyporum varietatem primus inter exteros protulisse videtur *Bradyus*; sed genuina a *Roeselio* non putatur, qui eiusmodi Polypos vocare spurios solet. Cui, et *Schaeffero* ex parte, curatior a *Bonneto* descriptus, notatur.

Art. 18. p. 78. Catalogus L. Plantarum, quibus Hortum Chelseanum An. 1754. auxit *Wilmerus*.

Art. 27. p. 157. Epistolae duae, Abbatis *Mateas* et *Milleri*, de Toxicodendri speciebus, earumque succo tinctorio, quo lintea nigro, firmissimo, nec rodente colore tingi, a *Sauvagesio* Abbas acceperat, suisque comprobatum vidit periculis. Species, hunc succum fundentes, Rhus Toxicodendron, et Rhus radicans *Linn.* vocantur; tertia Toxicodendrum Carolinianum, quod pro ea planta *Millerus* habet, ex qua Japonenses Vernicem, ad coloranda utensilia aptissimam, parare soleant. De qua re pluribus Parte II. et Vol. L. agetur.

Art. 8. p. 30. *Petr. Ascanii* epistola, de monte Tabergensi Smolandiae, penitus ex minera ferri constante, particulis ferri nativi frequenter interspersis; quam speciem ferrum mineralisatum *Wallerius* appellat, *Linnaeo* sic refutato, qui mineram hanc a magnete trahi negarat. Materia, in fundum non penetrat, ex concussa igitur regione mons elevatus creditur.

Art. 48. et 49. p. 295. et 297. *Arthur Pond* lapidem ichthyomorphum, ex insula Antigoa a *Franco Biamo* missum, breviter describit, et Tab. IX. depingit. Tantae cernitur delineatio et impressio perfectionis, ut pinnas, costas, squamas, et vertebras quasdam, cognita piscis specie, A. statim posset distinguere. Similes apud *Leibnitium*, Protog. p. 30. et *Mylium*, Memorab. Saxon. Subterr. P. II. p. 86. occurrunt. Passeris aut Rhombi speciem videtur exhibere. Schifri etiam nigri, in comitatu Mansfeldensi,

 formas

formas piscium, ex veris expressorum, egregias saepe referunt.

Art. 26. p. 155. *Iac. Parsoni* brevis observatio, de peculiari petrefacto Echino, Bovingdoni reperto, et Tab. III. Fig. 2. et 3. delineato. Cum Auctore Editores non consentiunt. Cretae ac silicibus peculiarem tribuunt originem; nec echinitam hunc Echinometram digitatam rotundam, sive cidarin Mauri, qualem *Rumphius* adleget, habendum, quin potius ad Sudes, h. e. ad echinos obtuse aculeatos referre malint, *Kleinium* in Disp. Echinoderm. Cl. II. p. 49. et *Kundmann.* in Promtuar. rer. natural. et artific. A. 37. p. 96. hic consulendos, sequuti.

Art. 47. p. 295. *Gustav. Brander* Echinum quendam maiorem, Tab. VIII. Fig. 3. delineat, et pro singulari specie, medio inter echinos et osterias loco referendum, habet. Neutrum Editoribus arridet, quibus ad anocystos, s. echinodermata, exitum in vertice habentia, pertinere videtur. Consulendus hic est mox laudatus *Kleinius* et Tab. VI. ac VII. videndae. Itaque hic echinus, 15. annis ante *Branderum* curatius multo descriptus, Cidaris mammillaris, verrucas pronas exhibens, appellandur videtur; quod argumentum pluribus Editores persequuntur.

Art. 36. p. 222. *Io. Alb. Schlosseri, Ultraiectini, M. D.* Tentamen chemicum, de calcis vivae actione in salem votatilem alcalinum, latine conscriptum. Calcem vivam veram esse ponit simplicem terram alcalinam, ignis vi ad summam puritatem deductam; hincque salia, ex calce viva extracta, proprie non ad eius compagem pertinuisse, sed ab attractis ex atmosphaera variis acidis, cum calce viva, ut vera terra alcalina, unitis, ortum suum duxisse, atque ideo aquam calcis vivae purissimam fortissimamque, meram esse saturatissimam terrae huius alcalinae solutionem. Praeclarum hunc Chemicum plerisque recentissimis Chemiae, scriptoribus

bus aut penitus ignorari, aut ſaltem non laudari, mirum iure Editoribus videtur.

CLASSIS III. MEDICA.

Art. 38. p. 240. *Rich. Brooklesby*, experimenta circa ſenſibilitatem et irritabilitatem, ill. *Hallerum* imitatus, inſtituit, tandemque ex iisdem evicit, ſolos nervos eſſe ſenſibiles, non nullas autem partes, etſi magno ſenſibilitatis gradu non donatas, irritabiles tamen deprehendi, aliis, omni ſenſu deſtitutis, nulloque modo irritabilibus.

Art. 42. p. 254. *Malcolm Flemyng* liquorem Amnii alibilem quoque eſſe, eaque propter deglutiri, ex pilis, in meconio vitulorum, ante partum demortuorum, iisque copioſis, duris, craſſis, pollice longioribus, ut pellis pili coloratis, a ſe primum caſu magis quam conſilio repertis, conficit; cui obſervationi tantum pondus ill. *Hallerus*, Phyſiol. T. VIII. tribuit, ut ne difficillimo quidem homini dubii quidquam adhuc ſupereſſe poſſe, de foetus per os et umbilicum nutritione, conſtituat. Addit tandem Auctor, idem olim a *Matth. Slade* et *Swammerdamo* obſervatum, ſed ſuos in uſus non converſum.

Art. 15. p. 49. *Le Cat* febrem malignam, Rothomagi, ſub finem anni 1753. et initium ſequentis, populariter graſſantem, deſcribit, unaque hiſtoriam omnium morborum, antea per 30. annos in variis Galliae provinciis epidemicorum, enarrat.

Art. 5. pag. 21. *Henr. Baker* morbum cutaneum, No. 424. Tranſact. iam memoratum, nonnullis animadverſionibus illuſtrat. Vir iſte, ante annos 24, puer 14 annorum, corpus ſuum, ſolo capite, palma manus, et planta pedis exceptis, undique excreſcentiis, ſive ſetis, hiſtricis inſtar, obſitum, Societati Regiae videndum praebuit. Ex omni parte ſanus in lucem erat editus, poſt novem hebdomadas factus paullatim

paullatim hispidus. Decidunt istae verrucae, digitum latum longae, omni anno, eoque eveunte, iterum sine sanitatis offensione, renascuntur. Variolis laboravit, bis salivationem pertulit, corporis tamen integumentum hinc non mutatum. Sex liberos procreavit, omnes, post novem a partu menses, echinatos, visusque *Bakero* puer 8. annorum, optime valens, patri simillimus. Tab. I. Fig. 6. has verrucas exprimit.

Art. 13. p. 46. *Guil. Oliverus* de Hydrope, recenti oleo sanato, tres notatu dignos casus refert. Femina ascitica, olei communis inunctione, per 14 dies in abdomine instituta, excreta copiose urina, perfecte convaluit. Eodem modo in viro, 55. annorum perque 15. annos cachectico, icterico tandem et hydropico, idem experimentum successit. Quod tandem exemplo septuagenariae et maciatae feminae, ascite laborantis, denuo confirmatur, meliore sanitate, ac ante, recuperata.

Art. 35. p. 213. *Ionathan Wathen*, auditum, ex tubae Eustachianae vitio suppressum, restituendi methodum proponit. Satis frequenter hoc modo auditus vitiatur, expertusque A. est, in cadavere viri, ex intenso frigore surdi facti, tubam hanc congelato muco obturatam. De emendanda igitur *Guyoti* methodo, iam A. 1724 proposita, serio coepit cogitare, instrumentumque ab inventore per os difficulter introducendum, multo nunc facilior per choanas ingerit, methodum huius operationis Tab. VI. pulchre delineans, et luculenter explanans.

Art. 4. p. 18. *Edw. Spry* singularem morbum oculorum describit. Tumore oculi, cum dolore et inflammatione, corneae opacitate, pupillae dilatatione, palpebrae superioris eversione, in dies auctiore, de eo extirpando, propter carcinoma latitans, medentes cogitarunt, exsectoque bulbo in posteriori orbitae parte peregrinum corpus, s. tumorem tunicatum

tunicatum invenerunt, quo pariter eiecto conglutinari oculus omnino potuit.

Art. 30. p. 186. Commentatio *Danielis*, de cancro palpebrarum, nasi, canthi maioris oculi, et adiacentium partium, feliciter exstirpando, a *Parsonio* Anglice reddita; quod fieri quidem poterit, ipsa mali radice, periostio et perichondrio implacata, prorsus sublata; caussticis autem tentata peiora fiunt, numquam curantur. Quam methodum, operandique modum, additis decem observationibus, ulterius corroborat.

Art. 37. p. 238. *Io. Nedham* de puero, curru oppresso, et partem intestinorum ac mesenterii per anum emittente, sanato tamen. Amplior et accuratior huius casus historia iure desideratur; inprimis difficile intellectu est, intestini, per anum emissi, portionem, abscissam, vulnusque tantum Tinctura Rhabarbari vinosa, et Corticis Peruviani simplici, consolidatum, sicque aegrum perfecte fuisse sanitati restitutum.

Art. 9. p. 34. *Rich. Guy* caussam mortis puellae plane singularem exponit, quae pro ascitica habita ac tractata fuit. Invenit loco aquae corpus ovale, fuscum, 14 libras ac 2½ uncias pondere aequans, ex cellulosa pingui carneaque massa compositum, intus peculiaribus, ast parvis, cavis, melleo humore repletis, praeditum, communique involucro, seu omento potius, insigniter extenso, et mutato, cinctum. Agglutinata erat haec massa peritonaeo, et omni fere abdominis cavo, parte inferiore in pelui latitante. Hinc diaphragma sursum pressum, cor in sinum claviculae sinistrae intrusum, pulmo undique compressus; reliqua viscera a naturali fabrica non recedentia, praeter renem dextrum, sinistro paullo maiorem, multosque minimos capillos continentem. Primam tumoris originem, tantique caussam incrementi, invenire A. non potuit.

Art. 43. p. 264. *Guil. Thornhill* ſtipticam Agarici virtutem novis experimentis confirmat; Boletum autem igniarium *Linn.* in annoſa quercu natum, ex obſervatione *Broſſati*, reliquis praeſtantiorem, Art. 7. p. 28. *Watſonus* refert. Etiam *Iac. Latterman* Agarici querni, truncatis artubus impoſiti, virtutem cognovit; pulveris vero Lycoperdi, arteriis maximis in equo adſperſi, efficaciam *de la Foſſe* expertus eſt. Quare iſta tentamina in homine etiam inſtituenda, *Parſonius* Art. 11. p. 38. commendat; *Iac.* autem *Ford*, Art. 20. p. 93. Agarici quidem querni virtutem admittit, aliis tamen Agaricis et Fungis communem habet, eidemque in duplici caſu fungum, doliis et muris cellarum vinariarum increſcentem, ſubſtituit.

CLASSIS IV. MISCELLANEA.

Art. 22. p. 109. Epitome duarum litterarum, de rebus antiquis, in Herculano repertis, ad *Th. Hollifium* Ann. 1754. 1755. ſcriptarum; quae omnia nunc ſatis omnibus ſunt cognita.

Art. 23. p. 12. Epiſtola Neapoli, An. 1755. de libris et manuſcriptis prope Herculanum repertis, ſcripta, et cum iis conferenda, quae in his Tranſactionibus, Vol. XLVIII. Part. II. Articulo penultimo, plenius enarrata, et ab Editoribus addita, proſtant. Quibus tamen adiicias, nonnulla latina, currente quaſi manu, h. e. celerioris ſcripturae cauſſa ſuccentariatis minuſculis, non uncialibus, litteris ſcripta eſſe; ſententia Maffei ſic pulchre confirmata, litteras perperam Gothicas ſ. Lombardicas dictas, veterum fuiſſe manum celerius currentem *(Curſiv-Schrifft,)* ſucceſſu temporis tantopere deformatam; originis igitur longe eſſe antiquioris.

Art. 17. p. 69. *Io. Wardii* Expoſitio Romanae Inſcriptionis, Maltoni in agro Eboracenſi A. 1753. repertae, et Tab. III. Fig. 1. exhibitae, quam A. ſic legendam cenſet:

Diis

Digitized by Google

Diis manibus, Aurelius Macrinus ex equitibus singularibus Augusti: huiusque suae lectionis rationes perelegantes subiicit.

Art. 31. p. 196. *Ejusdem* Expositio IV. Inscription. Romanarum, Viroconii in comitatu Shropshirensi Ao. 1752. repertarum. Descriptae sunt in tribus lapidibus, cum suis ornamentis integre conservatis, Tab. V. Num. 1. 2. 3. depictis; notaturque, eo ipso loco An. 1701. Sudatorium Romanum fuisse detectum. Quorum coniungas, Art. 46. p. 285. exstantem *Ejusdem* explicationem duarum Romanarum inscriptionum, Bathae repertarum, quas duobus altaribus incisas Tab. VIII. Fig. 1. et 2. exhibet.

Art. 28. p. 167. *Guil. Brakenridge* Epistola, de methodo construendi tabulam probabilitatis vitae hominum Londini degentium. Eiusmodi tabellam, ex indice natorum ac mortuorum Wratislaviensi, *Halleius* quondam fecerat; quam tamen, saltem non cuivis Londini viventium aetati convenire successu temporis compertum est. Hos aliosque defectus, non ubivis observatos, sollicite A. corrigit.

Art. 45. p. 268. *Idem* Auctor Angliae incolas determinare, ex numero familiarum, et panis quotannis consumti quantitate, studet. Circa annum 1710. numerus incolarum, omnium ordinum atque aetatum, 5,467,860. non excessisse videtur; post annos 45. tota eorum summa sex millionum assumitur. Ratio calculi, admodum subtilis, hic proponi non potest.

Art. 21. p. 96. Quaestiones a *Matyo* ad amicum, Constantinopoli degentem, missae, cum responsione *Iac. Porteri*, Legati Anglici in aula Turcarum. Sex potissimum quaestiones ex totidem responsionibus propositae patent: Numerus Constantinopoli viventium aeque minus accurate definiri potest, ac peste demortuorum. — Plures feminas, quam mares, in Oriente nasci, itinerariorum est commen-

tum. — Mahometani in universum pauciores liberos procreant, quam Christiani. — Variolarum insitio apud Graecos tantum et Romano-Catholicos in usu est, non apud Turcas, suo se fato permittentes. — Officinam typographicam primus instituerat desertor Christianae religionis, Ibrahim Effendi, sed brevioris durationis; tabulaeque Geographicae, ut paucae sunt, sic vitiosae. — Superstitio gentis, et invidentia, bonis artibus obsunt, et meliorum temporum spem faciunt exiguam.

Liebesgeschichte des Klitophon und der Leucippe, 2c.

i. e.

DE CLITOPHONTIS ET LEUCIPPES amoribus, Libb. VIII.

Lemgoviae, ex officina Meyeria, 1772. octonis.

Quantum adiumenti ad linguam peregrinam suspiciendam, eamque perdiscendam possint afferre, qui exterarum nationum praestantissima ingenii opera in patrium sermonem vertendi consilium capiunt, ignorat nemo. Etenim, quoniam ita natura sumus comparati, ut amore complectamur omne id, quod pulchrum, quodque venustum est, et contra aversemur quod deformiter et ineleganter elaboratum sit: omni studio atque industria in id incumbunt generosi animi; ut vel ipsi aliquid admiratione dignum, vel, si hoc minus feliciter successerit, operis alieni virtutes omnino intelligant.

Igitur evenit saepissime, ut, si ex bona fidelique interpretatione perspectum habeant opus quoddam perfectum, in hac sola, laude ac honore ducti, non acquiescant, sed ad ipsum

ipſum exemplar quam proxime accedere, omnesque eius partes vel minimas curioſe cognoſcere geſtiant. At, quaeſo, num poterit aliquis in ulla natione, per totum terrarum orbem eam ingenii praeſtantiam animadvertere divinam, quam clementior fortuna tribuit Graeciae veteris hominibus? Quorum igitur ſi quis immortalia opera in vernaculam linguam cupiat transferre, in egregia re omnique laude digniſſima ſuum collocabit ſtudium; etſi langueſcere, legendis talibus verſionibus, graecarum latinarumque litterarum ſtudium, videtur. Tamen Anonymi cuiusdam haud ſpernenda eſt voluntas, qui *Achillem Tatium* in linguam Teutonicam vertendi fecit periculum, fortaſſe ut graecarum litterarum cognitioni pro virili et ipſe conſuleret; inprimis cum eum ſibi elegit auctorem interpres, qui admodum paucis eſſet adhuc cognitus. Saepe mirati ſumus, quo tandem fato factum ſit, ut bonus ille Tatius tam paucos ſibique faventes nactus fuerit patronos, qui eum, deformitatibus, quibus contaminatus tam diu iacuit, ablatatis, nitidiorem atque cultiorem in lucem producerent. Forſitan pia quaedam ſuperſtitio, quo minus eum excolerent, maiores noſtros impedivit; quod ſi eſt, illorum aetati facile id concedas.

At profecto neminem, modo ne ſit nimis moroſus, eum legiſſe poenitebit, quoniam multa ex illo ſibi nata intelliget commoda lector diligens. Dabit enim ille tibi non ſolum lucos, rivos, flores, qui ſpectaculum praebeant oculis iucundiſſimum; verum habebis etiam deſcriptiones ad cognitionem rerum augendam idoneas; occurrent multa egregie dicta, per totam fabulam diſperſa, quae alunt mentem, virtutisque amorem excitant non ſolum, ſed etiam confirmant. Achillem quidem omnibus numeris abſolutum non dicimus. Sunt enim multa in illo minus eleganter, quaedam etiam, etſi nullius momenti, maiore quam par erat, lumine perſcripta Inprimis iure Tatio poteſt vitio verti ſollertia in ſimilibus colligendis, quae ſaepius ſunt diſſimillima, nec ullam vim ad delectandos animos exſerunt. Cum tamen in deſcri-

bendo verbis utitur lectissimis, graecarum litterarum amantes eiusmodi imagunculas, Graeco penicillo pictas, haud inviti cognoscent.

At vero huiuscemodi descriptionibus omnem suam venerem abstulit Interpres. Lecta eius praefatione, qua ipse sui operis iudicem agit, sperans, interpretationi suae, quoad orationis flumen inoffensum, haud aliquid defuturum, magna cum animi laetitia et aviditate ad evolvendum librum accessimus. At vero et nos et interpretem ipsum, spes fefellit. Non facile tersum et politum orationis genus, sed asperum, perplexam verborum structuram, multa nimis plebeia, quaedam etiam a mente Tatii aliena, animadvertimus. Sed ne ad reprehendendum nimis proclives, vel temere in iudicando versati videamur, dabimus particulas quasdam, quae facile operi pretium statuent. Primum igitur, comprobandi causa, interpretem in quibusdam mentem Achillis non assecutum esse, testimonium afferemus. Vertit ille pag. 17. lin. 19. edit. Salm. ᾐδούμην ἁλῶναι, *ich freuete mich meiner Fesseln*, pro, verebar ne deprehenderer. Pag. 33. lin 8. πῶς ἴδοιμι, *was mich vergnügte*, pro, ut videndi mihi data fuisset facultas. Posset aliquo modo illud Virgilianum in eclog. ut vidi! ut perii! transferri. Pag. 75. lin. 19. seqq. confundit personas, dum Clitophontem facit loquentem ea, quae Leucippes verba sunt. Pag. 113. lin. 10. στέρνον πλατύ, *eine breite Stirne*: Pag. 131. lin. 6. ἐπὶ τὴν τρίτην θύραν, *die dritte Stunde*. Puto quidem legisse hoc loco interpretem ἐπὶ τὴν ὥραν; sed facilis erat coniectura, cum et Graecis solemne sit dicere περὶ τὴν ὥραν, quod ex sequentibus etiam intelligi potest, et ipsa contexta verborum series sensum demonstrat manifestum, dicitur enim eleganter ianitor, ἡ τρίτη θύρα. P. 165. lin. 15. μὴ διαστήσῃς, *säume nicht*, pro, ne disiunge nos. P. 267. lin. 24. χορεία νεῶν, *die Jünglinge tanzten*, pro, ordo navium. P. 369. lin. 17. οὔπω σαφῶς αὐτὴν ἀπολαβόντα, *weil ich sie noch nicht in Sicherheit gebracht hatte*, melius: cum eam vere nondum recuperassem. Pag.

423.

423. lin. 8. *τίς μοι Λευκίππην ἔδειξεν, εἰς καινὴν ὑπόθεσιν συμφορῶν; wer hat mir Leucippen aufs neue ins Verderben gestürzt?* Permulta adhuc ſunt, quae minus recte interpretatus eſt, quicunque ſit, qui hunc ſuſcepit laborem. Nos quidem adeo duri et ſeveri non ſumus, ut credamus interpretem verborum poteſtatem ignoraſſe: verum non niſi una eademque non optima editione, ut ipſe fatetur, fuit inſtructus. At vero eam ob cauſam culpa ille non vacat. Prima enim interpretis debet eſſe cura, ut, quantum fieri poteſt, aut optimam, aut plures in promtu editiones habeat. Sed non ſolum peregrino, verum etiam patrio ſermoni, et honorem et venuſtatem ſubtraxit interpres. Nimis ille inhaeret graecae linguae particulis, quas tamen reſpuit lingua Teutonica. Inter alias eiusmodi otioſas voculas refero illud *Nun*, quod tam ſaepe reperitum creat auribus moleſtiam.

Utitur etiam dictionibus, quae inter homines eiusmodi libellos legentes, et bonum illum guſtum ſcilicet amantes, prorſus exulare debent: v. c. *die Zähne fletſchen, — das Weibſen — die Queere kommen, — ins reine bringen — gefreyt haben.* Tandem non obſervat legitimam temporum conſecutionem, ut e. c. *Sie möchten es Niemand ſagen, daſs ich aus dem Schiffbruch bin gerettet worden. — Als nun Melitte erfuhr, daſs meine erſte Frau wieder gefunden worden iſt, und befürchtete, ich möchte jener mein Herze wieder zuwenden.* — Pauca adiicio quae prodigioſa et paenae ridicula videntur: v. c. *ὁμηρίζειν, die Dichter ſtudiren; σύριγξ, eine Flöte; πέπλον, ein Mantel; σύντροφος, Pflegevater; φαρμακεύς, Giftmiſcher,* quem quidem ſignificatum *φαρμακεὺς* alibi, ſed in hoc libro nullibi habet. Ex his paucis de interpretationis huius virtutibus unumquemque, lingua et graeca et Teutonica vel leviter tinctum, ſententiam ferre poſſe arbitror,

tror. Caeterum nos Achilli, quem propediem a Cl. *Bodenio* meliore forma in publicum emissum iri speramus, ut alius quoque interpres ore, loquens venustiore, contingat, vehementer optamus. Cordi enim nobis est, ne mala interpretatione, praestantissimorum virorum, quos Graeciae fertile solum tulit, auctoritas, apud honestas virgines et matronas, tempus legendis fabulis fallentes, in summum discrimen adducatur.



Digitized by Google

Digitized by Google

TAB. III

Fig. I.

Fig. II.

NOVA ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipsiae
Calendis Novembris Anno MDCCLXXII.

PORISMATA EUCLIDEA, IMMO FERMAtiana, demonstrata, Auctore Archid. IO. FRANCISCO DE TUSCHIS A FAGNANO, ex S. Honorii Marchionibus, Patritio Romano, et Senogalliensi.

Insignis superioris Saeculi Mathematicus, Petrus de Fermat, in praeclaris operibus mathematicis, Tolosae editis, Anno 1689. opusculum habet pag. 116. cui titulus.

Porismatum Euclideorum renovata doctrina, et sub forma Isagoges recentioribus Geometris exhibita.

Porismata sunt numero quinque, et sine demonstratione: an ab ipso Auctore, vel ab aliis demonstrata sint compertum non habeo, utcunque se habet, non prorsus inutile futurum puto, si illorum demonstrationem lectori Geometrae exhibuero.

Porisma I. Fig. 1. 2. 3. et 4.

Sint duae rectae ON, OC, quae angulum constituant in puncto O, et sint ipsae positione datae, dentur et puncta

Digitized by Google

A, et B, et ducantur rectae BE, AF, ipsi OC parallelae, et occurrentes rectae NO, productae in punctis E, et F, iungatur recta AE, quae rectae CO productae occurrat in D, iungatur itidem recta FB, quae eidem rectae CO occurrat in C, et ad quodvis punctum rectae ON, ut V verbi gratia, inflectantur rectae AV, BV, ita ut recta AV occurrat rectae OC in puncto S, recta autem BV eidem OC occurrat in puncto R.

Rectangulum sub CR in DS semper erit aequale rectangulo sub CO in OD, ideoque spatio dato.

Demonstratio.

I. Producatur, si opus fuerit, recta BE, donec occurrat rectae AV in L.

Cum sint per hypothesin rectae LE, DS, parallelae, erit $\frac{AD}{AE} = \frac{DS}{LE}$.

Pariter cum sint parallelae rectae OD, FA, erit $\frac{AD}{AE} = \frac{OF}{FE} = \frac{OC}{EB}$; ideoque $\frac{DS}{LE} = \frac{OC}{EB}$, atque invertendo $\frac{DS}{OC} = \frac{LE}{EB}$.

II. Per Parallelas SO, FA; $\frac{VO}{VE} = \frac{SO}{LE} = \frac{OR}{EB}$; ergo $\frac{SO}{OR} = \frac{LE}{EB}$, et per Artic. praeced. $\frac{DS}{OC} = \frac{SO}{OR}$; ideoque $\frac{OR}{OC} = \frac{SO}{DS}$; consequenter dividendo (Fig. 1.)

OR —

$\frac{OR - OC}{OC} = \frac{SO - DS}{DS}$; componendo (Fig. 4.)

$\frac{OR + OC}{OC} = \frac{SO + DS}{DS}$

In Fig. (2), et (3), per converſam rationem $\frac{OC}{OC - OR} = \frac{DC}{DS - SO}$, et rurſus inverſe $\frac{OC - OR}{OC} = \frac{DS - SO}{DS}$, ergo in omnibus caſibus ſemper erit $\frac{CR}{OC} = \frac{DO}{DS}$; et per conſequens $CR \times DS = DO \times OC$. Q. E. D.

Theorema Lemmaticum. Fig. 5.

Sit Parabola $NABD$ in qua BQ eſt una ex Diametris, et AE ad eandem Ordinata, ſi per punctum A ducatur quaevis recta AD, quae ſecet Diametrum in E, et curvam in D, ducaturque ordinata DQ, dico quod $QB \times BE = BG^2$.

Demonſtratio.

Sit parameter diametri $BQ = p$; $BE = a$; $BQ = x$.

Per Parabolae naturam $AE = \sqrt{pa}$; $QD = \sqrt{px}$; ſed per Triang. ſimilia AGE, QGD; $\frac{QD\ (\sqrt{px})}{AE\ (\sqrt{pa})} = \frac{QG}{GE}$;

$\frac{QG}{GE}$; ideoque componendo $\frac{QD+AE}{AE}$ sive $\frac{\sqrt{px}+\sqrt{pa}}{\sqrt{pa}}$

$= \frac{QG \div GE}{GE} = \frac{x-a}{GE}$; consequenter $GE =$

$\frac{(x-a)\sqrt{pa}}{\sqrt{px}+\sqrt{pa}}$, et $GE+EB=BG=\frac{(x-)\sqrt{pa}}{\sqrt{px}+\sqrt{pa}}$

$+a = \frac{x\sqrt{ap}+a\sqrt{px}}{\sqrt{px}+\sqrt{pa}}$, et quadrando BG^2

$= ax \frac{(px+2p\sqrt{ax}+ap)}{(px+2p\sqrt{ax}+ap)} = ax = QB \times BE.$

Q. E. D.

Porisma II. Fig. 6.

Exponatur Parabola quaevis NAB, cuius Diametri quaelibet sint BEO, sumantur in curva duo quaevis puncta A, et N, a quibus inflectantur ad aliud quodvis curvae punctum, ut D rectae ADN, quae in Diametris puncta E, O, G, Q signent, semper in eadem Diametro abscindentur duae rectae, quae eandem semper servabunt rationem, erit nempe OB ad BE, ita QB ad GB, idque in infinitum.

Demonstratio.

I.

Ex punctis D, A, N, ducantur ad Diametrum BEO ordinatae DT, DI, AL, NM. Per Lemma praecedens

$BE^2 =$

$BE^2 = LB \times BT$; $BO^2 = BM \times BT$; ergo $\frac{BO^2}{BE^2} = \frac{BM}{LB}$.

II.

Pariter $BG^2 = IB \times BL$; $QB^2 = IB \times BM$, ergo $\frac{QB^2}{BG^2} = \frac{BM}{BL}$. Conſequenter per Articulum praecedentem $\frac{BO^2}{BE^2} = \frac{QB^2}{BG^2}$; ideoque $\frac{BO}{BE} = \frac{QB}{BG}$.

Q. E. D.

Porisma III.

Eſto Circulus ABD, cuius Diameter recta AD, centrum C, cui utcunque parallela ducatur NM, Circulo occurrens in punctis N, et M, et ſint data puncta N, et M, inflectatur quaecunque recta NBM, quae ſecet Diametrum in punctis O, et V.

Aio, datam eſſe rationem rectanguli $AO \times DV$ ad rectangulum $AV \times DO$.

Nec difficile eſt Propoſitionem ad Ellipſes, Hyperbolas, et oppoſitas Sectiones extendere.

Demonſtratio I.

I.

Ex puncto B demittatur ad NM normalis BL, quae occurrat in I Diametro AD, ex punctis N, et M, pariter demittantur ad Diametrum normales NF, MP. Sit $AC = a$; $NM = 2c$; $NF = MP = b$; $DI = x$;

 ideoque

ideoque $BI = \sqrt{2ax - x^2}$. Cum sit $DC = a$; $NM = 2c$, patet, quod $DP = a - c$; ideoque IP, consequenter $LM = x + c - a$, et $NL = c + a - x$. Hisce positis, cum sit NM parallela ad AD, erit $BL . LM :: BI . IV$, id est analytice $(b + \sqrt{2ax - x^2}) . (x + c - a) :: \sqrt{2ax - x^2} . IV$; ideoque $IV = \frac{(x + c - a)\sqrt{2ax - x^2}}{b + \sqrt{2ax - x^2}}$, et $DI - IV$; hoc est

$$DV = \frac{bx + (a - c)\sqrt{2ax - x^2}}{b + \sqrt{2ax - x^2}}$$

Similiter erit $BL . LN :: BI . IO$; id est in expressionibus analyticis

$(b + \sqrt{2ax - x^2}) . (c + a - x) :: \sqrt{2ax - x^2} . IO$, et per consequens $IO = \frac{(c + a - x)\sqrt{2ax - x^2}}{b + \sqrt{2ax - x^2}}$;

atque $AI - IO$, id est $AO = 2a - x + \frac{(x - a - c)\sqrt{2ax - x^2}}{b + \sqrt{2ax - x^2}}$

$= \frac{2ab - bx + (a - c)\sqrt{2ax - x^2}}{b + \sqrt{2ax - x^2}}$; ideoque

$$AO \times DV = \frac{b^2(2ax - x^2) + (a^2 - 2ac + cc)(2ax - x^2) + 2ab(a - c)\sqrt{2ax - x^2}}{(b + \sqrt{2ax - x^2})^2}$$

et surrogando $(a^2 - c^2)$ pro b^2, ordinataque aequatione erit

$AO \times DV$

$$AO \times DV = \frac{2a(a-c)\sqrt{2ax-x^2} \times \sqrt{2ax-x^2}+b)}{(b+\sqrt{2ax-x^2})^2}$$

$$= \frac{2a(a-c)\sqrt{2ax-x^2}}{b+\sqrt{2ax-x^2}}.$$

II.

Vidimus ſuperius $IV = (x+c-a)\sqrt{2ax-x^2}$;

$IO = \frac{(c+a-x)\sqrt{2ax-x^2}}{b+\sqrt{2ax-x^2}}$; ergo $IV + IO$

$= OV = \frac{2c\sqrt{2ax-x^2}}{b+\sqrt{2ax-x^2}}$. Vidimus quoque

$DV = \frac{bx+(a-c)\sqrt{2ax-x^2}}{b+\sqrt{2ax-x^2}}$; ergo $DV+VO=$

$= DO = \frac{bx+(a+c)\sqrt{2ax-x^2}}{b+\sqrt{2ax-x^2}}$. Invenimus pariter

$AO = \frac{2ab-bx+(a-c)\sqrt{2ax-x^2}}{b+\sqrt{2ax-x^2}}$, ergo

$AO+OV = AV = \frac{2ab-bx+(a+c)\sqrt{2ax-x^2}}{b+\sqrt{2ax-x^2}}$;

Conſequenter

$$AV \times DO = \frac{b^2(2ax-x^2)+(a^2+2ca+c^2)(2ax-x^2) + 2ab(a+c)\sqrt{2ax-x^2}}{(b+\sqrt{2ax-x^2})^2}$$

et

et substituendo $(a^2 - c^2)$ pro b^2; $AV \times DO =$

$$\frac{2a(a+c)\sqrt{2ax-x^2} \times (\sqrt{2ax-x^2}+b)}{(b+\sqrt{2ax-x^2})^2} =$$

$2a(a+c)\sqrt{2ax-x^2}$, erit ergo per Articulum praecedentem

$$\frac{AO \times DV}{AV \times DO} = \frac{2a(a-c)}{2a(a+c)}. \text{ Q. E. D.}$$

Demonstratio II.

Ducantur cordae BA, BD, AN, ND, AM, MD. Per Triang. similia BOD, AON; $\frac{AO}{NA} = \frac{BO}{BD}$, consequenter (1) $AO = \frac{NA \times BO}{BD}$.

Per Triang. similia AOB, NOD; $\frac{DO}{DN} = \frac{OB}{BA}$; ergo (2) $DO = \frac{OB \times DN}{BA}$, et dividendo aequationem (1) per (2), (3) $\frac{AO}{DO} = \frac{BA \times NA}{BD \times DN}$.

Per Triang. similia BVD, AVM; $\frac{AV}{AM} = \frac{BV}{BD}$; ideoque (4) $AV = \frac{AM \times BV}{BD}$.

Pariter per Triang. similia AVB, DVM; $\frac{VB}{DM} = \frac{BV}{BA}$; ergo (5) $VD = \frac{DM \times BV}{BA}$;

con-

consequenter dividendo aequationem (5) per (4)
$\frac{VD}{AV} = \frac{BD \times DM}{BA \times AM}$. Tandem multiplicando postremam hanc aequationem per aequationem (3), $\frac{AO \times DV}{DO \times AV} = \frac{BA \times NA \times BD \times DM}{BA \times AM \times BD \times DN} = \frac{NA \times DM}{AM \times DN}$

Sed cum sit recta NM parallela Diametro BD, cordae AN, DM, sunt aequales, nec non cordae ND, AM ob angulos AND, AMD rectos, per consequens aequatio praecedens immutabitur in $\frac{AO \times DV}{DO \times AV} = \frac{AN^2}{DN^2}$, et demittendo ad Diametrum perpendicularem NF, in $\frac{AO \times DV}{DO \times AV} = \frac{AF}{DF} = \frac{a-c}{a+c}$. Q. E. D.

Scholium.

I.

Sit Ellipsis $ARDS$, cuius diametri coniugatae sint rectae AD, RS, se decussantes in puncto C. Diametro RS ducta ordinata MN, si fuerint puncta N, et M data, atque ex his inflectatur quaevis recta NBM, quae occurrat Sectioni in B, et diametrum AD secet in punctis O, et V. Dico datam esse rationem rectanguli $AO \times DV$ ad rectangulum $AV \times DO$.

Demonstratio.

I. Sit $AD = 2a$; $RS = 2r$, et quia puncta N, et M sunt data, erunt quoque datae ordinatae NF, MP, ad diame-

trum AD. Ducatur ad Diametrum AS ordinata BI, quae producta fecet NM in L; fitque $NM = 2c$, $PM = b$, $CI = x$, eritque per naturam curvae $BI = \frac{r}{a}\sqrt{a^2 - x^2}$. Hifce pofitis:

Per Parallelas IV, LM, erit $BL.LM :: BI.VI$, atque in terminis analyticis $\frac{ab + r\sqrt{a^2 - x^2}}{a}.(c - x) :: \frac{r}{a}\sqrt{a^2 - x^2}.VI$; ideoque $VI = \frac{r(c-x)\sqrt{a^2 - x^2}}{ab + r\sqrt{a^2 - x^2}}$, et $DI - VI = DV = a - x - \frac{r(c-x)\sqrt{a^2 - x^2}}{ab + r\sqrt{a^2 - x^2}}$

$$= \frac{ab(a-x) - r(c-a)\sqrt{a^2 - x^2}}{ab + r\sqrt{a^2 - x^2}}.$$

II. Similiter erit $BL.LN :: BI.IO$, id eft $\frac{ab + r\sqrt{a^2 - x^2}}{a(c+x)}$

$= \frac{r\sqrt{a^2 - x^2}}{a \times IO}$, ergo $IO = \frac{r(c+x)\sqrt{a^2 - x^2}}{ab + r\sqrt{a^2 - x^2}}$

atque $AI - IO = AO = a - x - \frac{r(c+x)\sqrt{a^2 - x^2}}{ab + r\sqrt{a^2 - x^2}}$

$= \frac{bc(a+x) - r(c-a)\sqrt{a^2 - x^2}}{ab + r\sqrt{a^2 - x^2}}$, ergo per Articulum praecedentem

$AO \times DV$

Digitized by Google

$$AO \times DV = \frac{(a^2b^2 - c^2r^2 + a^2r^2 - 2acr^2) \times (a^2 - x^2) + 2ba^2r(a-c)\sqrt{a^2 - x^2}}{(ab + r\sqrt{a^2 - x^2})^2};$$

Sed per Ellipsis naturam $b^2 = \frac{r^2}{a^2}(a^2 - x^2)$, facta ergo surrogatione, erit

$$AO \times DV = \frac{2ar^2(a-c) \times (x^2-a^2) + 2ba^2r(a-c)\sqrt{a^2-x^2}}{(ab + r\sqrt{a^2-x^2})^2},$$

ordinataque aequatione

$$AO \times DV = \frac{2ar(a-c)\sqrt{a^2-x^2} \times (r\sqrt{a^2-x^2} + ba)}{(ab + r\sqrt{a^2-x^2})^2}$$

$$= \frac{2ar(a-c)\sqrt{a^2-x^2}}{ab + r\sqrt{a^2-x^2}}.$$

III. Ulterius $BL . NM :: BI . OV$; id est $\frac{ab + r\sqrt{a^2-x^2}}{2c} = \frac{r\sqrt{a^2-x^2}}{OV}$; ideoque $OV = \frac{2cr\sqrt{a^2-x^2}}{ab + r\sqrt{a^2-x^2}}$;

Vidimus in superiori Articulo, $AO = \frac{ba(a+x) - r(c-a)\sqrt{a^2-x^2}}{ab + r\sqrt{a^2-x^2}}$; ergo

$$AO + OV = AV = \frac{ba(a+x) + r(c+a)\sqrt{a^2-x^2}}{ab + r\sqrt{a^2-x^2}};$$

 vidimus

vidimus etiam in dicto Articulo $DV = \frac{ba(a-x) - r(c-a)\sqrt{a^2-x^2}}{ab + r\sqrt{a^2-x^2}}$; ergo $DV + VO = DO = \frac{ba(a-x) + r(c+a)\sqrt{a^2-x^2}}{ab + r\sqrt{a^2-x^2}}$, et

$$AV \times DO = \frac{(b^2a^2 + r^2c^2 + a^2r^2 + 2acr^2) \times (a^2-x^2) + 2ba^2r(a+c)\sqrt{a^2-x^2}}{(ab + r\sqrt{a^2-x^2})^2},$$

et loco b^2 substituendo $\frac{r^2}{a^2}(c^2-a^2)$, $AV \times DO =$

$$\frac{2ar(a+c) \times (a^2-x^2) + 2ba^2r(a+c)\sqrt{a^2-x^2}}{(ab + r\sqrt{a^2-x^2})^2};$$

ordinataque aequatione $AV \times DO =$

$$\frac{2ar(a+c)\sqrt{a^2-x^2} \times (r\sqrt{a^2-x^2} + ba)}{(ab + r\sqrt{a^2-x^2})^2} = \frac{2ar(a+c)\sqrt{a^2-x^2}}{ab + r\sqrt{a^2-x^2}};$$

consequenter per Artic. praeced. $\frac{AO \times DV}{AV \times DO} = \frac{2ar(a-c)\sqrt{a^2-x^2}}{2ar(a+c)\sqrt{a^2-x^2}} = \frac{a-c}{a+c}$. Q. E. D.

II.

Sit *MDN* Hyperbola, cuius Diametri coniugatae *AD*, *RS*, et data sit *MN* ordinata ad Diametrum *RS*, si ex punctis *M*, et *N*, inflectantur rectae *MB*, *NB*, quae occurrant

currant sectioni in B, et productae secent Diametrum ADL in punctis O, et V. Aio, datam esse rationem rectanguli $DO \times AV$ ad rectangulum $AO \times DV$ nempe aequalitatis.

I. Sit $AD = 2a$; $RS = 2r$; $CL = c$, et ducta ordinata BI sit $CI = x$; ideoque $LN = \frac{r}{a}\sqrt{c^2 - a^2}$;

$BI = \frac{r}{a}\sqrt{x^2 - a^2}$, atque ex puncto B ducatur BZ parallela ad diametrum AL, et ordinatam MN secet in Z. Hisce factis, erit $BZ = CL - CI = c - x$,

$ZN = LN - BI = \frac{r}{a}(\sqrt{c^2 - a^2} - \sqrt{x^2 - a^2})$;

consequenter, cum per constructionem sit $\frac{ZN}{LN} = \frac{BZ}{OL}$,

erit in analyticis expressionibus $\frac{(\sqrt{c^2 - a^2} - \sqrt{x^2 - a^2})}{\sqrt{c^2 - a^2}}$

$= \frac{c - x}{OL}$; ideoque $OL = \frac{(c - x)\sqrt{c^2 - a^2}}{\sqrt{c^2 - a^2} - \sqrt{x^2 - a^2}}$,

atque $OL - LD = DO = \frac{(c - x)\sqrt{c^2 - a^2}}{\sqrt{c^2 - a^2} - \sqrt{x^2 - a^2}} -$

$(c - a) = \frac{(c - a)\sqrt{x^2 - a^2} - (x - a)\sqrt{c^2 - a^2}}{\sqrt{c^2 - a^2} - \sqrt{x^2 - a^2}}$.

II. Similiter $\frac{MZ}{ML} = \frac{BZ}{LV}$, sive $\frac{(\sqrt{c^2-a^2}+\sqrt{x^2-a^2})}{\sqrt{c^2-a^2}} = \frac{c-x}{LV}$; ideoque $LV = \frac{(c-x)\sqrt{c^2-a^2}}{\sqrt{c^2-a^2}+\sqrt{x^2-a^2}}$, atque

$$AL - LV = AV = a + c - \frac{(c-x)\sqrt{c^2-a^2}}{\sqrt{c^2-a^2}+\sqrt{x^2-a^2}}$$

$$= \frac{(c+a)\sqrt{x^2-a^2} + (a+x)\sqrt{c^2-a^2}}{\sqrt{c^2-a^2}+\sqrt{x^2-a^2}};$$

ideoque per Artic. praeced. $DO \times AV =$

$$\frac{((c-a)\sqrt{x^2-a^2} - (x-a)\sqrt{a^2-c^2}) \times ((c+a)\sqrt{x^2-a^2}+(a+x)\sqrt{c^2-a^2})}{(c^2-a^2)-(x^2-a^2)} =$$

$$\frac{((c+a)\times(a-x)+(c-a)\times(a+x))\sqrt{c^2-a^2}\sqrt{x^2-a^2}}{(c^2-a^2)-(x^2-a^2)}.$$

Id est $DO \times AV = \frac{2a(x-a)\sqrt{c^2-a^2}\sqrt{x^2-a^2}}{c^2-x^2}$.

III. Per ea quae superius demonstrata sunt, $AL - OL = AO = c + a - \frac{(c-x)\sqrt{c^2-a^2}}{\sqrt{c^2-a^2}-\sqrt{x^2-a^2}} =$

$$\frac{(a+x)\sqrt{c^2-a^2}-(c+a)\sqrt{x^2-a^2}}{\sqrt{c^2-a^2}-\sqrt{x^2-a^2}};$$ $DL -$

$$LV = DV = c - a - \frac{(c-x)\sqrt{c^2-a^2}}{\sqrt{c^2-a^2}-\sqrt{x^2-a^2}} =$$

$(x-a)$

$\frac{(x-a)\sqrt{c^2-a^2}+(c-a)\sqrt{x^2-a^2}}{\sqrt{c^2-a^2}-\sqrt{x^2-a^2}}$; ergo $AO \times DV =$

$$\frac{((a+x)\sqrt{c^2-a^2}-(c-a)\sqrt{x^2-a^2}) \times ((x-a)\sqrt{c^2-a^2}+(c-a)\sqrt{x^2-a^2})}{(c^2-a^2)-(x^2-a^2)}$$

$$= \frac{((c+a) \times (a-x)+(c-a) \times (a+x))\sqrt{c^2-a^2}\sqrt{x^2-a^2}}{(c^2-a^2)-(x^2-a^2)}$$

$= \frac{2a(c-a)\sqrt{c^2-a^2}\sqrt{x^2-a^2}}{c^2-x^2}$. Ergo per Articulum praecedentem $DO \times AV = AO \times DV$. Q. E. D.

III.

Sint Curvae BDM, bAN, Hyperbolae oppositae, quarum Diametri coniugatae sint rectae AD, RS, et centrum C, dataque ad Diametrum AD ordinata MN, si a punctis M, et N, inflectatur recta NBM quae Sectioni occurrat in B, Diametrumque AD secet in punctis O, et V. Dico, datam esse rationem rectanguli $DO \times OV$ ad rectangulum $AO \times DV$.

I. Ex puncto D demittatur ad Diametrum AD semiordinata BI, quae producta secet MN in L. Sit $CD = a$; $CR = r$; $NM = 2c$; $IL = b$; $CI = x$, eritque $ML = x - c$; $NL = c + x$; $BI = \frac{r}{a}\sqrt{x^2-a^2}$.

Hisce

Hisce peractis per Parallelas ML, VI, erit $\frac{BL}{ML} = \frac{BI}{VI}$,

et in expressionibus analyticis $\frac{(ab + r\sqrt{x^2 - a^2})}{x - c} = \frac{r\sqrt{x^2 - a^2}}{VI}$; ideoque $VI = \frac{r(x - c)\sqrt{x^2 - a^2}}{ab + r\sqrt{x^2 - a^2}}$,

et $DI - VI = DV = x - a - \frac{r(x - c)\sqrt{x^2 - a^2}}{ab + r\sqrt{x^2 - a^2}} =$

$$\frac{ab(x - a) + r(c - a)\sqrt{x^2 - a^2}}{ba + r\sqrt{x^2 - a^2}}$$

Similiter $\frac{BL}{NL} = \frac{BI}{IO}$, sive $\frac{ab + r\sqrt{x^2 - a^2}}{x + c} = \frac{r\sqrt{x^2 - a^2}}{IO}$, ergo $IO = \frac{r(x + c)\sqrt{x^2 - a^2}}{ab + r\sqrt{x^2 - a^2}}$, et

$AI - IO = AO = x + a - \frac{r(x + c)\sqrt{x^2 - a^2}}{ab + r\sqrt{x^2 - a^2}} =$

$\frac{ab(x + a) - r(c - a)\sqrt{x^2 - a^2}}{ab + r\sqrt{x^2 - a^2}}$, ergo $AO \times DV =$

$$\frac{(a^2b^2 - r^2a^2 - r^2c^2 + 2acb^2) \times (x^2 - a^2) + 2bra^2(c - a)\sqrt{x^2 - a^2}}{(ab + r\sqrt{x^2 - a^2})^2},$$

Sed per naturam curvae $b^2 = \frac{r^2}{a^2}(c^2 - a^2)$: Facta igitur surrogatione in praecedenti aequatione, erit

$AO \times DV$

$$AO \times DV = \frac{(2acr^2 - 2a^2r^2)\times(x^2-a^2) + 2bra^2(c-a)\sqrt{x^2-a^2}}{(ab+r\sqrt{x^2-a^2})^2},$$

diſpoſitaque aequatione

$$AO\times DV = \frac{2ar(c-a)\sqrt{x^2-a^2}\times(r\sqrt{x^2-a^2}+ba)}{(ab+r\sqrt{x^2-a^2})^2} = \frac{2ar(c-a)\sqrt{x^2-a^2}}{ab+r\sqrt{x^2-a^2}}$$

II. Per ea quae iam demonſtravimus $IO - IV = OV = \frac{2cr\sqrt{x^2-a^2}}{ab+r\sqrt{x^2-a^2}}$, ergo $AO + AV$, ſive $AV = \frac{ab(x+a)+r(a+c)\sqrt{x^2-a^2}}{ab+r\sqrt{x^2-a^2}}$; $OV - DV = DO = \frac{-ab(x-a)+r(a+c)\sqrt{x^2-a^2}}{ab+r\sqrt{x^2-a^2}}$, et $DO\times AV =$

$$\frac{(-a^2b^2+a^2r^2+r^2c^2+2r^2ac)\times(x^2-a^2)+2a^2br(a+c)\sqrt{x^2-a^2}}{(ab+r\sqrt{x^2-a^2})^2},$$

et quia $b^2 = \frac{r^2}{a^2}(c^2-a^2)$, facta in praecedenti aequatione ſubſtitutione, erit $DO\times AV =$

$$\frac{(2acr^2+2a^2r^2)\times(x^2-a^2)+2a^2br(a+c)\sqrt{x^2-a^2}}{(ab+r\sqrt{x^2-a^2})^2},$$

diſpoſitaque aequatione $DO \times AV =$

$$\frac{2ar(c+a)\sqrt{x^2-a^2}\,(ab+r\sqrt{x^2-a^2})^2}{ab+r\sqrt{x^2-a^2}} =$$

$\frac{2ar(c+a)\sqrt{x^2-a^2}}{ab+r\sqrt{x^2-a^2}}$; consequenter per Artic. praeced.

$$\frac{AO \times DV}{DO \times AV} = \frac{c-a}{c+a}.$$ Q. E. D.

Porisma IV.

Esto Semicirculus GAH, cuius Centrum c, et Diameter GB data, cui sit normalis radius AC. Sumantur in diametro producta puncta B, et F, sintque rectae GB, AF aequales, et datae. Fiat $CG \,.\, GB :: SC \,.\, SG$, et rectae SC fiat aequalis recta CR. Iungantur puncta A, et B, et ad punctum B elevetur normalis BD, rectae AB aequalis, eidemque fiat EF parallela, et aequalis, si inflectatur ad Circulum quaevis recta a punctis D, et E, quae occurrat Circulo in I, et diametrum secet in punctis M, et N. Aio, summam duorum quadratorum LM, LN, aequari semper eidem spatio dato. Iisdem positis in secundo casu iungatur recta AS, cui aequalis ponatur Sp ad diametrum perpendicularis, eidemque aequalis, et parallela fiat Rq, si a duobus punctis p, et q inflectatur quaelibet ad circumferentiam recta, ut piq secans diametrum in punctis m, et n: Quadratorum Bn, Fm aggregatum aequabitur semper alteri spatio dato.

Demon-

Digitized by Google

Demonstratio Primae Partis.

I.

Iungantur puncta D, et E, cum per Hypothesin sit BD aequalis, et parallela EF patet, quod DE, sit parallela et aequalis BE. A puncto I demittatur ad rectam DE normalis IO, quae diametrum secet in L.

Sit radius $CA = a$; $BG = HF = b$, $HL = x$. Ergo per Hypothesin $LO = BD = BA = \sqrt{2a^2 + 2ba + b^2}$.

Similiter per Hypothesin $\frac{CG}{BG} = \frac{CS}{SG}$, ergo $\frac{CG}{CG+BG} = \frac{CS}{CS+SG}$, atque in terminis analyticis $\frac{a}{a+b} = \frac{SC}{a}$, et $SC = CR = \frac{a^2}{a+b}$, et $SC + CH = SH = \frac{2a^2 + ba}{a+b}$, ideoque $SH - LH = SL = \frac{2a^2 + ba - (a+b)x}{a+b}$:

Per circuli naturam $IL = \sqrt{GL \times LH} = \sqrt{2ax - x^2}$; ergo $IL + LO$, sive $IO = \sqrt{2ax + x^2} + \sqrt{2a^2 + 2ba + b^2}$. Consequenter, cum sit $\frac{IO}{OE} = \frac{IL}{LN}$, erit $LN = \frac{OE \times EL}{IO}$,

atque in caracteribus analyticis $LN = \frac{(b+x)\sqrt{2ax-x^2}}{\sqrt{2ax-x^2}+\sqrt{2a^2+2ba+b^2}}$; ideoque $SL + LN$,

id est

$$SN = \frac{(2a^2+ab-(a+b)x)\times(\sqrt{2a^2-x^2}+\sqrt{2a^2+2ba+b^2}) + (a+b)\times(b+x)\sqrt{2ax-x^2}}{(a+b)\times(\sqrt{2ax-x^2}+\sqrt{2a^2+2ba+b^2})}$$

$$= \frac{(2a^2+2ba+b^2)\sqrt{2ax-x^2}+(2a^2+ab-(a+b)x)\sqrt{2a^2+2ba+b^2}}{(a+b)\times(\sqrt{2ax-x^2}+\sqrt{2a^2+2ba+b^2})}$$

$$= \frac{\sqrt{2a^2+2ba+b^2}}{(a+b)}\times\frac{(\sqrt{2ax-x^2}\sqrt{2a^2+2ba+b^2}+2a^2+ab-(a+b)x)}{\sqrt{2ax-x^2}+\sqrt{2a^2+2ba+b^2}},$$

et quadrando

$$(1)\quad SN^2 = \frac{(2a^2+2ba+b^2)}{(a+b)^2}\times\frac{-a^2x^2+2a^2bx+a^2(2a+b)^2+2(2a^2+ab-(a+b)x)\sqrt{2ax-x^2}+\sqrt{2a^2+2ba+b^2}}{(\sqrt{2ax-x^2}+\sqrt{2a^2+2ba+b^2})^2}$$

II.

Ulterius $DO = 2a + b - x$, et cum sit $\frac{IO}{DO} = \frac{IL}{LM}$, erit $LM = \frac{DO \times IL}{IO} =$

(2a+b

$\frac{(2a+b-x) \times \sqrt{2ax-x^2}}{\sqrt{2ax-x^2}+\sqrt{2a^2+2ba+b^2}}$. Ex praemissis

$CR = \frac{a^2}{a+b}$; $CL = a - x$, ergo $CR - CL =$

$LR = \frac{-ba+(a+b)x}{(a+b)}$, atque $LM + LR$, sive

$$RM = \left\{ \frac{(-ba+(a+b)x \times (\sqrt{2ax-x^2}+\sqrt{2a^2+2ba+b^2}+(2a^2+3ab+b^2)\sqrt{2ax-x^2} - (a+b)x\sqrt{2ax-x^2}}{(a+b)\times(\sqrt{2ax-x^2}+\sqrt{2a^2+2ba+b^2})} \right.$$

$$= \frac{(2a^2+2ba+b^2)\sqrt{2ax-x^2}+((a+b)x-ba)\sqrt{2a^2+2ba+b^2}}{(a+b)\times(\sqrt{2ax-x^2}+\sqrt{2a^2+2ba+b^2})}$$

$$= \frac{\sqrt{2a^2+2ba+b^2}}{(a+b)} \times \frac{(\sqrt{2ax-x^2}\sqrt{2a^2+2ba+b^2}+(a+b)x-ba)}{\sqrt{2ax-x^2}+\sqrt{2a^2+2ba+b^2}},$$

et quadrando

$$(2)\quad RM^2 = (2a^2+2ba+b^2) \times \frac{(4a^3x+2ba^2x-a^2x^2+b^2a^2+2((a+b)x-bx)\sqrt{2ax-x^2}\sqrt{2a2+2ba+b^2})}{(\sqrt{2ax-x^2}+\sqrt{2a^2+2ba+b^2})^2}$$

et coniungendo aequationes (1) et (2)

 $SN^2 +$

$$SN^2 + RM^2 = \frac{(2a^2 + 2ba + b^2)}{(a+b)^2} \times \frac{\left\{ 4a^3x - 2a^2x^2 + 4a^4b + 4a^3b + 2a^2b^2 + 4a^2\sqrt{2ax-x^2}\sqrt{2a^2+2ba+b^2} \right.}{(\sqrt{2ax-x^2} + \sqrt{2a^2+2ba+b^2})^2}$$

$$= \frac{2a^2(2a^2 + 2ba + b^2)}{(a+b)^2} \times \frac{\left\{ (2ax-x^2) + (2a^2+2ba+b^2) + 2\sqrt{2ax-x^2}\sqrt{2a^2+2ba+b^2} \right.}{(\sqrt{2ax-x^2} + \sqrt{2a^2+2ba+b^2})^2}$$

$$= \frac{2a^2}{(a+b)^2}(2a^2 + 2ba + b^2) = \frac{2\,CA^2 \times AB^2.}{CB^2}$$

Q. E. D.

Demonstratio secundae Partis.

I. Iungantur puncta p, et q, eritque pq per constructionem parallela, et aequalis rectae SR. Ex puncto i demittatur ad rectam pq protractam, si opus fuerit, normalis io, quae secet in l Diametrum GH; salvis primae Partis denominationibus fiat $Hl = y$. Per Hypothesin, ut iam vidimus, $CR = \frac{a^2}{a+b}$; ideoque $HR = CH - CR = \frac{ba}{b+a}$, et $HR = Hl$, sive $Rl = qo = \frac{ba - (a+b)y}{a+b}$, per Hypothesin etiam $ps = lo =$

$AS =$

$AS = \frac{a\sqrt{2a^2 + 2ba + b^2}}{b + a}$; per Circuli naturam

$il = \sqrt{2ay - y^2}$, ergo $il + la$, = sive $io = \frac{(a+b)\sqrt{2ay - y^2} + a\sqrt{2a^2 + 2ba + b^2}}{a + b}$; et

cum sit $\frac{io}{il} = \frac{qo}{ln}$, erit $\frac{qo \times il}{io} = ln$, et in expressionibus analyticis $ln = \frac{(ba - (a+b)y)\sqrt{2ay - y^2}}{(a+b)\sqrt{2ay-y^2} + a\sqrt{2a^2+2ba+b^2}}$

Verum $Bl = 2a + b - y$, ergo $Bl - ln$, sive

$$Bn = \frac{(2a+b-y) \times ((a+b))\sqrt{2ay-y^2} - (ba - (a+b)y)\sqrt{2ay-y^2} + (2a^2+ba-ay)\sqrt{2a^2+2ba+b^2}}{(a+b)\sqrt{2ay-y^2} + a\sqrt{2a^2+2ba+b^2}}$$

$$= \frac{(2a^2 + 2ba + b^2)\sqrt{2ay - y^2} + a(2a + b - y)\sqrt{2a^2 + 2ba + b^2}}{(a+b)\sqrt{2ay-y^2} + a\sqrt{2a^2+2ba+b^2}}$$

$$= \frac{\sqrt{2a^2+2ba+b^2} \times (\sqrt{2ay-y^2}\sqrt{2a^2+2ba+b^2} + 2a^2 + ba - ay)}{(a+b)\sqrt{2ay-y^2} + a\sqrt{2a^2+2ba+b^2}}$$

et quadrando, riteque calculando,

$$(3) \quad Bn^2 = (2a^2 + 2ba + b^2) \times \frac{\left\{ \begin{array}{l} -a^2y^2 - 2bay^2 - b^2y^2 + 2a^2by + 2ab^2y + 4a^4 + 4a^3b + a^2b^2 \\ + 2a(2a+b-y)\sqrt{2ay-y^2}\sqrt{2a^2+2ba+b^2} \end{array} \right.}{((a+b)\sqrt{2ay-y^2} + a\sqrt{2a^2+2ba+b^2})^2}$$

II. Per

II. Per Hypothesin $pq = SR = \frac{2a^2}{a+b}$, vidimus $qo = \frac{ba - (a+b)y}{a+b}$; ideoque $pq + qo = po = \frac{2a + ba - (a+b)y}{a+b}$, et quia $\frac{io}{il} = \frac{po}{ml}$, erit $\frac{po \times il}{io} = ml$, atque analytice $ml = \frac{(2a + ba - (a+b)y)\sqrt{2ay - y^2}}{(a+b)\sqrt{2ay-y^2} + a\sqrt{2a^2 + 2ba + b^2}}$;

$Fl = b + y$, ergo $Fl + ml$, sive $Fm = \frac{(2a^2+2ba+b^2)\sqrt{2ay-y^2} + a(b+y)\sqrt{2a^2+2ba+b^2}}{(a+b)\sqrt{2ay-y^2} + \sqrt{2a^2+2ba+b^2}}$

et quadrando $Fm^2 = (2a^2 + 2ba + b^2)$

$$\frac{\left\{\begin{matrix} -a^2y^2 + 4a^3y + 2a(b+y)\sqrt{2ay-y^2}\sqrt{2a^2+2ba+b^2} + b^2a^2 \\ -2aby^2 + 6a^2by \\ -b^2y^2 + 2ab^2y \end{matrix}\right.}{((a+b)\sqrt{2ay-y^2} + a\sqrt{2a^2+2ba+b^2})^2}$$

quae aequatio si iungatur aequationi (3), sequens proveniet $Bn^2 + Fm^2 = 2(2a^2 + 2ba + b^2)$

$$\frac{\left\{\begin{matrix} (a+b)^2 \times \sqrt{2ay-y^2} + 2a(a+b)\sqrt{2ay-y^2}\sqrt{2a^2+2ba+b^2} \\ +2a^4 + 2a^3b + b^2a^2 \end{matrix}\right.}{((a+b)\sqrt{2ay-y^2} + a\sqrt{2a^2+2ba+b^2})^2}$$

Id est, $Bn^2 + Fm^2 = 2(2a^2 + 2ba + b^2) = 2BA^2$. Q. E. sec. D.

Porisma

Digitized by Google

Porisma V.

Salvis, quae supposita sunt in Demonstratione Primae Partis Porismatis praecedentis, dico locum habere hanc proportionalitatem

$MI^2 + IN^2$ ad Triang. MIN ut AB ad $\frac{CB}{4}$.

Demonstratio

Quia $DO = 2a + b - x$; erit $DO^2 = 4a^2 + 4ba - 4ax - 2bx + b^2 + x^2$; et cum sit $IO = \sqrt{2ax - x^2} + \sqrt{2a^2 + 2ba + b^2}$, proindeque $DO^2 + IO$, sive

$$DI^2 = 6a^2 + 6ba + 2b^2 - 2ax - 2bx + 2\sqrt{2ax - x^2}\sqrt{2a^2 + 2ba + b^2}$$

Similiter quia $OE^2 = (b + x)^2$, erit $OE^2 + IO^2$, sive

$$IE^2 = 2a^2 + 2ba + 2b^2 + 2ax + 2bx + 2\sqrt{2ax - x^2}\sqrt{2a^2 + 2ba + b^2}$$

Ob parallelas GH, DE; $IM^2 = \frac{ID^2 \times IL^2}{IO^2}$; $IN^2 = \frac{IE^2 \times IL}{IO^2}$, ideoque in secundis membris praecedentium aequationum, substituendo valoribus linearibus analyticos, habebitur

$$IM^2 = \frac{(2ax - x^2) \times (6a^2 + 6ba + 2b^2 - 2ax - 2bx + 2\sqrt{2ax - x^2}\sqrt{2a^2 + 2ba + b^2})}{(\sqrt{2ax - x^2} + \sqrt{2a^2 + 2ba + b^2})^2}$$

 $IN =$

$$IN = \frac{(2ax - x^2) \times (2a^2 + 2ba + 2b^2 + 2ax + 2bx + 2\sqrt{2ax - x^2}\sqrt{2a^2 + 2ba + b^2})}{(\sqrt{2ax - x^2} + \sqrt{2a^2 + 2ba + b^2})^2}$$

Consequenter

$$(1)\quad IM^2 + IN^2 = \frac{(2ax - x^2) \times (8a^2 + 8ba + 4b^2 + 4\sqrt{2ax - x^2}\sqrt{2a^2 + 2ba + b^2})}{(\sqrt{2ax - x^2} + \sqrt{2a^2 + 2ba + b^2})^2}$$

Tandem $\frac{IL \times DE}{IO} = MN = \frac{2\,(a+b)\sqrt{2ax - x^2}}{\sqrt{2ax - x^2} + \sqrt{2a^2 + 2ba + b^2}}$,

ergo

Triang. $MIN = \frac{(a+b) \times (2ax - x^2)}{\sqrt{2ax - x^2} + \sqrt{2a^2 + 2ba + b^2}}$,

et dividendo aequationem primam per praecedentem,

$$\frac{IM^2 + IN^2}{\text{Triang. } MIN} = \frac{4(2a^2 + 2ba + b^2) + 4\sqrt{2ax - x^2}\sqrt{2a^2 + 2ba + b^2}}{(a+b) \times (\sqrt{2ax - x^2} + \sqrt{2a^2 + 2ba + b^2})}$$

$$= \frac{4\sqrt{2a^2 + 2ba + b^2}}{(a+b)} \times \frac{(\sqrt{2a^2 - x^2} + \sqrt{2a^2 + 2ba + b^2})}{(\sqrt{2a^2 - x^2} + \sqrt{2a^2 + 2ba + b^2})};$$

ergo

$IM^2 + IN^2$ ad Triang. MIN ut $\sqrt{2a^2 + 2ab + b^2}$ ad $\frac{(a+b)}{4}$;

Idest

$IM^2 + IN^2$ ad Triang. MIN, ut AB ad $\frac{CB.}{4}$ Q. E. D.

ERRA-

ERRATUM.

Cum in meo Schediaſmate de Arcuum Sectionum Conicarum, aliarumque Curvarum inter ſe comparatione, in hiſce Actis Eruditorum ad Annum 1770. impreſſo, error irrepſerit Pag. 435. ſic eundem corriget B. L.

Poſt lineam decimam has ponat aequationes

$$(1)\ fhx^{2n}z^{2n} + fl\,(x^{2n} + z^{2n}) + gl = 0$$

$$(2)\ fhx^{2n}z^{2n} + gh\,(x^{2n} + z^{2n}) + gl = 0.$$

ANIMADVERSIONES HISTORICAE ET PHILOLOGICO - Criticae ad Philonis Legationem ad Caium.

Auctore

M. IO. CHRIST. GOTTLEBER,
illuſtris Afranei Rectore.

Qui in hiſtoria veteri et antiquitate, paullo accuratius cognoſcenda, recte verſari volunt, non modo plurimum operae, cogitationis, et temporis, in legendis iis ſcriptoribus, qui ex inſtituto eam explicarunt, ponere debent; ſed et alios ſibi in conſilium adhibere, qui, quod a ſuo propoſito non eſſe alienum putarent, vel aliquam hiſtoriae partem attigerunt, vel orationem, rebus, e litteris reconditis et interioribus petitis, tanquam gemmis diſtinxerunt, et ita iis, velut in tranſitu, aliquantum lucis adfuderunt. Ad hoc genus ſcriptorum quoque referendum eſſe Philonem, Judaeum, elegantiae Graecorum ſtudioſiſſimum, antiquitatisque, cum Judaicae, tum Graecae Romanaeque, peritiſſimum; ſatis ii norunt, qui idonea graecae linguae ſcientia inſtructi, ſe ad eius lectionem contulerunt, et quaſi familiaritatem cum eo cotraxerunt. Quem cum ob conſuetudinem,

nem, quam, diligenti lectione, cum Platone iniit, et amarem, et ob rerum gravitatem, scribendi elegantiam, et ornatum, magni aestimarem: a disciplinae meae institutis non abhorrere existimavi si in gratiam humanitatis studiosorum, inprimis graecas litteras amantium, quosdam Philonianae lectionis fructus expromerem, atque, speciminibus aliquot scribendis, eos docerem, quam latissime pateret eruditionis campus, et quosnam flores ii, qui illius spatium emetiri conarentur, decerpere possent. Cogitanti itaque mihi, quemnam Philonis libellum mihi potissimum explicandum sumerem; nullus magis idoneus visus est, quam is, quem de virtutibus, sive de legatione ad Caium, inscripsit. Tanta enim est in eo rerum varietas, quae ad illustrandam inprimis vitam atque imperium Caii, nec non Augusti, Tiberiique mores, atque quaedam instituta melius intelligenda, faciunt; nihil dicam de antiquitatibus Judaeorum, Graecorum, Romanorumque, inde perspiciendis: ut, si quid de libri argumento, qua lucem historiae foenerat, de fide Philonis in rebus tradendis, de scribendi genere, et eius studiis, quatenus vim in rerum tractandarum rationem habeant, disputarem, et omnino meum iudicium de ipso libello ostenderem, rem non inutilem, ac forte non iniucundam, me facturum putarim. Constitui praeterea, si, rebus paullo gravioribus explicatis, harum rerum existimatoribus non insuavem rem suscepisse visus fuero, loca difficilia, adhibita crisi, illustrare aut male a Mangeo correcta, postliminio quasi, in integrum restituere.

Philo quidem libello ipsi, quem de virtutibus inscripsit, ut tanquam εἴρων, res gestas Caii laudasse videretur *, quae tamen flagitiis et sceleribus nefariis, quae profligatissimus homo

*) Euseb. H. E. l. II. 18. οὗτος μὲν οὖν κατὰ Γάϊον, ἐπὶ τῆς Ῥώμης, ἀφικόμενος, τὰ περὶ τῆς Γαΐου θεοστυγίας αὐτῷ γραφέντα, ἃ μετὰ ἤθους καὶ εἰρωνείας ἐπέγραψε περὶ ἀρετῶν.

Digitized by Google

homo unquam concipere potuit, continentur, a legatione quoque, quam auctoritate Iudaeorum, Alexandriae versantium, suscepit nomen indidit. Res autem, quam Iudaei Philoni apud Caesarem perficiendam detulerunt, habuit initium eiusmodi. Quum Caius eo vesaniae progressus esset, ut se *, non modo Romae, sed et in provinciis, populo Romano subiectis, Deum haberi colique vellet, Iudaeos, religionis atque institutorum priscorum tenacissimos, Alexandriae, hac in re habuit adversarios, qui, quod in Proseuchis, aedibus sacris precibus faciendis destinatis, simulacrum Caii adorare renuissent, auctore Flacco Avillio **, Aegypti tunc temporis praeside, eiusque successore ***, cuius nomen ignoratur, valde sunt vexati et trucidati. Aliis enim male mulcatis, et ad incitas redactis non licuit, fuga salutem quaerere: alii intercepti, aut enecti combustique aut atrocissimo supplicio affecti sunt: praetermittam eos, qui vivi, loris laqueisve circa talos adstricti, per medium forum raptati, atque conculcati sunt, adeo ut, quod eorum membra dissecta aut sparsa iacerent, ne reliquiae quidem ullae sepeliri potuerint. Quam immanitatem, quae non deprehenditur in belluis, tantum abest ut Flaccus, aut eius successor, coercuerint, ut potius hanc turbae Alexandrinae impotentiam, odio erga Iudaicum nomen incensi, foverint atque aluerint. Scholae enim, prudentiae, virtutis, iustitiae, sanctitatisque, verbo, divinae humanaeque sapientiae officinae, (προσευχαὶ aut προσευκτήρια vocantur passim a Philone, v. c. Or. adv. Flacc. p 982 972 Leg. ad Cai 1011. de Mose l III. 685. et in N. T. Act. XVI, 13. 16. ubi vocantur quoque συναγωγαί,)

Sss 3 partem

* v. Philo leg. p. 1003. Ioseph. XVIII. 8 Tac. Hist V. 9. Annot. XII, 55. Suet. Cai. XXII. Dio l. LXVIIII 759.

** Orat. in Flacc 972.

*** legat. p. 110. cf. Mangeum.

partim incensae, partim dirutae sunt: quae vero a foedis hostium manibus illibatae atque intemeratae manserunt, profanatae, imaginibus Caii in illas illatis: in earum autem maxima celeberrimaque, simulacrum aeneum, quadrigis sublime, collocatum est. Iudaei interim hoc ludibrio, *quod* hominibus, a religione vera remotis debebant, deiecti, eo magis calamitatum gravissimarum procellas timebant, quo patentiores aures Caii erant Iudaeorum calumniatoribus. In his fuit *Helicon*, nescio quis, qui callidus atque versipellis scurra, temporibus scite inserviebat, quibus posset Iudaeos reddere invisos. Religionem itaque sanctam, superstitionem pravam et immodicam, gentemque ipsam ad res novas moliendas proclivem cavillabatur, et aliis artibus, peritia morum Caii, odia in longum iaciebat, quae recondidit, et aucta promsit. Etsi Iudaei animum hominis illiberalem donis capere, ejusque iram placare tentabant: irritus tamen omnis conatus visus est, ut, desperata fere caussa sua, animum inducerent, libellum supplicem offerre Caio, breviorem *illo*, quem iam paullo ante, per Agrippam regem, Herodis illius magni nepotem, tradendum curaverant Caio. Quo ex loco (p. 1018. Fr. et 520. Mang.) intelligi potest, quo anno imperii Caii, Philo, cum quatuor aliis *, aut, ut Iosepho placet, (XVIII. 9.) cum duobus, missus fuerit Romam ad Impera-

* Mangeus (p. 600.) vulgatam Philonis lectionem: *ἐν ἡμῖν δὲ πέντε πρεσβευταῖς*, vult corrigi, et ex Codd. Vat. et Coll. nov. *πάντως* legi, ut Josephi auctoritatem tueatur, qui tres legatos ad Caium missos scripsit. Sed valde dubito, an fides Josephi tanta sit h. l., ut Philo inde, qui optime hanc rem cognoverit necesse est, inde emendari debeat. Josephum quaedam, ad illorum temporum historiam pertinentia, male tradere, et in alia omnia ire, deinceps notabimus. Veritas lectionis vulgatae, apud Philonem, e contextis apparet. Ille enim

Digitized by Google

Imperatorem, et quo tempore prior ſupplex libellus traditus fuerit Agrippae, regi. Forte tum, quum hoc facerent Judaei, Agrippa fuit Alexandriae, qui auctore et ſuaſore Caio, per hanc urbem et Syriam, in regnum profecturus erat. Sed ibi non tam honorifice exceptus eſt Judaeus, ut Alexandrini eum pro dignitate, ad quam evectus fuerat a Caio, et reverentia amico Caeſaris debita, proſequi debuiſſent. Inviſus itaque plebi Alexandrinae, (adv. Flacc. p. 969.) turbae inconditae atque invidioſae, quae aliorum felicitatem calamitatem ſuam interpretabatur, omne genus ludibrii expertus eſt. Nec Flaccus Avillius, urbi praefectus, tantam vulgi effrenatam audaciam cohibuit. Mutaverat plane, poſt mortem Tiberii, priſtinos mores. Antea enim vir conſilii plenus et prudens, negotiorum inſtitutorumque Aegyptiacorum brevi tam peritiſſimus repertus eſt, ut commodius diceretur res geſſiſſe, quam hi poterant, qui in rebus adminiſtrandis conſenuerant (v. lib. adv. Flacc. 965.) Admoto vero Caio imperii gubernaculis, paullo remiſſior et negligentior in negotiis obeundis eſt factus, ſive quod perpetuo dolore et deſiderio Tiberii teneretur; ſive quod Caio, ob ſaevam et probroſam naturam, male vellet; ſive quod eſſet ex eorum numero, qui Agrippinam, Caii matrem, inſidiis circumveniſſent. Intelligi poteſt, opinor, ex his, cur Flaccus, amicus Tiberii, et inimicus Caii, Agrippae fuerit infenſus, et ita toti Judaeorum nationi, quae pietatem et laetitiam

enim ſic diſputat: Nonne magni diſcriminis res ſit, ſalutem omnium Iudaeorum poſitam fuiſſe in quinque legatis? Manifeſto comparat paucos homines, quibus res graviſſima commiſſa erat, cum infinitae multitudinis hominibus, periculo ſummo obnoxiis, quibus quinque homines non ſatisfacere poſſint. Τὸ πάντως quoque nec locum, nec vim huic loco accommodatam, habere videtur.

titiam publicam, ſub auſpiciis imperii Caii, ſatis declaraverat; quam vero, ut adverſus hanc gentem eo maiori odio flagraret Caius, nunquam, etſi ſaepius rogatus, litteris Caeſari ſignificaverat. Quae mala omnia, quibus adflicti ſunt Judaei a Flacco, anno imperii ſexto, cum quo miſſus fuerat a Tiberio in Aegyptum, qui fuit Caii ſecundus, acciderunt. Acceperat enim hanc provinciam adminiſtrandam, ſex annos, eique, quinque annos, vivo Tiberio, bene, poſtea autem, ſub Caio, male praefuerat; quo anno, Agrippa, rex, ſuperbiam Flacci ſenſit, popularesque ſuos indigne tractatos vidit, ut ex his, quae e Philonis libello adverſus Flaccum, (p. 966. 987.) diſputavi, patet. Judaei itaque, hoc tempore, tradiderint neceſſe eſt libellum ſupplicem Agrippae, cum eſſet Alexandriae, qui fuit, ut ait Philo l. c. longior altero, qui offerri Caio debuit, anno imperii quarto, haud dubie a legatis ipſis. (v. legat ad Cai. 1018.) Quae cum ita ſint, Mangeus certe aliud egit, cum notaret ad loc. cit. (p. 572.) ἣ δὲ σχεδὸν τοῦτο ἐπιτομή τις ἱκετείας μακροτέρας, ἣν ἐπεπόμφειμεν πρὸ ὀλίγου δι' Ἀγρίππα, τοῦ βασιλέως — „anno „vult iſtam profectionem Agrippae, ſecundo Caii anno fa„ctam, quam memorat Philo adverſus Flaccum, et Joſe„phus? (A. I. l. XVIII. 7.) Sed πρὸ ὀλίγου haud proprio „uſurpatur de geſtis ante biennium. Dicendum igitur in „hiſtoriae ſilentio, bis in Syriam profectum fuiſſe Agrip„pam; primo, quando Trachonitidis Tetrarchiam a Caio „accepit; ſecundo, quando Galilaeam, expulſo inde patruo „Herode; id quod contigit anno Caii quarto, Imperatore „tum in Galliis degente. De ſecunda profectione hic agi„tur. Scilicet Philo, cum ſociis, Agrippae, per Romam, „Syriam verſus iter agenti, cauſſae ſuae commentarios ob„tulerat, quos rex ad Caium transmittendos curavit." Haec ille. Sed quid opus eſt contorta hac ac parum accurata huius loci interpretatione, quae fide hiſtorica deſtituitur? Si verba: πρὸ ὀλίγου, ut fert uſus loquendi, recte intelligantur, non fingenda eſt duplex profectio Agrippae, per

Syriam

Syriam facta. Πρὸ ὀλίγου enim apud Graecos, non tempus aliquod denotat quod proxime praecessit, sed aliquot annos complecti potest. Sic Graeci et Latini interdum particulis utuntur, veluti: νεωστὶ, πρώην, ἐχθὲς, nuper, quae non capi debent sensu vulgari, ut unum vel paucos dies significent, sed satis longum tempus. Apud Platonem quidem, in Gorgia, [p. 311. Bas. 2.] τὰ χθὲς καὶ πρώην γεγονότα comprehendunt sedecim vel septendecim annos. Paullo post enim, [p. 324.] Periclem Plato dicit νεωστὶ mortuum, antequam Archelaus, rex Macedoniae, regnum capesseret: quae Periclis mors ante sedecim annos evenerat. Athenaeus, ut hoc obiter moneam, Platonem quoque, propter τὸ νεωστὶ, erroris adversus temporum rationem convincebat; [L. V. pag. 110.] sed castigatus est a magno Casaubono, ad l. c. Athenaei. Ita apud Homerum [Il. β. 303.] χθιζὰ καὶ πρωϊζὰ γεγενημένα, tempus novem annorum complectuntur: quem locum Plato in Gorgia l. c. ante oculos habuisse videtur: Eustathius p. 225. ed Rom. τὸ δὲ χθιζά τε καὶ πρωϊζά, ἀντὶ τοῦ χθὲς καὶ πρωΐ, καὶ, ὡς εἰπεῖν, ἐναγχος, συντέμνει δὲ — τοὺς τοσούτους χρόνους εἰς βραχὺ κομιδῇ. Et Scholiastes minor: κατεσμίκρυνε τὸν ἐνναετῆ χρόνον. Ex quibus locis satis superque elucet, πρὸ ὀλίγου, etiam tempus duorum annorum significare posse. Similia monuit adversus Mangeum, eruditissimus censor Philonis Mangeani, in his Act. erud. ad annum cIↄIↄccxLv. p. 410. Sed haec interpretatio Mangeana quoque ex historia et ordine temporum convelli potest. Quum enim Philo Romam, cum quatuor aliis legatis, peteret, ut pro Judaeis Caio libellum illum traderet qui mala, quae passi erant Judae, et melioris conditionis consequendae supplices preces continebat; non poterat eum Agrippae, regi, qui ex opinione Mangei, per urbem Romam, in Syriam iter faciebat, tradere: erat enim eo anno, [qui erat Caii quartus,] quo Philo legatus mitteretur Romam, quoque in urbe, ut clare e legatione ad Caium [v. c. p. 1020.

Ttt coll.

coll. p. 1019.] intellgitur. Deinde, quod Mangeus non obſervaſſe videtur, de priori et longiori libello. Agrippae tradito, eſt ſermo, ut verba Philonis, quae infra ſubieci, ſatis perſpicue docent *.

Non bene, opinor, diſtinxit hic temporum rationem venerandus Boyſius, in hiſtoriae catholicae ſummario, [T. VII. p. 371.] cum ſcriberet, vexationem et cladem diram Judaeorum Alexandrinorum, ſub Flacco Avillio, [quem male Acillium vocat,] eiusque ſucceſſore factam, quem Petronium fuiſſe putat, et legationem Philonis ad Caium, incidere in eundem annum, ſcilicet tertium Caii, ſive A. R. S. XXXVIIII. Sed res ſic ſe habet. Primum Judaei omni contumeliarum genere ſunt affecti, anno primo et altero Caii, praeſide Aegypti Flacco, ut ipſe Philo auctor eſt, in oratione adverſus Flaccum, [p 966. 987.] et in legatione; [p. 1018.] qui Flaccus, anno ſecundo Caii, in inſulam Andrum ſepoſitus eſt, ut ibi exul viveret: [v. adv. Flacc. 987] ſed relegatio et exilium illius malis Judaeorum Alexandrinorum non ſtatuit modum: illi enim ſucceſſorem Flacci ſenſere, qui non fuit, ut opinatur Boyſius, Petronius, hic enim Syriae praeſes fuit, ſed alius, quem nominare ſuperſedit Philo. [v. p. 1010. et Mang.] Deinde Agrippa, rex, non Romae fuit, tertio anno, ſed quarto Caii, quo Petronius demum, Vitellio Syriae praeſidi ſucceſſor conſtitutus eſt, qui litteris ad Caeſarem datis, cauſſas morae, quibus

* „Placuit — offerri libellum, continentem deſcriptionem ſummariam, tum eorum quae paſſi fueramus, „tum quae nobis concedi poſtulavimus. Erat vero „libellus fere compendium epiſtolae plenioris illius, „quam per Agrippam, paullo ante, miſeramus. Nam „is forte fortuna venerat Alexandriam navigaturus „in ſuum regnum, quod ab Imperatore acceperat.“

Digitized by Google

quibus adductus ipsius effigiem non erigendam curaverit in templo Hierosolymitano, praetenderat. [vid. Petav. Rat. tempp. P. I. p. 225.] De hoc furore Caii certior factus est Philo, Romae, ut ipse commemorat; [leg. ad Cai. 1018, 19.] qui, re audita, cum popularibus suis, maximo timore perculsus fuit, ne Caius imperata exsequeretur. Litteris Petronii perlectis, Imperator exasperatus, graviter increpat atque corripit Agrippam, qui exanimatus fere, domi suae, libellum, pro sua gente, Caio mittit, quo delinitus, regis precibus locum relinquit aliquamdiu. Paullo post enim poenituit eum huius promissi, idemque nefarium ac impium facinus Judaeis imperavit; quod vero divina vindicta intercepit, cum hic humani generis hostis male moreretur. Quae omnia satis, arbitror, demonstrant, venerandum Boysium, hanc narrationem non satis diligenter instituisse, nec ad ordinem temporum exegisse, nisi Philonem in tota hac re commemoranda graviter lapsum velimus. Cf. Acta Erud. ad annum cIↃIↃccxLv. p. 386. Fabric. B. G. l. IV. pag. 104. 114.

Sed hactenus de caussa et tempore legationis Philonis. Breviter nunc de eius fide, qua in tradenda sui temporis historia, in primis Caii, praestat Iosepho, Dioni, et Suetonio, qui in paucis ab eo discrepat, exponemus. Quam quidem si in describendis Caii rebus, qua affectae sunt ad Judaeorum caussam, ad praeceptiones illas, de fide historica excogitatas, exigamus; inter omnes, diligenter rem intuentes, constat, scriptorem praestantiorem hoc esse neminem. Non enim fuit Philo unus de multis, qui in rebus investigandis oscitanter versaretur, aut omnibus dictis factisve statim fidem haberet: sed o genere sacerdotali, tam claro atque illustri ortus, ut, auctore Eusebio, [L. II. 4.] principibus atque dignitate conspicuis par fuerit, et, eruditionis sapientiaeque laude, longe celeberrimus, ut ipse profitetur: [p. 1018.] se plus, per aetatem et rerum usum, sapere

 potuisse,

potuisse, quam alios. Eiusmodi vir igitur, cuius ingenium, rerum divinarum humanarumque scientia, et doctrina exquisitissima, erat subactum, ut cum optimo quoque de principatu contendere posset, omnem fidem meretur. Sed tempora ipsa, quibus illa, quae prodidit memoriae, facta sunt, intueamur. Describit autem ortum, ingenium, initia imperii Caii Caesaris, eius scelera, flagitia, atque summam impietatem, qua se Deum haberi voluit, iniuriam qua Judaeos lacessivit, et legationem, ad averruncanda haec mala, institutam. Qua aetate itaque vivebat Philo, res in facto positae acciderunt, quibus gerendis ipse maximam partem praefuerat; certe multorum scelerum testis oculatus exstiterat. Res igitur traditas necessario sciebat; interfuerat enim illis, et prudens vir melius aliis iudicare poterat: aut quas non usurpaverant, ipse oculis, ex monumentis priscis, aut auctoribus, fidei praeclaris, hauserat. Sed age, haec dicta exemplis, sine quibus non tantam auctoritatem habere videantur, confirmemus. Philo, praemisso, exordio, a rebus, quas narrat, ducto, orditur ab auspiciis imperii Caii Caesaris. Laetitiam publicam, festis diebus celebrandis, hostiisque offerendis, quibus diis gratias agerent, quod populum Romanum, adeoque fere humanum genus, compotem votorum fecissent, declaratam, copiose exprimit. [p. 993. f.] Pluribus hanc rem persequitur Philo, quam Suetonius: [c. XII. XIII.] ille enim auctor est, in singulis urbibus visa esse altaria, hostias, sacrificia, candidatos. coronatos, hilares blandosque vultus, festos dies, sollemnes conventus, certamina musica, ludos circenses, comissationes, coenas antelucanas, (παννυχίδας) et varii generis oblectationes. Hanc laetitiam publicam, ubertatem et annonae felicitatem populum tenuisse septem menses. Florem imperii maximum fuisse, quod Caius aerarium, auro argentoque facto et infecto impletum, invenerit [p. 993.] Consentientem habet et in hoc, ut in plurimis, Suetonium, [c. 37.] qui has immensas opes, a Tiberio congestas, definite designat, cum totum illud Tiberii

berii Caesaris, vicies ac septies millies sestertium, non toto anno vertente, absumsisse Caium dicit *. Cum hoc tempore iam, dies noctesque, in libidinibus et omnis generis voluptatibus, consumeret, iisque corpus animumque affectum redderet: octavo imperii mense, a gravissimo morbo correptus est, cuius mentionem et facit Suetonius, [c. 14] sed caussam non addit, morbum luxuriae, qua diffluebat, supplicium fuisse. In crebris enim compotationibus, coenisque tempestivis, omnis vigilandi labor expromebatur; nec modo gulae ventrique deditus, sed et cum mulierculis puerisque lepidis et delicatis, tantum libidini indulgebat, ut enervatus morti esset proximus. Morbus enim adgravescebat quotidie, et vulgatus, non modo cives Romanos, sed et civitates omnes in provinciis, quod desperarent pacem et salutem, quam in vita Caii collocatam habuerant, maximo moerore afficiebat. Pietatis officia erga Caesarem Suetonius laudat. [c. XLIII.] Gravi tandem valetudine explicatus, vitam quasi moestis et tristitia deiectis civibus reddidit. Sed non diu hic humani generis servator, quem falso iactabant, lentam ac saevam naturam dissimulavit, sed se omnium exitio, natricem potius populi Romani vivere, immanissimis factis ostendit. Et primum quidem, patruelem suum Tiberium, (Philo [p. 995.] ἀνεψιόν, et Suetonius [23. c.] fratrem vocat,) coheredem bonorum et imperii, insidiis petiit, et occidi iussit. Dio Cassius quidem [p. 729. Steph.] contendit: Tiberium, nepotem suum, et propter aetatem puerilem, et suspicionem, quod non e Drusi sanguine natus putaretur, aspernatum esse: [quamquam sub initium

*) Dio L. LVIIII. p. 735. de hoc furore impendiorum ita: „Vicies ter millies sestertium, (alii tradunt vicies semel millies sestertium, ac CCCXX. insuper sestertia,) quum accepisset in thesauris, nullam eius summae partem in tertium annum servavit; quin altero statim anno maxima inopia laboravit."

tium L. LVIII. p. 734. parum constanter scripsit: Tiberium reliquisse nepoti αὐταρχίαν:] et Iosephus, [L. XVIII. 8.] contra Dionem et Philonem, tradit: Tiberium detulisse soli Caio imperium; sed unice Philoni, ex quo Suetonius est illustrandus, [c. 13.] fides in hac re tribuenda. Fuit enim aequalis Caii, et rem planissime cognoscere potuit; ut dudum *Casaubonus* iudicavit, in animadver. ad Suetonium [p. m. 236.] et post eum, venerandus ERNESTI, ad l. c. Caedem ipsam Tiberii, Suetonius, brevius iusto, nec satis accurate, describit: [c. 23.] „Fratrem Tiberium, inopi„nantem, repente, immisso Tribuno militum, interemit." Philo enim, [p. m. 996.] Caium, subdola pietate, dicit circumvenisse Tiberium: convocatis civitatis principibus, eum fieri posse negasse, ut Tiberium imperii consortem assumeret, simulavisse itaque, se adoptasse eum, sed revera ei struxisse insidias. Quod et ita fecit. Iussus enim Tiberius, populo carus, se ipsum, adstantibus tribunis ac centurionibus, interimere. Sed, quod ille nunquam vidisset quomodo caedes humana fieret, praebuisse cervicem tribunis secandam: Tiberium vero, hos, rem detrectantes, rogasse, ut, qupmodo sibi letale vulnus infligeret, praemonstrarent: eumque tandem, hoc miserabili officiio mpetrato, se confecisse. Hactenus Philo, et haud dubie verissime. Mangeius [p. 550.] hoc loco male diffin :isse videtur verba: ἐφεστώτων ἑκατοντάρχων καὶ χιλιάρχων, ex MSt. et Suetonii loco: (c. 23.) „*repente immisso tribuno militum*, in ἑκατοντάρχου καὶ χιλιάρχου. Sed valde vereor, ut probaverit hanc lectionem eruditis hominibus. Nam primo Mangeus non indicavit, in quibusnam codd. MSS. hanc lectionem invenerit, quod tamen pertinet ad ἀκρίβειαν criticam; deinde locus Suetonii nihil in hac re decernit. Quod si haec ratio valeret, sexcenta loca corrigenda essent. Miror, Mangeum non induxisse verbum ἑκατοντάρχου, quod apud Suetonium nihil de centurione legitur. Adeo facilis est et minime morosus, aut pertinax in vulgata lectione defendenda, ubi locum tamen habere

habere potest. Hic quidem Suetonius nihil momenti habet ad Philonem emendandum, qui rem multo diligentius narrat, quam ille. Aliud illustre exemplum, quo Philoni maiorem fidem quam Iosepho, scriptori alias non spernendo, tribuendam putem, desumam e narratione, quae de Caii audacia, et arrogantia, qua se, ut Deum, adorari voluit, sub imagine aliqua, in adyto Hierosolymitano collocanda, testis est. Detulerat atque commiserat Caesar hanc rem, Judaeis abominandam, Petronio, *Syriae* praesidi, viro prudenti et iusto, qui, ut narrat Philo [p. 1022.] in ea perficienda sic versatus est. Lectis litteris imperatoris, quibus iubebatur, si tergiversarentur Judaei, iussa capessere, uti adversus eos militum praesidio; dubius atque ambiguus consilii fuisse dicitur, quid (quod iram Caii iam ante caperet, Judaeosque sciret, pro religionis atque legum honore prius mortem subituros, quam templum pati profanari, faceret. Cunctanter itaque rem, ob imminens periculum aggressus, Judaeorum sacerdotes et primores iubet arcessi, iisque iussa Caesaris exponit. Hi indignitate rei attoniti, planctu et lacrymis obortis, Praesidem ad misericordiam commoverunt. Judaei Hierosolymitani, audita hac imminente calamitate, Petronium in Phoenice tunc agentem adierunt *; quo facto, clamore sublato seniores, iuniores, pueri, matronae, mulieres florente aetate, atque virgines, preces miserabiles fuderunt, ne Petronius hanc contumeliam fieri pateretur. Romanus, auditis Iudaeorum precibus, habitaque consultatione cum consiliariis, pietate, quam Caesari, nullius sceleris

* Josephus hoc factum scripsit in campo, in quo sita est Ptolemais, [L. II B. I. 9. p. 791.] h. e. in Galileae finibus: Petronium deinde contendisse Tiberiadem et primores Judaeorum convocasse. De situ Ptolemaidis v. Cellar. Geogr. Ant. 482. 507. Reland. Pal. S. pag. 270.

Digitized by Google

ris rei, adprobaverant, tactus, ne properent opifices imperat, sed opus summa arte expoliant: qua caussa, Caii iram se delinire posse putabat, si forte, cur rem non maturasset, expostularet iracunde. Dilatae enim dedicationis culpam in opifices conferre, et interea temporis, Caium exorari se passurum, sperare poterat; in primis cum segetes essent maturae, quae, precibus Judaeorum irritis, devastari potuissent. Haec omnia, Petronius, litteris ad Caium datis, diligenter exponit. Quibus perlectis Caesar, et vultu et dictis, omnem iram in eum evomit. Forte Agrippa rex, Romam, Caium salutaturus, more suo, venerat. Bonus rex, nullius sceleris sibi conscius, ferociam oculorum, et frontis supercilium timens, ne hiscere quidem adversus Imperatorem ausus est. Sed cum tyrannus Iudaeos impietatis incusaret, tanto horrore correptus est, ut eum exanimem fere domum referrent. Ibi totum diem tanto oppressus est stupore, ut quid sibi factum esset, nesciret. Litteris deinde supplicibus Caesaris iram placare tentat; quas etsi Philo haud dubie confinxit, [p. 1031.] tamen diligenter scriptae *sunt*. Quod voluit igitur rex, impetravit. Quamquam non multo post, Caium poenituit huius voluntatis; furor tamen et conatus impius, a quo denuo abreptus est, nece Caesaris irritus factus est. Hactenus Philo. Sed audiamus nunc Iosephum, [L. XVIII. II.] qui in alia fere omnia *discedit*. Caium misisse narrat Petronium, cum imperio, in Syriam, quo, nisi Judaei statuam, in adyto, [ἐν τῷ ναῷ τῦ Θεῦ,] collocari paterentur, uteretur. Contractis undique auxiliis, hibernasse apud Ptolemaidem: huc venisse Iudaeos deprecantes, se non migraturos leges divinas: his verbis Petronium graviter commotum, teneri se iussa Caesaris exsequi: Judaeos autem pertinaces fuisse in sua sententia, se obiectaturos capita periculis omnibus, iactasse. Petronium itaque, cognita Judaeorum pervicacia, cum amicis Tiberiadem petiisse, atque eos monuisse, ne imperata Caesaris facere detrectarent. Dies quadraginta insumtos huic negotio: neminem

nem interim in opere esse inventum, cum essent sementis tempora. Aristobuli autem regis, Agrippae fratris, et Elciae magni, intercursu, Petronii iram sedatam: constituisse enim, litteris ad Caesarem scribendis, indignitatem rei exponere, et, ut votis Judaeorum respondeat, pro iis deprecari. Forte fortuna Agrippam regem, Romae lautissimum convivium adparasse Caio, quo liberalitatem studiumque ostenderet. Hunc demiratum regis munificentiam, et, vino paullo hilariorem factum, regem rogasse, ut, quid sibi fieri vellet, sponte iuberet, quo, pro meritorum magnitudine, quibus se, Tiberio imperante, affecisset, gratiam referre posset. Regem caute mentem non statim aperuisse, sed urgente demum Caesare, pro gente sua intercessisse, et votorum compotem factum; Petronium deinde, collaudatum litteris Caesaris, ob industriam in comparando exercitu, rem intermisisse. Rumore autem e orto, Judaeos res novas moliri, litteris ad Petronium missis significasse Caium iram vehementem, cum ingentibus minis, eum gravissimas cupiditatis suae poenas daturum. Sed furorem Caesaris caede interceptum esse. Eandem narrationem repetit, sed non satis diligenter, [L. II. de B. I. c 9.] ut comparando facile elucet. Apparet autem ex tota narratione, Josephum in plurimis dissentire a Philone. Hic prodit Judaeos, in Phoenicen, ad Petronium venisse, non vero Ptolemaidem atque Tiberiadem. Tempus deinde diversum est, quo haec facta traduntur. Philo quidem segetem adventasse, Josephus autem tempus sementis fuisse affirmat: nihil ille de Aristobulo: hic omnia alia de Agrippa. Mirandum sane, quid sit, cur Josephus, scriptor alias gravissimus et fide dignissimus, Philonem, virum accuratae doctrinae, et veritatis amantissimum, non secutus sit, qui hanc rem necessario, quod ei interfuisset, adeoque praefuisset, cognosceret, praesertim cum hunc, de legatione ad Caium, librum scripserit, septuagenario maior, quae aetas scriptoribus peculiarem dignitatem et fidem conciliat. Sed nimis cupide pro sua

gente videtur omnia explicare Josephus, ut ei auctoritatem afferat. Equidem, quid hic pro Josephi fide dici possit, profecto nescio, cum Philonem, quem virum laudat longe clarissimum, [L. XVIII. 10.] nec imperitum philosophiae, h. e. rerum divinarum humanarumque, in hac quidem re, necessario consulere debuerit. Error et ille vix condonandus videtur Josepho, cum, quae, sub Petronio cum Judaeis acta dicuntur, ea ad tempus sementis reiicit. Probabilior longe Philonis sententia, a quo haec referuntur ad segetum maturitatem, addita ratione: ne Judaei, si spe excidant, omnia hostis ritu agant, ferant, atque igni comburant. [cf. Mangei. Tom. II. p. 583.] Ex quibus omnibus, quae de Philonis fide disputavimus, perspicuum est, eminere fidei notas in eo adeo, ut facile agnosci possint, si is cum Josepho et Dione comparetur. Hoc quoque non leve momentum ad Philonis fidem habere videtur, quod cum Suetonio, scriptore diligenti, qui omni tempore ab eruditissimis hominibus hoc nomine laudatus est, in plerisque mire conspiret, eumque, ubi paullo brevior est, illustret.

HISTORIA ET COMMENTATIONES ACADEMIAE Electoralis scientiarum et elegantiorum litterarum Theodoro - Palatinae, Volumen II.

Mannhemii, typis Academicis, MDCCLXX. 4.

Eadem huius Tomi est ratio quae primi, quem nuper indicavimus. Primo loco est *historia academiae*, quam sequuntur tractatus de *rebus antiquariis* et *historicis*, in fine sunt *physica*. Continentur toto opere haec:

I.

Historia Academiae.

II. Com-

II.

Commentationum pars prior, historica.

III.

Commentationum pars altera, physica.

Qui annis superioribus iter litterarium instituerant, iisdem iam alias regiones perlustrandi cura est commissa. Perventum in agrum oppiduli Godramstein in praefectura Palatina Germersheimensi, quod permulta dicitur habere religionis veteris Romano-Gallicae monimenta, ex quibus, quae est litterata, aere est expressa ara quadrilatera, habens elegantissimi operis Junonem, Minervam, Mercurium, et Herculem, suis quisque insignibus notatos, cum hac inscriptione, in latere, ubi est Juno cum pavone

I O M
MANSVETVS
NATALIS
V S L L M.

Siglas sic explicat auctor: *J. v. Opt. Max. — Votum Solvit Lubens Laetus Merito*, de ultimis non dubitamus. Alterum monimentum, repertum in isto agro, est illitteratum illud quidem, sed tale, ut Mercurium iis signis ostendat, quae alias raro occurrunt, ut bene monuit auctor. Crumenam tenet dextra, sinistra cum caduceo puerulum, ad pedes aries atque testudo, ad latus dextrum gallus gallinaceus. Simile est huic alio in vico eiusdem praefecturae fragmentum, in quo ad pedes tantum aries et testudo supersunt, cum subscriptione

DEO. MERCVRIO. CAM
BO. IVSTI. V. S. L. L. M.

an *Cambus* dictus sit Mercurius, quod trapezitarum putaretur deus, in incerto relinquit auctor.

Edita dein ex autographis XXVIII. documenta, et Latino et Germanico sermone, ad historiam Saec. XIII. et XIV. spectantia, quae grata iis arbitramur futura, qui accuratam familiarum antiquarum amant notitiam.

Detecta sunt forte anno 1766. prope Grishemium, oppidulum Heidelbergæ vicinum, rudera murorum, qui densi ultra duos

duos pedes (Rhenanos), in longum octoginta quatuor pedes, sexaginta in latum se extendunt. Quadrangularis iste murus sepulcri, Romano more structi, tres complexus est partes. Invenit Cel. Schoepflinus Columbarium, in quo ossuariae mortuorum urnae repositae; sacellum, in quo anniversaria sacra celebrata: triclinium, ubi reliquae e sacrificio dapes consumptae. Columbarium crypta cornice tecta, unde duo educti camini, per quos lumen immissum Dicta docet ex Vitruvio haec columbaria, ob internam similitudinem turrium, in quibus columbae nidificant. Sacellum eiusdem cum crypta est magnitudinis, in quo victimae caesae diis inferis. Pavimenta sepulchri Schrishemiani strata sunt caemento, ex contritis lapidibus et lateribus cum calce commixtis, ideoque durissimo. Videtur hoc sepulcrum Cl. Schoepflino fuisse familiare, cum alia fuerint apud Romanos etiam gentilicia, et singulorum hominum, neque habuit ornatum, nec statuas. Quia ollae, combustionis indices, ibi sunt repertae, colligitur inde ab Cl. Auctore, sepulcrum serius Saeculo tertio esse non posse, quo combustio mortuorum paullatim cessavit. Quia per Alemannos aut Francos destructum credibile est sepulcrum, litteratum nihil in eo repertum est, numi tamen duo, *Lucillae* alter, alter *Caracallae*.

Inter marmora, quae Moguntia Manhemium sunt deportata, maxime insigne est, quod *Commodi* nomine eraso, sequentem, ut legendam iudicat Cl. *Lameius*, inscriptionem habet:

PRO SALVTE IMPeratoris Marci AV
RElii — — — — ANTONINI
PII FELICIS
LEGionis XXII. PRimigeniae Piae Felicis Caius
GENTILIVS VICTOR VETeranus LEGionis
XXII. PR. Piae Fel Missus Honesta Missione NEGOT
IATOR GLADIARIVS
TESTAMENTO SVO FIERI
IVSSIT AD sestertios Nummos VIII MILle

Statuam templi fuiſſe, ob formam lapidis, putat Cl Lameius, unde, quod notum eſt, Commodi nomen ſit eraſum, quod itidem in permultis litteratis monumentis factitatum late et erudite demonſtrat. Poſt PII FELICIS Muratorius addidit litteras I. S. . . . . , quas delendas cenſet, litteras P. F. interpretatus *Piae Felicis*, quas Harduinus *pollentis, fidelis*. Ex litteratis monumentis legionis XXII. ad Saec. II. et III, quae multa ſunt ad Rhenum, inprimis ſuperiorem, edidit Cl. Lameius hoc ineditum

DEAE DIANAE
C' LVCILIVS
MESSOR MIL
LEG. XXII. RF
CVS BASIL
DEXTRO ET
PRISCO COS

Edita non ſemel, ſed nusquam recte, inſcriptio ſequens, Moguntiacenſis olim, nunc, cum priore, Mannhemienſis

P. SOLIVS
P. F. VOL. SV
AVIS. VIANA
MIL. LEG. XXII.
PRIM. AN
XXXXVII. STI

Tituli ſepulcrales militum plerumque habent militis nomen, patrem, patriam, tribum, legionem, alam vel cohortem, aetatem, ſtipendia, haeredem, quae omnia in ſequenti monumento, reperto Moguntiaci, invenias. Eſt illud mancum, temporis iniuria, et ſic conſtitutum a Cl. Lameio,

MARCVS AEMILIVS
MARCI FILIVS. CLAVDIA FVS
CVS SAVA
MILES LEGIONIS I.
ADIVTRICIS ANNORVM XXV.
STIPENDIORVM VIII. HIC SITVS EST
FRATER EIVS PONI IVSSIT.

Savam

Digitized by Google

Savam, Mauritaniae Caesariensis municipium, fuisse patriam, erudite docetur. *Savam* Claudiae tribui fuisse adnumeratam pluribus inscriptionibus probatur.

In disquisitione de Comite Palatino Galliae, Cl. Schoepflinus impugnat primus sententiam Cangii, statuentis, non modo sub omnibus regibus familiae Carolingicae, sed etiam sub primis Capetingicis, fuisse Comites Palatinos Galliae, docetque, illos ipsos, quos pro Palatinis Aulae venditat Cangius, esse Provinciales Comites. Turbato enim et paene deleto post obitum Caroli Calvi Franciae regno, comites in his turbis quo essent honoratiores, aut regibus titulum Palatini Comitis extorserunt, aut sponte sua usurparunt de regis voluntate ne quidem solliciti. Ultimus verus Comes Aulae Palatinae fuit Fulco, qui caussas palatii diremit. Pithoeum etiam Cangio gravius errasse demonstrat, qui Theobaldum magnum, Campaniae comitem, hunc honorem non a Galliae rege statuit obtinuisse, sed ab imperatore Romano-Germanico. Obiter observatur, eodem fere tempore comitem Palatinum apud Germanos, idem quod in Gallia fatam esse expertum, et adiuncta sub caesaribus Saxonicis Germaniae Lotharingia, substitisse in utroque regno tantum nomen, abolito Comitis Palatini officio. Exortis dein novi generis compluribus comitibus Palatinis, veterem illum Lotharingicum dictum *Comitem Palatinum Rheni*, idque factum sub finem Saeculi XI. ab Henrico de Lacu. Unde hodierni palatinatus Rheni initia ex Lotharingico regno videri repetenda.

Periit itaque comitiva palatii in aula Gallica, centum et quinquaginta annis ante, quam voluit Cangius; centum ante, quam Pithoeus.

Dissertatio eiusdem auctoris, *de Ruperto Caesare*, duo habet capita, sive peculiares dissertationes, quarum prima agit

agit de Ruperti *expeditione Italica*, altera *de schismate ecclesiae.* Exemplo possunt esse hae dissertationes, et huc nomine eas diligenter commendamus, qua ratione sit tractanda materia aliqua historica, impedita illa multis et magnis difficultatibus; quo opus sit in ea investiganda labore et diligentia; quae debeat adhiberi in examinandis testibus cautio, quae in sententia pronuntianda moderatio. Ad calcem huius dissertationis adiunctae sunt ipsius Ruperti ad Principes Germaniae litterae. Sed calamum hic ponimus.



Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Decembris Anno MDCCLXXII.

THEOCRITI DECEM EIDYLLIA, LATInis pleraque numeris a C. A. Wetstenio reddita, in usum auditorum cum notis edidit, eiusdemque Adoniazusas uberioribus adnotationibus instruxit L. C. VALCKENAER.

Lugduni Batavorum, apud Io. le Mair, 1773. 8.
Alph. 1. plag. 4.

Nec Theocrito defuerunt interpretum doctissimorum studia, nec interpretes destituit successus; tamen invenit Cel. Valckenarius, quae superioribus adderet, de quibus in praesenti eadem cum voluptate dicemus, qua editionem ipsam perlegimus.

Usus est editione Mediolanensi, a. 1493. vulgata, eademque antiquissima: tum Florentina a. 1515. in qua egregias lectiones, in alia nulla obvias, reperit: denique Aldina a. 1495. Praeterea codicum Palatinorum lectiones, a Salmasio excerptas, et ab Is. Vossio cum suis coniecturis in margine Heinsianae notatas, ad manum habuit; ea item, quae suo exemplo adscripserat Tib. Hemsterhusius. Ab

 Ruhn-

Ruhnkenio, V. Cl. accepit codicis Parisini lectiones, multa ex ineditis grammaticis, ipsiusque viri huius doctissimi coniecturas. Reliquum omnem editionum aliarum adparatum ab Editore tam perito et diligente consultum atque examinatum esse, sponte intelligitur.

Idyllia decem, hic tractata, in vulgatis editionibus his numeris notata sunt: I. II. III. IV. VI. VII. IX. XI. XVIII. XX. Versio latina septimi carminis Heinsio, octavi atque decimi Grotio, reliquorum Wetstenio debetur; Adoniazusas Eobanus Hessus latinas fecerat.

In his Idylliis Cl. Editor ita versatus est, ut breviores adderet de lectione, dialecto, sensu, atque comparatione Virgilii, animadversiones, quarum tamen brevitas ad lectorem et admonendum, et docendum sufficit. Ex iis haec excerpsimus.

Idyll. I, 30. Florentinae lectio, *αἴκα*, non est *vulgatae praeferenda*, quoniam *κα*, vel seorsim positum, vel cum *αἰ* iunctum, a Theocrito semper producitur. Hic obiter monetur, cum illud *αἴκα* in Doriensium scriptis subiunctivum habeat, ad hanc legem in Pythagoreorum libris multa corrigenda esse. Vers. 13. *ὡς* cum Heinsio in *ὧ*, *ubi*, tum vero etiam *ᾇ* in *αἰ* mutari vult. Vers. 17. *ἐντί γε*, erit ex uno codice in *ἐντὶ δὲ* mutandum. Dicitur per huius versus occasionem de lectione cod. Alexandr. 1 Maccab. 1, 24. *ἀνήνεγκε θυμὸν κατὰ τὴν ῥῖνα*, quae non debebat in *κατὰ τὸ κρῖμα* mutari. Vers. 30. *κισσὸς ἑλιχρύσῳ κεκονισμένος*, aut, quod idem est, *κεκονιμένος*, vertitur: *auri pigmento velut adsperso exornata hedera.* Cum enim *κονίζειν* sit, *pulverem adspergere,* omnino verbum hoc *adspergendi* significationem habet: sed *κονιᾶν*, *calce illinere,* plane non debebat a quibusdam huc referri. Ad v. 36. de mulieris huc illuc spectantis imagine, repetuntur quidem superiorum animadversiones; sed quod Hemsterhusius in margine libri sui notarat,

e iustae quidem accusationi subscribere, non deesse tamen principum poetarum loca, quibus Theocritea haec licentia excusari posset; id hic ab Editore additum est. Nobis quidem placet eorum sententia, qui in eiusmodi descriptione dici censent, non quid fiat, sed quid Spectatores fieri censeant et dicant. Cum enim aliquid ad vivum expressum est, tum, quisquis cernit, ita fere iudicat, *imagines moveri*, *agere aliquid*, *loqui*, *insidiari*, et alia. Plane huc pertinet locus ex Adoniaz. 82. ὡς ἔτυμ' ἐνδυεῦντι, et ex Idyll. 1, 49. φοιτῇ, et δόλον τεύχοισα φατὶ, quae utique sunt iudicia eorum, qui rem vere expressam imagine cernunt, et, tamquam fieri omnia videantur, de ea loquuntur. Vers. 58. τυρόεις γάλακτος est *placenta, e caseo et lacte:* nam τυρόεις, adiectivum, dicitur omisso ἄρτος. Quod autem v. 64. Heinsii coniecturam, τὸν ἐφ' Ἱμέρᾳ ὕμνον, Cel. Editor vulgatae praeferendam censet, hanc caussam addit, carmen, de infortunato Daphnidis amore, primum ad Himeram cantatum videri, totiusque idyllii argumento congruere hanc coniecturam. Sed nobis quidem illud, τὸν ἐφίμερον ὕμνον, tam aptum naturae et ardori dicentis, tam facile ad intelligendum, ita placet, ut nunc quidem tenere malimus. Vers. 61. recte recepit, cum Cl. Reiskio, ἦθ', pro vulgato ἦσθ', quod utique alienum erat: similiterque v. 75. δαμάλαι praetulit, quia δαμάλεις non Theocriteum sit. Vers. 95. Koppiersii coniectura est: ἦνθέ γε μὰν ποτί μιν χ' ἁ δῖα Κύπρις — Ruhnkenius contra nihil nisi ἄδιςα pro ἁδεῖα poni vult: quae posterior ratio Cl. Editori probatur; et est sane facillima et venusta. Vers. 96. ἀνὰ θυμὸν ἔχοισα est, *vultu iram praeferens*, ἀνέχοισα, quoniam ἀνέχειν, *in altum tollere*, *elatum ostentare*, omnino *prae se ferre* significat. Vers. 102. propter illud γάρ, adeo non cohaeret cum reliquis, et varietas lectionis tam multiplex est, ut Editori Cl. unus et item alter versus excidisse videatur: tamen, ut nunc est locus, versum 102. parenthesi includendum putat, ἄλιος ἄμμι δέδυκε cum quibusdam interpretatur, *actum est de me*, sensumque totius loci putat hunc effici; *odiosa Venus*, *Ve-*

nus inimica mortalibus, (omnia enim indicant, Solem nobis occidere,) Daphnis etiam apud inferos amoris infortunati triſte erit documentum. Ita vis parentheſeos, ſi recte ſumus mentem V. Cl. adſecuti, eo redibit: *nempe* (γὰρ) *actum eſt de me:* eritque hoc argumentum, cur Venus a Daphnide νεμεσσατὰ et ἀπεχθὴς θνατοῖσι dicatur. Verſ. 118. Thymbris legitur, vel mons, vel fluvius Siciliae, (ſententiae enim interpretum diviſae ſunt,) nusquam alibi commemoratus. Sed ſtatuit Cl. Editor, montis eſſe nomen, cum aqua fundi dicatur κατὰ Θύμβριδος, qui modus loquendi ubique editum locum, unde quid devolvitur, indicat. Verſ. 147. firmatur, Αἴγιλον pagum Atticae fuiſſe, notiore nomine Αἰγιλίαν, qui cum praeſtantiſſimas genuerit caricas, facile adparet, ἰσχάδας ἀπ' Αἰγίλω recte dici.

Ad Id. II, 4. fatetur Cl. Editor, ſibi quoque Reiskianam emendationem, ὐδὲ ποθήκει, quondam placuiſſe; ſed cum verbi huius compoſiti ſignificatio, quam hic locus poſtulat, minus uſitata ſit, ſe nunc tenere illud, ὐδέποθ' ἥκει, quod ne in Doricam quidem formam, ὐδέποκ', mutandum ſit, quae, ſequente ἥκει, aures offendere videatur. Verſ. 13. ſuſpecta ſibi videri dicit verba, καὶ μέλαν αἷμα, quae et alius tentarat. Itaque probat quidem, ἤρια κεκμηκότων, quam lectionem Etymol. M. in ἤρια ſervavit; ſed cum a nullo Theocriti codice exhibeatur, interea vulgatam ſervat. Verſ. 24. ſuaſerat aliquis, καππυρὸς (κατὰ πυρὸς) εὖσα, ſed Editor Cl. retracto accentu κάππυρος (κατάπυρος) εὖσα malit. Verſ. 34. ἀδάμας idem eſt, quod ἀδάμαστος, (ſervavit autem Heſychius illud ἀδάμας,) quemadmodum ἀκάμας, et ἀνδροδάμας dicuntur. Ita fit, ut ὁ ἐν ᾅδᾳ ἀδάμας ſit, *inexorabilis Pluto.* Verſ. 54. κατ' ἀγρίω (non ἀγρίῳ) ſcribi voluit Hemſterhuſius, ut ſenſus eſſet, *adverſus hunc ferocem et agreſtem.*

Idyll. IV, 24. Νήαιθος occurrit; ſed in Vatic. codice Ναύαιθος legitur, quod ipſum nomen in Lycophr. Alex.

921

921. reperitur. Verſ. 28. ἔπαξας malit, quam ἐπάξω: primo quia codices, vel ἔπαξας, vel ἐπάξα habent; deinde quia Theocritus πᾶξα ponit, nusquam πάξασθαι; denique quia σύριγγα πᾶξαι in Fiſtula legitur. Quod autem ἐπάξα, Syracuſiorum more, pro ἐπάξω dictum, poſt Scholiaſten quidam probarunt, hoc ideo diſplicet Cl. Editori, quoniam huius formae, ἐγράψα pro ἐγράψω, ἐνοήσα pro ἐνοήσω, nulla notavit in Doricis ſcriptoribus exempla.

Idyll. VI, 7. ἄνδρα δυσέρωτα interpretatur, *qui ſpretus tamen miſere amat*. Verſ. 11. longior Hemſterhuſii nota adſcripta eſt, qua coniectura eius, τᾷ νιν καλὰ κύματα σαίνει, illuſtratur, cuius ſenſus eſt: *ubi fluctus ei alludunt*, et leni ſtrepitu velut adulantur. Melius etiam iudicatur verſ. 12. καχλάζοντος, ex edit. Florentina, quam καχλάζοντα. Idem Hemſterhuſio et Toupio placuerat. Verſ. 24. Φέροιτο ποτ' οἶκον, *ſibi domum ferat*, nunc e codd. receptum eſt in locum vulgatae: Φέροι ποτὶ οἶκον. Haud dubie bene. Laudatis de Telemo vate locis Homeri Od. I, 509. Ovidii ibid. 271. Clementis Alex. Strom. I, p. 399. corrigitur apud Lucianum T. 3, p. 241. verbum Τήλεφος; ponendum enim eſt Τήλεμος. Verſ. 29. Cl. Ruhnkenius ita corrigere tentat: σίξα δ' ὑλακτεῖν νιν καὶ τὰν κύνα, *ſibilo canem incitavi, ut eam adlatraret*: itaque σίξα eſt a σίζειν aut σίττειν.

Multa praetereunda ſunt, quae libenter cum lectoribus communicaremus, ſi locus hic plura pateretur; ſed de Adoniazuſis, in quo carmine et illuſtrando, et conſtituendo, Cel. Editor diligentiſſimus fuit, pluribus exponendum eſt. Ipſi carmini breviſſima Scholia ſubiecta ſunt quae inter legendum de coniecturis atque varietate ſcripturae admonerent; tanto uberior eſt commentarius, quo partim carmen explicatur, partim varie digrediendo multa de graecis literis exquiſite diſputantur.

 Primo

Primo tractatur ineditum hactenus idyllii huius argumentum e cod. Parisino, quod Ruhnkenius servat. In quo cum Theocritus hausisse sua dicatur e Sophrone, agit Cl. Valckenarius de Sophrone, et Etymologici M. locum in ὑγιὴς illustrat, ubi Sophron ἑκοντὶ ἁμαρτεῖν et σολοικίσαι dicitur, nempe quoniam *rusticam muliebris et obsolutae pronunciationis simplicitatem* consulto expressit: hoc enim est τὸ ἄκακον τῆς γυναικείας ἑρμηνείας. Cetera, quae ad illustrandum et corrigendum hoc argumentum dicta sunt, ut, scenam carminis Alexandriae figendam esse, ibidemque auctore Cyrillo (T. 2. opp. p. 275. Adonia celebrata esse, et alia quaedam, singulatim excerpere non possumus. In Sophronis atque Laberii laudem multa copiose dicuntur. Ceterum in reliquo huius commentarii decursu, plura Sophronis fragmenta excussa sunt.

Sequitur commentarius in septem idyllii versus, ubi v. 4. ἀλεμάτω cum Scaligero probat, etsi ἀδαμάτω edidit. Vers. 7. ἄτρυτος ὁδὸς est *via quae euntem defatigat*, ut adeo ἄτρυτος sit h. l. πολύτρυτος, quemadmodum Scholia Sophoclis explicant. Per hanc occasionem digreditur Cel. Editor ad ea adiectiva, quae cum α intensivo composita sunt, tractatque haec verba: ἄβιος (πολύβιος), ἀβληχρὸς (σφόδρα βληχρὸς), ἄγονον (πολύγονον) ἀγύμναστος, ἀδάκρυτος, ἀδράστεια (πολυδράστεια, e Cornuto de N. D. 13.) ἄεδνος, ἀζαλὴς, ἄζειρος (πολύζωστος), ἀκρότητος, ἀκύμων, ἄξυλος, ἄξυνος, ἄπυρος in Aesch. Prom. Vinct. 877. ubi ἄρδις ἄπυρος est *telum, non humano, sed divino igne saeviens.* Ἀσπερχὴς, ἀσακτὶ, ἀχανὴς. Reiicitur ἀκαίειν, *vehementer urere*, verbum, ex errore Aem. Porti in ind. Xenophont. ortum: ἀποκαίειν enim vera lectio est, de exp. Cyr. 4, p. 135. et 8, p. 239. edit. Steph Improbatur ἀμάλκιον, a Valesio ad Harpocr. in Μαλακίζομεν illustratum, tamquam *Amalcium mare* apud Plin. H. N. 4, 13. esset *congelatum* ὑπερμάλκιον. An ἀτίμητος umquam sit πολυτίμητος, dubitat V. Cl. Potuisset his verbis

verbis addi ἀτρύγετος, quod e mente quorundam indicat θάλασσαν, ἣ πολλὴν τρύγα ἤτοι ὑποστάθμην ἔχει, saltem habent hoc inedita Scholia codicis Lipsiensis ad Iliad. α, 316. Iam v. 7. idyllii legi vult, ἑκαστέρω ἄμμιν ἀποικεῖς, quia ἑκαστοτέρω nusquam occurrat: ita ἄμμιν est ὑμῶν, quod exemplis confirmatur. Ad v. 8. ὁ πάραρος explicatur: est autem *stultus*. Nam ἵππος παρήορος (a quo non differt πάραρος et παράορος) est, *a iugalibus male evagans*, unde tropice de dementi dici potuit, atque adeo Archilochus apud Stobaeum νόου παρήορον dixit, *a sana mente aberrantem*: quo quidem loco omnis res conficitur. Omnino digna est haec de verbo hoc observatio, quae ab omnibus graecarum literarum studiosis cognoscatur. Ad v. 9. de ἰλεὸς admonetur copiose: nempe *latibulum* s. *volutabrum* significat, duciturque ab ἴλω, ἰλέω, εἰλέω, quae cognatae formae sunt. Idem est ἰλυὸς vel εἰλυὸς, quae sunt verba Callimachi, Nicandri, Apollon. Rhodii, ut ἰλύω et εἰλύω cum ἰλέω et εἰλέω conveniunt. Nominatim Callimachi locus (in Jov. 25.) sic corrigitur: εἰλυοῖς ἴλλοντο κινώπετα *in lustris se contortos voluebant serpentes*. Est et haec observatio exquisita, multisque, quae frustra alibi quaeras, locupletata, e quibus enotamus hoc: *Capio, in veteri lingua graeca* γάω *et* γέω *dicebatur, literis adspiratis in usum receptis*, χάω (unde χάζω) *et* χείω, *unde Homeri* χείσεται Od. 6, 17. *et* χειὰ Il. χ, 93. Cum v. 19. ἀνὴρ τρισκαιδεκάπηχυς hyperbole sit, ut *ager*, *Laconica epistola minor*, (Longin. Sect. 38.) collecta sunt digressione singulari huiusmodi brevium epistolarum exempla, e Plutarcho potissimum. Multae ergo Laconicae formae illustrantur, ut μέσδω, pro μέζω s. μείζω, δηλέεσθαι, *velle*; multa item, quae ad historiam harum epistolarum pertinent. Separatim ea tractatur, quam Xenophon Hellen. 1, p. 252. servavit. Hanc Cel. Valckenarius ita scribi vult:

Ἔρρει τὰ καλά. Μίνδαρος γ' ἀπέσσυα·
Πεινῶντι τὤνδρες· ἀπορίωμες ὅ τι χρὴ δρᾶν.

vt

Digitized by Google

vt ſint verſus iambici ſenarii claudicantes. Et quoniam de ἀπέσσαα ex σέω aut σεῦμι dictum erat, commemoratur Σῦς e Platonis Cratylo, p. 412, qui idem eſt Σόος, rex Spartanus, pater Eurypontis, (vid. Plutarch. in Lycurg. p. 40.) eiusque hiſtoria fere incognita peculiari digreſſione illuſtratur. Obiter docetur, ἱστοριῶν συναγωγὴν in Scaligeri Theſauro tempp. eſſe ab ipſo Scaligero confectam. Sequitur alia digreſſio, *Laconica quaedam exhibens*, veluti de digammate, cuius loco quidam B vel Γ inſeruerunt, ut ὑπερβῶιον, quod eſt ὑπερῷον. Etiam Σ, inter vocales poſitum, eiiciunt, eiusque loco F vel B indunt, vel ſignum aſperi ſpiritus, ut εὐσοι, βυόα, pro βυσσόα. Vid. Etymol. M. in εὔιος. In Ariſtophanis Lyſiſtr. 1314. cum Heringa verum iudicatur: θυρσαδδωᾶν κ' εὐαδδωᾶν, i. e. θυρσαζουσῶν, εὐαζουσῶν. Multa rurſus ex Heſychio, quae huc pertinent, collecta ſunt, et illuſtrata, omninoque hac digreſſione nemo facile carere poteſt, qui iudicium de his rebus, obſervandique diligentiam acuere cupit. Obiter de Ariſtophanis gloſſario Laconico dicitur, et ſpurio catalogo nominum, qui Suidae Lexico praefigi ſolet; ſed omnia perſequi non poſſumus. Ex ipſo Suidae Lexico oſtenditur, auctorem non ſecutum eſſe eos, quorum nomina iſto catalogo continentur. Jam redit ad Theocriteum carmen, in cuius v. 10. ἱμείως pro ἱμεῖο legi vult, quia codd. et edd. vett. fere habent ὅμοιος, ὁμοῖος, ὁμοίως. Forma ἱμείως ex Apollonii Alexandrini libello MS. περὶ ἀντωνυμίας illuſtratur et defenditur. Ad v. 17. tentatur Callimachi locus [L. P. 93.] ſic, ut πάχεσιν ἀμφοτέροισιν, *ulnis ambabus*, ponatur pro ἃ μὲν ἐπ' ἀμφ. In Theocr. carmine ἀνὴρ τρισκαιδεκάπηχυς eſt, in cuius procero corpore ne mica quidem ſalis eſt. Verſ. 19. γεραιᾶν ἀποτίλματα πηρᾶν ſunt *vellera, ovibus vetulis mutilisque vi avulſa*, ideoque lacerata. Ergo ὄιες γεραῖαι dicuntur a poeta, ut γεραῖα ἔρειπα ab Aeſchylo, γε. ἄκανθα a Sophocle, γε. ὠλένη ab Euripide. Κυνάδες cum ſit Laconicum verbum, rurſus tractantur Laconica quaedam, ut ἱμβραμένα pro εἱμαρμένη, σπέργυς pro πρέσβυς, πρειχευτὰς

χευτὰς pro πρεσβευτής: ultimum in Chishulli Antt. Asiat. exstat. De αἰνόθρυπτος v. 27. nihil definit, nisi fortasse οἰνόθρυπτος, *nimio vini usu fractus*, legendum sit. Vers. 42. defenditur haec lectio: Φρυγία, τὸν μικκὸν παῖσδε (i. e. παῖζε λαβοῖσα, *adsumto puello, lude*: nec conceditur Gregorio de dialectis, p. 250. ed. Koen. παῖσδα, *puerum*, legendum esse, quod praeter hunc nemo tradidit, ut recentior gracculus videatur codicis sui vitio deceptus: nec ullo alio loco haec forma occurrit. Vers. 48. Scholiasten legisse putat, παρειπῶν Αἰγυπτισί. Itaque illustratur παρειπεῖν, *dolosa oratione*, omninoque *fraudibus uti*. Vers. 49. ἔπαισδον de furto capiendum est. De verbo ἐρειοί p. 50. dubitat, etsi olim ἔλειοι putarat legendum. In cod. Parisino Cl. Ruhnkenius Scholion, μεγαλοπρεπεῖς, ἔνδοξοι, repererat, verbo ἐρειοὶ adscriptum; sed sic quoque locus obscurus manet. Pro ἀνάθην v. 55. scribi poterit ἀνάμην, sive potius ἀνῆμαν: nempe forma ἀνάθην vix alibi occurrere videtur. Vers. 76. φλίβεται receptum est e cod. uno, et Eustathii loco, ad Iliad. α, p. 76. Malit v. 79. θεάων νήματα φασεῖς, ubi in verbo νάματα praeiuerat Cel. Reiskius; sed Cl. Editor mavult νᾶμα esse *undam*, νῆμα, *fila*, unde etiam Idyll 24, 74. νῆμα poni vult. Tentat v. 88. ἐκκνυσδεῦντι, i. e. ἐκκνίζουσι, *deformant omnia*, (ut Odyss. v. 401.), atque adeo aures *radunt* ore Dorico. Μᾶ v. 89. defenditur, ut sit iuxta Eustathium μιμητικὴ φωνὴ, aut, iuxta grammaticum in cod. Theocriti Parisino, Συρακούσιον, ἐπὶ ἀγανακτήσεως λεγόμενον. Videtur etiam Cl. Valckenario ex μᾶτερ ortum, cum ob Aeschyli locum (Supplic. 897. 906.) tum ob Eustathiana ad Iliad. ε, p. 428. ubi diserte πᾶς (f. potius πᾶ) esse dicitur πατὴρ, ut μᾶ, μήτηρ. Bene Plautinum (Perf. 2, 4, 2.) *emere oportet, quem tibi obedire velis*, comparatur cum Theocriteo, v. 90. πασάμενος ἐπίτασσε. Κενεὰν ἀπομάττειν, v. 95. agnoscit corruptum esse. Si v. 98. Sperchis est Spartanus (Herodot. 7, 134 etc.), *canere Sperchidem* non esse potest *lugubre carmen* (ἰάλεμον) *canere*. Itaque vel alius intelligendus est Sperchis, vel aliquid inde

petendum, quod ἰάλεμος Hesychio auctore etiam frigidum et ieiunum carmen est: veluti si dicatur h. l. mulier ieiunum istud carmen consulta ita cecinisse, ut congruo gestu uteretur.

Dedimus operam, ut consilium atque formam veluti huius editionis adumbraremus, rerumque tractatarum multitudinem saltem aliquo modo ostenderemus. Sunt multo plura non inferiora iis quae hic a nobis narrata sunt; sed modus fuit tenendus. Vehementer optamus, ut qui graecarum literarum studiosi sunt, commentarium in Adoniazusas perlegant: reperient profecto, quae ad accuratam et exquisitam harum literarum cognitionem permultum faciant; certe in iis, quae ad Dorica et Laconica pertinent. Nos quidem putamus a nemine tantum praestitum esse. Itaque hoc duce omnibus, qui eamdem persequi viam velint, opus est.

HEXAPLORUM ORIGENIS, QUAE SUPERSUNT, auctiora et emendatiora, quam a Flaminio Nobilio, Joanne Drusio, et tandem a Bernardo de Montfaucon, concinnata fuerant: edidit, notisque illustravit, D. Carolus Fridericus Bahrdt. PARS *II.*

Lipsiae et Lubecae, apud Christian. Gottfr. Donatium, 1770. in 8.

Commemorata et descripta iam, cum priorem huius libri tomum indicaremus, tota eius ratione, consilioque quod S. R. Bahrdtius in recudendis his fragmentis, augendisque, sequutus est, ea repetere, quae in universum de libro dicta sunt, et dici possint, nihil attinet. Notae Montefalconii, ubi eae praeter rem copiosiores viderentur, redactae

ctae sunt in compendium. Et licet Montefalconius verbosior interdum sit, interdum tamen quaedam, ad quae nonnulla interpretationis illustrationisve causa commode addi poterant, intacta plane atque inexplicata transmisit. Quod cum intelligeret acutissimus Bahrdtius ea quae deerant, aut desiderari iure posse videbantur, de suis explere adgressus est. Plura in hoc genere sine dubio essent praestita, nisi temporis penuria excluderetur vir doctissimus. Sed et illa pauca, Critices sacrae studiosis gratissima futura, non est dubitandum: v. c. ad Es. 58, 12. ad verba גדר פרץ affertur sub nomine Aquilae, ex Codice vetusto a Montefalconio ΠΕΦΡΑΡΙΗϹΑΙΑΚΟΠΗϹ, ex quarum literarum ultimis Montefalconius fecit, ut videtur recte, ΔΙΑΚΟΠΗΣ, quia facile Δ cum Λ permutari potest. Ex prioribus Bahrdtius vult *περίφραξις*, et potest sane Aquila גדר ita transferre. Jerem. 25, 20. אֶרֶץ הָעוּץ est *τῆς γῆς Οὖς*, ubi Theodotionis affert Montefalconius *νήσου*. Bahrdtius censet *νήσου* vitiatum ex *γῆς ὖς*. Dan. 8, 9. מצעירה vertit Theodot. *ἰσχυρὸν*, quod cum a vulgato vertatur *paruum*, *modicum*, Montefalconius aliter legisse arbitrari videtur. Sed eamdem vocem lectam esse interpreti obseruat Bahrdtius, monetque, *τὸ* צעיר etiam de pastoribus, (in antiquo sensu,) de principibus heroibusque dictum, ubi et Zachar. 13, 7. Syrus צעדים vertit עללכא, *superiores*. Oseae 10, 5. לעגלות בית און יגורו Aquila, ut iam exstat, vertit, *τὰς δαμάλεις τοῦ οἴκου ἃς ἐσεβάσθησαν*. Illud *ἃς* Montefalconius habet pro vitiato, vultque legere *ἀνωφελεῖς*, quae emendatio longe profecto est petita, longeque abest a vestigiis scripturae. Neque idonea satis videtur ratio, quod Aquila soleat *τὸ* און aliis locis vertere *ἀνωφελεῖς*. Longe facilior et ingeniosa est Barthiana coniectura, sed tamen coniectura, suspicantis, Aquilam pro און legisse און, et hoc litteris Graecis, ut non raro solet, expressisse. Quale exemplum ipse Montefalconius obseruat ad Habac. 3, 17. ubi illi videtur Aquila חמס, quod vulgatur *αἷμα* Graecis litteris, scripsisse

αἷμα. Talis generis sunt complures hinc inde per totum opus dispersae notae atque observatiunculae, quae, melius forte factum esset, si indicio aliquo, ut ab Montefalconianis discernerentur, fuissent insignitae. Dubius enim incertusque, cuius quaeque sint, lector dimittitur. Sed melius est, utilitatem illum insignem in publicum conferre, quam laboris doctrinaeque gloriam sibi captare. In antiquis Codicibus MSt et editionibus saepe peccatum est a librariis, ut aut versiones duorum in unam confunderent, aut falsum praeponerent interpretis nomen. Diligenter id vidimus adnotatum in Hallensi nova Theodoreti editione a Cl. Schulzio. Horum et observatorum a Viro Cl., et praetermissorum satis magnum congessit D. Bahrdtius, maxima in Psalmis, numerum; quanquam non dubitamus, et ad reliquos libros non contemnendum in Theodoreto colligi posse spicilegium. Sed grati accipimus, quae sunt praestita, gratulamurque Critices sacrae et antiquarum versionum studiosis, librum hunc perutilem, rarum antea atque carum, studio Cl. Bahrdtii redditum parabiliorem.

ΣΕΙΡΑ ΕΝΟΣ ΚΑΙ ΠΕΝΤΗΚΟΝΤΑ *υπομνηματιστῶν εἰς τὴν Οκτατεύχον καὶ τὰ τῶν Βασιλείων, etc.* TOMVS SECVNDVS, *cura NICEHORI THEOTOKII, Monachi.*

Lipsiae, typis Breitkopfianis, A. MDCCLXXIII. fol. maiori.

Quae de huius libri descriptione tradidimus, cum prioris Tomi evulgati mentionem faceremus, ea illuc pertinuerunt fere omnia, ut certiores fierent lectores nostri, quo studio, qua laboris patientia, quo denique diligentia, Editor esset in hoc gravissimo negotio versatus. Nam qui contrahendis,

hendis, quibus repertus ille ſcriptus codex ornari augerique poſſet omnibus, nulli labori pepercerit, qui Auctorum, quorum Commentarii inſeruntur, vita enarranda, ſcriptorum genere commemorando, orationis indole notanda, editionum praeſtantiſſimarum locis et annis obſervandis, coniecturis et emendationibus depravatorum inſpergendis, illum librum inſtruxerit, eum inſigne ſtudium, eximiamque diligentiam adhibuiſſe nemo negaverit.

Quare, quin hoc Opus uſum quoque habeat eum, quem exſpectant et deſiderant eruditi et litterarum amantes, dubitari non debet. Nam Verſionis Alexandrinae traditum ſibi acceperunt exemplar, ex ſcripto Codice depromtum, in capitum et verſiculorum diſtinctionem, et lectionis varietate notanda cum Editione Franequerana, hoc eſt L. Boſii, collatum. Deinde in augendo emendandoque Opere Hexaplorum Origeniano Montefalconii utilitatem praeſtat. Cum fragmenta veterum Graecorum Interpretum, Aquilae, Symmachi, Theodotionis, interpretationes Syri et Samaritani, partim ſuo nomine, partim Commentariis Procopii et Theodoreti, ac ſcholiis vel Anonymi, vel Diodori Tarſenſis inſerta, afferuntur. Eſt ergo ubi hic Symmachi nomen citetur, cum apud Montefalconium Ἄλλος laudetur: exſtat Excerptum ex Theodotionis verſione Gen. 50, 19. quod apud Montefalc. deeſt; Gen 46, 21. in verbis ὁ Ἀςάδ, ὅθεν Ἀςάδιος, quaſi ὁ Ἀςάδιος in Graecis contextis reperiretur, ad quae Montef. obſervat, ſibi videri iſta verba olim irrepſiſſe, et ab Origene obelo notata fuiſſe. Sed ex hac catena intelligitur, illa ὅθεν Ἀς. eſſe additamentum Scholiaſtae. Cui ſimile reperitur verſiculo decimo adiectum, Ἰαμεὶν, ὅθεν Ἰαμενέοι, et v. 12. ut et v. 21.

Juvat etiam Criticam in Patribus Eccleſiaſticis. Nam ut commemoravimus, Scriptura exemplaris nonnunquam recedit ab editionum lectione.

Jam porro, cum in hac Catena magna copia occurrat Excerptorum e Patrum ſcriptis deperditis, et quidem eorum qui propter artem interpretandi celebrantur Diodori Tarſenſis, Didymi, Theodori Mopſueſteni, Severiani Gabalenſis, qui hic Severus dicitur, Severi Antiocheni, Euſebii Emiſeni, aliorumque, ut uſus huius boni promtior et facilior eſſet, utiliter feciſſe videretur Editor, ſi in Scriptorum, e quibus Excerpta recepta ſunt, vel Catalogo, vel Indice, deſignaſſet, ubi cuiusque loca reperienda ſint.

Neque tamen non ſubinde annotavit, non iſtorum eſſe quibus tribuantur excerpta, vel interdum, unde petita ſint, indicavit: quin etiam ea non haberi in inpreſſis Auctorum libris. Quod inprimis factum eſt in iis excerptis, quibus Theodoreti nomen praefixum eſt. Unde intelligere licet Theodoreti non integros adhuc ſed tantum ex integro Opere excerptos Commentarios ferri, quorum Editor Halenſis, Cel. Schultzius commode fecerit, ſi collectis ex hac Catena Supplementis, ultimum ſuae editionis Tomum inſtruxerit.

Graeca etiam Lexica poſſunt huius Catenae ope augeri. Vocabulum enim, quo Lexica carent, occurrit in loco e Theodoro e cerpto p. 408. Nempe in Alexandrina verſione Gen. 44, 5 Pharaonis poculum dicitur κόνδυ; *obſervat* Theodorus, κόνδυ μὲν τὸ λεγόμενον ἀπλοπότιον λέγει· quo vocabulo magna et ampla patera ad bibendum, ut etiam in vocis κόνδυ apud Athenaeum II, 7. p. 477. interpretatione eſt, denotari debet.

Age nunc etiam quaedam Criticae facultatis demus Editoris ſpecimina. Pag. 12. in excerpto ex Acacii ſcriptis legitur: παραδείσει τῆς ἀοικήτου (γῆς) τὴν οἰκουμένην, καὶ τῆς ἀκάρπου τὴν καρποφύτον. Ultima vitioſa ſunt. Editor legendum ſuſpicatur καρποφόρον ſed ſcripturae codicis propius eſſe καρποφυέα. In eiusdem ſcriptorum excerpto pag. 14. pro ου μόνον ἐπειδὴ, recte legit ου μὴν, *enim vero, quoniam.*
Quae-

Quaedam emendationes videntur tam certae, ut in textum recipi potuerint. Sic pag. 101. in loco Gennadii Constant. pro τῦ ἐκ φύλλων ἀντὶ τῶν φύλλων χιτῶνας ἑαυτῷ μηχανήσασθαι, legit verissime τοῦ ἐκ φλοιῶν. Nam φλοιὸς, *cortex*, propter similitudinem, de *spoliis et pellibus ferorum* quoque dicitur. — — Pag. 132. ad Gen. 6, 5. Idem Gennadius scribit, quia homines a deo desciuissent, et matrimonia illicita contraxissent, τῶν ἀθεωτάτων ἀνδρῶν ἐκείνων γέγονεν ἡ φορά. Haec lectio sana et melior est, quam coniectura Editoris φθορά. *Ingens et crebra improborum hominum fuit multitudo.* Nam φορὰ non tantum de proventu dicitur, sed etiam de caeteris rebus, quae cum copia et violentia quadam cooriuntur. Sic ὑετοῦ φορὰ apud Philonem de vita Mos. p. 603. D. ut καταφοραὶ ὄμβρων apud Aeschinem Socrat. in Axiocho 17.

In Excerpto ex Theodoreto p. 336. sic legitur: διατὶ οὐχ ὥσπερ Ἰσαὰκ τὸν Ἰακὼβ, τινὰς τῶν υἱῶν εὐλόγησεν, οὕτω καὶ Ἀβραὰμ τὸν Ἰσαάκ. Putat Editor, post Ἰακὼβ omissum esse καὶ Ἰακὼβ. Verissime.

Quae autem adhuc retulimus, cum ad huius Operis Tomum primum pertineant, supplementi loco sint eorum quae antea his in Commentariis de illo diximus et simul nos promisso soluant, quo nonnulla quaedam tandem, quum alter Tomus recensendus esset, nos additturos ostendimus. Is igitur alter Tomus, reliquos qui Octateuchum constituunt libros complectitur. Praemissus autem est Auctorum, e quorum scriptis excerpta habentur, Catalogus, quem excipit notitia Auctorum quorundam, scriptorumque ab iis librorum, quos priore Tomo non attigerat, Asterii, Eusebii, Photii, eodem ordine, quo superiores, descripta. Finem faciunt indices Alter locorum Sacrae Scripturae obiter explicatorum, alter rerum memorabilium, tertius denique ponderum et mensurarum apud veteres, ad nostrorum temporum modum reductarum. Ac in notitia quidem illa Auctorum,

ctorum, multa, quae ad historiam et rem litterariam pertinent, diligenter exponuntur, et erroribus quibusdam Fabricii, in Bibliothecae Graecae Opere deprehensis, occurritur.

In Critica igitur de Versionis Alexandrinae *locis* exercenda, eiusque textis, sicut in hoc Opere exstant, cum *de* varietate lectionis quaeritur, comparandis, utilitatem haec Catena praestat. Observatum est ab aliis, in verbis Gen. 6, 25. ubi Alexandrinorum Interpretatio in exemplaribus editis numerum centum et sexaginta septem annorum refert, in codice isto scripto, a manu secunda, centum octoginta septem legi, ut Hebraici fontes produnt, et quaedam exemplaria Graeca habent. Nos librorum in altero hoc volumine comprehensorum frequentem lectionis varietatem observavimus, cuius quaedam speciminina exponere iuvat. Jos. 2, 5. ὡς δὲ ἡ πύλη ἐκλείετο — — καὶ οἱ ἄνδρες ἐξῆλθον, καὶ οὐκ ἐπίσταμαι ποῦ πορεύονται, alii enim libri ultimo καὶ carent. Eod. cap. vers. 18. — συνάξεις πρὸς ἑαυτὴν εἰς τὴν οἰκίαν σου, pro quo libri vulgati habent σεαυτήν, ex glossemate ut videtur alterius lectionis, Alexandrinorum Interpretum consuetudini in usurpando Pronomine isto convenientioris; qua de ratione conferri poterit Vorstius Philol. c. 3. Ἱερουργοῦντες pro σαλπίζοντες Ios. 6, 8. παρῳκήσαμεν τὸν Ἰορδάνην, pro κατῳκίσθημεν παρὰ τὸν Ἰορδάνην, eiusdem libri c. 7, 7. Calcei Gabeonitarum, qui ad Iosuam Israelitarum ducem in castra, prope Galgata, venisse leguntur dicuntur ab auctore illorum Commentariorum Cap. 9. 5. καταπεπελματωμένα, de quo verbo disputatum est a multis, et nuper a Cel. Fischero in libello de Vers. Graec. V. T. Litt. Hebr. magistris. Cuius ad suspicionem reponendum esse καταπεπολτωμένα, fultam Oxoniensis Codicis scriptura καταπεπελτωμένα; proxime accedit, quae in hoc exemplo exstat, lectio καταπιπαλτωμένα. Ὁ λίθος οὗτος ἔσται ὑμῖν μαρτυρῶν, elegantius, pro ὁ λ. οὗ. ἔ. ὑ. εἰς μαρτυρίαν, cap. extr. Sic 1 Sam. 14, 47. καὶ Σαοὺλ ἔλαχε τοῦ βασιλεύειν habet etiam rectissime hoc exemplum, cum in

multis

multis libris iuncta duplici eorundem verborum Versione, additur καταχληρῶται τὸ ἔργον. Καμπῃ legitur in hoc Codice 1 Sam. 17, 20. pro στρογγύλωσιν.

Eodem capite Commentariorum Samuelis v. 23. Goliathus, qui traditur e castris Philistaeorum progressus inter utramque aciem stetisse, et certamine singulari componere bellum voluisse, dicitur in Aquilae reliquiis ὁ μεσάζων: in Alexandrina versione ἀνὴρ ὁ Ἀμεσσαῖος, pro quo ὁ μεσαῖος legendum vidit Grabius, dubitantibus adhuc eruditis, utrum Alexandrinis Judaeis, an Aquilae potius, ista verba sint tribuenda. At in hoc Codice reperitur ὁ ἀνὴρ ὁ Μεσήλιξ, quae ipsa vocabuli forma a Graecis Lexicis abest. Eiusdem libri cap. 18, 22. memorabilis illa est codicis lectio, ἀφαιρέσει ἴσῃ γαμβρός μου σήμερον, ἐπὶ ταῖς δυσὶν ἐπιγαμβρεύσεις, νυμφεύσεις ἐν ἐμοί, in quibus diversorum Interpretum versiones eorundem verborum cohaesisse planum est. Sicuti cap. 20, 9. ubi pro μηδαμῶς σὺ vel σοι. Codex ista habet ἵλεώς σοι, μηδαμῶς σοι. Cap. 28, 18. legitur in eadem versione vulgo καὶ οὐκ ἐποίησας θυμὸν ὀργῆς αὐτοῦ, quae conveniunt quoque verbis Hebraicis; at in textis eiusdem, quae hoc in codice insunt, habetur καὶ οὐκ ἔπλησας θυμὸν ὀ. α., elegantius sane, et ad sententiam exprimendam accommodatius.

De reliquis etiam utilitatis, quae ab hoc Opere praestatur, partibus dicemus. Aquilan Ios. 8, 18. vocem Hebraicam כידון interpretatum esse γαῖσον, docemur ab iis, a quibus adhuc collecta huius et reliquorum graecorum Interpretum fragmenta habemus. Iam cum ipsa interpretis verba in Codicis Alexandrini Scholiis corrupte sic exhibeantur, σὺν τοκετῷ, in huius Catenae pag. 50 Tom. 2. incerti auctoris scholio, minori litterarum aberratione, proferuntur σὺν τῷ κεσῷ, in quo simul, auctoritate Diogeniani Grammatici, qua etiam Eusebius Emesenus utitur, hoc teli genus explicatur, ἐμβόλιον ὁλοσίδηρον, denique idem esse quod ὑσσόν. Quod

 ipsum

ipſum vocabulum reſtituendum erat Procopio, cuius verba praecedunt, in quibus male ſcribitur νύσσον.

Ad ipſius Aquilae interpretationem verborum libri 1. Sam. 17, 8. pertinet Scholion, quod e Cod. *Coislin.* ſec. ad Origenis Hexapla p. 295. Tom. 1. edidit Montefalconius, cui praeſcripta ſunt verba, Ἰωάννου ἐκ τοῦ εἰς τὸν Ἡσαΐαν· Ἰασοὺβ τῇ Ἑβραίων γλώττῃ ἡ ἀναστροφὴ λέγεται, καὶ ἡ διαγωγή· etc. Hoc ipſum autem in hac Catena p. 391. Tom. 2. legitur integrum, niſi quod pro Ἰασοὺβ eſt ἰεσοὺβ, et pro ἀπαγγελεῖς, ἀναγγελεῖς. Incerto vero auctori tribuitur. Ven. Editor, quoniam Theodoretus ex his pauca quaedam habet, Theodoreto tribuendum putabat. Ac ſane locorum in Theodoreti Commentariis, quae huius Operis auxilio vel emendari, vel ſuppleri poſſint, mira eſt copia. Etenim quae Excerpta Theodoreti nomine ſignantur, ea non ſolum lectionis varietate crebra ſed etiam acceſſione larga ab Commentariorum eius editione, cum Pariſienſi, tum *Halenſi*, differunt. Quod, cum ſingulae propemodum paginae declarent, paucis quibusdam exemplis demonſtrare nihil attinet. Vel paullo longius illud Excerptum, quod pag. 468 — 471. continetur, eorum quae dicta ſunt fidem fecerit. Sic etiam Origenis quaedam, quae in editis deſint, hic leguntur: v. c. p. 49. et aliorum. Et admonuimus ſupra, Criticen *in* Patrum ſcriptis hac Catena adiuvari.

Sed ab ipſo etiam Ven. Editore nonnullae, quamquam in hoc Volumine quam in priore parcius, emendationes locorum vitioſorum, et ſuſpiciones, adnotationibus adſperſae ſunt, e quibus pauca delibabimus. In Excerpto e Procopio p. 47 verba haec ſunt: ἦ γὰρ ἄν, οἱ τοσοῦτοι μόνον ἀπώλοντο, quibus adſcripſit, ſibi rectius videri ἤ. Nos, qui ἦ γὰρ Heſychio auctore idem eſſe quod ὄντως γάρ, *vere*, *profecto*, apud optimum quemque ſcriptorem ſciamus legi, quid vitii inſit illis non videmus. Hac autem praeſtat illa emendatio, qua in excerpto ex eodem Auctore p. 81. lacuna, ἐν οἷ δια-

Φῇς

φερ — — — λαμβάνουσι, expletur per οἱ διαφέροντες τὴν ἀρετήν, cui adſtipulatur etiam Interpres Procopii latinus, qui vertit: *quam excellentiores accipiunt*, e quo tamen cognoſcere liceat, ſcriptum tantum fuiſſe, διαφέροντες. Pag. 95. Eiusdem verba ſunt: οἳ καὶ ὑπομένουσιν οἰκεῖν ἐν τοῖς κεκρανωμένοις ἐθέλοντες· ὃ δηλοῖ τὸ Ἐλώμ. Hic autem ſuſpicari ſe ſcribit, fortaſſe legendum eſſe κεκριγμένοις a κρίζω, quod genus verbi quale ſit aut quam hic ſententiam ferat, non reperimus. Retinendum autem eſſe illud κεκρανωμένοις ſuadet Interpres itidem latinus, qui pro iſtis haec habet: *qui etiam habitare volunt in locis ornatis, quod Elom ſignificat.* Cuius interpretationis margo exhibet notulam hanc: „Structis nimi„ruum aedificiis cum inſignibus columnis. Κρανίον enim ar„chitecti Corinthiae columnae partem vocant." Nihil adnotationis eſt ad verba in Excerpto e Procopio pag. 292. μὴ μεγάλα φρονεῖτο Φινεάνω (quae vox aperte vitioſa eſt) ἐν τοῖς ἀνθρωπίνοις πλεονεκτήμασιν. Particula e Philone p. 294 cum libro, quod Deus ſit immut. e quo recepta eſt p. 295. ed Franc. comparata, levem aliquam invenimus diſcrepantiam. Hic, ὧν εὔτεκνος καὶ εὔπαις ἡ φύσις, quae lectio melior videtur quam quae illic in Catena eſt, ὡς: porro hic παρεῖται, illic παρίεται. Quem ad modum 1. Sam. 12, 23. in Verſionis Alexandrinae Editionibus eſt ἀνιέναι, at in hoc libro ἀνεῖναι. Excerptum aliud ex hoc ſcriptore p. 287. cum libro de Temul e quo ſumtum eſt p. 262. collatum, diverſas refert ac paullo praeſtantiores lectiones. Nam illic, in Catenae Opere, legitur παμπόλλη γε παῤῥησία τῆς Ψυχῆς, ἡ τῶν Χαρίτων τοῦ Θεοῦ πεπλήρωται rectius, et orationi totius loci convenientius, quam quod hic editur, περιουσία. Mox πρῶτον μὲν γάρ, pro πρῶτον μὲν γε. Tum vero, σπονδὴν ὅλον δι' ὅλων γενέσθαι τε καὶ σπένδεσθαι Θεῷ, pro σπουδὴν ὅλον δι' ὅλων γίνεσθαι τε καὶ σπιύδεσθαι Θεῷ, quae ſententia deſtituuntur prorſus, nec ab Interprete latino ſunt intellecta. Denique παραγαγὼν δὲ ἔξω, quo tamen προαγαγών, quod edi-

 tio

tio habet, praestare videtur. Neque vero, quod miramur, nescimus, quo pacto ratio habita est huius diversitatis ab Editore. Pag. 427. incurrimus in locum corruptum, nec Editoris cura sanitum. Nam in verbis Origenis, quae ibi laudantur, δηλοῖ ὅτι διὰ νόσον ἢ δι᾽ ἁμαρτίαν παρέμεινε Δωὴκ ὁ Ἰδουμαῖος ἐνώπιον Κυρίου θεραπευόμενος καὶ ἐξομολογούμενος, ἢ Δαιμόνων, ὡς ὁ Σαοὺλ, — legendum est δαιμονῶν, *insaniens*. Pag. 456. vocabulum λυγμὸς, quod a Procopio Aquilae esse memoratur, manifesto corruptum est. Restituendum νυγμὸς e Theodoreti verbis, νυγμὸς ὁ Ἀκύλας ἑρμήνευσεν· (εἴρηκεν habet edit. Hal.) Ἀπεδυσπέτησεν autem, in verbis e Chrysostomo excerptis p. 307. utrum recte habet, an legendum est ἀπεδυσωπήσεν? Suspectum est Ven. Editori vocabulum in Alexandrina Versione 2. Sam. 12, 31: καὶ διήγαγεν αὐτοὺς διὰ τοῦ πλινθίου. Videtur enim ipsi legendum esse πλινθείου, ut locus intelligatur quo lateres coquuntur. Nam πλινθίον esse aciei instruendae formam, auctore Suida. De qua notione vocis disputant quoque Oudendorpius ad Thomam Magistrum, et Piersonus ad Moerin: quorum Grammaticorum uterque eam ab Atticis, qui πλαίσιον dicant, non adhiberi scribit. Sed nec his hic opus est, nec ut desideremus loci magis quam rei commemorationem, ulla necessitas cogit. Πλινθίον vel πλίνθος est later, *laterculus*. Dicitur autem Davides homines istos διαγαγεῖν διὰ τοῦ πλινθίου, *exercuisse laterculis coquendis*, quemadmodum in superioribus, τιθέναι ἐν τῷ πρίονι, καὶ ἐν τοῖς τριβόλοις τοῖς σιδηροῖς, καὶ ὑποτομεῦσι σιδηροῖς, et ipsa rerum, quibus continerentur et exercerentur, non locorum, scimus esse vocabula. Adeoque paucis, quibus una huius versiculi loquendi forma constat, verbis recte perceptis, reliquorum etiam intelligendorum facultas nascitur, et error imperitorum, qui accusandae Davidis saevitiae crudelitatisque hinc sumunt argumentum, revincitur. Denique, quo minus isti coniecturae faveamus, etiam dubia vocabuli πλινθείου auctoritate movemur.

Pag. 710.

Digitized by Google

Pag 710. in excerpto e Theodoreto, ubi ſcribit, quae Alexandrini Interpretes 1. Reg. 10, 12. ἀπελέκητα ξύλα vocent, ea Joſephum dixiſſe πεύκινα, ſed τοῦ συκίνου ξύλα καὶ λευκότερα εἶναι, καὶ λειότερα καὶ στρυφνότερα, oſtendit ſibi placere pro στρυφνότερα legi στιλπνότερα, propter verba Joſephi in proximo excerpto λευκότερα δὲ ἐςὶ καὶ στίλβει πλέον. Nobis ſecus videtur. Vocabulum στρυφνὸς exquiſitius eſt quam ut ſit a librariis, et non potius ab ipſo Auctore profectum. Occurrit apud Platonem, ut docent loci a Ruhnkenio ad Timaei Gloſſas Plat. in quibus στρυφνὸν explicatur στερεὸν p. 169. obſervati, quanquam Atticis peculiaris cognatae forma vocis fuit, στιφρὸν, in vulgari vero communique uſu auctore Moeride, qui monet, Στιφρὸν, Ἀττικῶς· στριφνὸν Ἕλληνες maxime. Ac de duritie quidem lignorum dici, ſcriptorum plurimi loci demonſtrant, nonnulli etiam cum λεῖον iungi docent, veluti is, quo Pierſonus ad Moeridem p. 342. utitur, Philoſtrati Icon. lib. I, c. 10. ξύλα δὴ, ὅσων δεῖ τῇ λύρᾳ, πυξοῦ πάντα στρυφνοῦ καὶ λείου τὸν ὄζον. Nitorem ergo lignorum, quem Joſephus verbo στίλβειν denotat, eo indicat Theodoretus, quod dicit λειότερα εἶναι, ad eorum duritiem autem cum alia quaedam in oratione Joſephi referantur, cur non et στρυφνότερα recte dici concedamus?

Sunt etiam alii loci, in quibus non adſtipulemur correctionem mutationemve tentanti. Sic pag 191. in verbis Theodoreti participia διελέγξας — καὶ ἀπειλήσας velle permutare cum διήλεγξε καὶ ἠπείλησεν, et ſequentis verbi φησὶν apodoſeos loco illuc referendi rationem coactam dicere, id nobis ad deſtruendam periodi elegantiam pertinere, et ſine neceſſitate fieri videtur.

Eſt inter Chryſoſtomi orationes ea, quae incipit his verbis: πάλιν Ἡρωδιὰς μαίνεται. Eam Savillius et Monteſalconius non genuinam putant, inepti potius Graeculi

mentationem esse volunt. Sed cum non solum Anastasius Sinaita, in Quaestionibus ad Sacras Scripturas, multa Chrysostomi ex ea proferat, sed etiam huius Catenae concinnator ea utatur pag. 226. Tom. 2. intelligere licet, veteres aliter statuisse, et istorum Criticorum falsum esse iudicium.

Verborum, quibus Lexica Graeca augeri possint, praeter κριοῦν, de quo dictum est, προπαιδαγωγηθῆναι in excerpto Anonymi pag. 721.; ἀτιμοποιὸς e Basilio pag. 103.; καταφαιδρύνειν e Cyrillo pag 303.; plura quin reperturi sint, qui iusta diligentia in his indagandis utantur, non dubitamus.

Quae ex veterum Interpretum Christianorum scriptis, Judicum Libro praefandi caussa huius Operis concinnator praemisit, declarant pietatem curamque antiquorum in retinenda et tuenda Librorum Sacrorum auctoritate. Quam negligunt improbe et sollicitant temerarie nostris temporibus, qui, vel quod sua culpa certa de divinitate eorum persuasione carent, vel quod novitatis studio ita laborant, ut in transversum agantur, plurimos Veteris et Novi Testamenti Libros tamquam parum idoneos doctrinae divinae percipiendae, ex eo quod confectum habemus corpore, quantum in ipsis est tollunt.

MÉMOIRES

Digitized by Google

MÉMOIRES SUR LE PATRONAGE, et sur les Droits vulgairement nommés honorifiques des Patrons et des Haut-Justiciers. Ou l'on montre, que les droits du fondateur, qui sont partie du patronage, savoir, le droit de nommer a son églife; celui d'en donner, au ministre qu'il nomme, la possession ou l'investiture; celui d'y apposer ses armoiries; celui de banc au choeur et de sepulture, sont des droits de propriété, qui ne peuvent naitre de la jurisdiction.

Lutetiae Parisiorum, apud J. Th. Herissantum, 1768. pagg. 672. in 8.

Opus hoc cuiusdam iuris consulti Francogallici, quod doctrinam spirat, inprimis historiae ecclesiasticae Conciliorumque magnam notitiam, e lite quadam inter patronum et iudiciarium est ortum cum hic sibi ius, insignia sua in templo suspendendi, et primum in choro locum tenendi, vindicare vellet. Est igitur consilium auctoris, in hoc libro demonstrandi, suorum insignium in aede suspensionem, in eaque sepulturam, et in choro sessionem; revera ad dominii iura pertinere, quod, exclusis omnibus aliis, patroni in templo est, neque igitur illi ad id singulari opus esse permissione, neque praeter eum quendam, ne iudiciarium quidem, cui praecipuum est rerum omnium per parochiam iudicium, iura ea, invito patrono, consequi posse. Omnis igitur tractatio his duobus nititur principiis: patronum esse suae aedis dominum, ob eamque causam omnia iura ab ea dependentia ad eum exclusive pertinere: iura sepulturae, insignium in aede, et in choro sessionis, certa et vera esse dominii indicia.

iudicia. Statim in principio pag. 5. auctor observavit, ratione tributi patrono iuris dominii, inter fundatorem plenum, qui templum suis sumtibus et sua pecunia exstruxit, et inter eum, qui aut locum ad id concessit, aut aedificavit tantum, aut nonnisi dotavit esse distinguendum. Illi soli dominium, huic vero condominium A. tribuit et de utroque agit in duabus partibus diversis. — Qui suo aere, et suis quidem sumtibus exstruxit aedificum templo destinatum, is non ante consecrationem solum utriusque, ut ceterarum suarum rerum, est dominus, sed et post consecrationem, exclusis omnibus, rerum omnium manet possessor, de quibus ad usum publicum ecclesiasticumque traditione ius suum non concessit, pag. 7. Ad hoc confirmandum tria profert argumenta: α) institutio religionis, evangeliique cultus, minime requirunt, ut aliquis suum amittat dominium. Lex ceremonialis, quae desiderabat templum, abrogata, et cultus divini nulli sunt adstricti loco. Sacra coena privata instituta in domo; potestas ecclesiastica spiritualis est tantum, neque igitur potest constituere, ut quidam suam ad templa conficienda suppeditent possessionem. Christiani primi nulla habuerunt templa, in domibus convenerunt privatis, aliisque locis, eamque ob causam gentiles saepe iis exprobrarunt, quod templa nulla arasque haberent. Inde a Constantini tempore, et nunc quoque, sacella sunt privatis in aedibus, in quibus hero perfectum convenit dominium, ut non solum destruere aedificium totum, aut in usus alios transferre, sed et de vasis ad id pertinentibus consecratis pro arbitrio possit statuere pag. 17. β) Populo tantum fundator usum concedit irrevocabilem, minime vero templi possessionem, pag. 23. Sunt, inquit auctor, quatuor diversae opiniones, quae omnes eo spectant, ut ius dominii in aede amittat fundator. Quarum prima ab iuris Romani interpretibus Sec. XVI. orta est, qui principium iuris Rom. *quod sacrae res sint divini iuris, et in nullius bonis*, ad christianorum templa exten-

extenderunt. Secundae auctor est Papa Gregorius VII. qui omnia templa et bona ecclesiastica ad se rapere cupiebat, proptereaque constituit, ut consecratione fundator ius dominii perderet, et illud ad Deum ecclesiamque, quibus verbis revera se ipse intelligebat, deveniret. Bonifacius VIII. eum secutus, dum in sua collectione decretalium (cap. 51. de R. I. in 6.) constitueret: *semel Deo dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum;* et ficta suppostitiaque Hygino Papae epistola decretalis (in c. 38. Dist. I. de consecrat.) ex hac nova doctrina hanc elicuit consequentiam: laicus ne materiam vastati et destructi templi quidem suos in usus transferre debet. Tertia est Episcoporum, qui fundatoribus quidem hoc praetextu, id consecratione in Deum esse translatum, adimere ius dominii, rem autem in se trahere volunt, dum consecrationis effectus quoque ad bona ecclesiastica exendunt, eorum autem constitutionem sibi sumunt, patronatum esse ius ab ecclesia tantum i. e. ab episcopo concessum exponunt; quae a plerisque iuris canonici interpretibus approbantur principia. Denique in Anglia, regnante Henrico VIII. templorum dominium reipublicae et regi est attributum. — Ad has opiniones refellendas, non demonstrat auctor solum, ex legibus Rom. de templorum gentilium consecratione, nullum duci posse argumentum contra dominii ius fundatoris templi christiani; potius in seculis quoque omnibus et provinciis christianis id fundatori esse concessum. Quod ad primum attinet, defendit pag. 31. auctor, apud Romanos quoque dominum, publica rei suae consecratione, minime amisisse dominium, sed phrases, *in nullius bonis esse, et diuini iuris esse,* longe aliter esse intelligendas: nempe illam tantum de potestate arctius cohibita, ne ea vendant, hanc vero de destinatione ad Deum colendum. (Ad hanc vero e regione repugnantem sententiae legum Rom. confugere hypothesin non erat necesse; per se enim intelligitur, iura gentilium non esse posse iuris canonici fontes.) Alterum autem argumentum accuratius est elabora-

 tum,

tum, nempe omnibus temporibus christianae ecclesiae fundatori concessum esse, dominium, pag. 68. Auctor enim partim ad conciliorum Rom. canones, partim ad leges Synodosque Francogallicas, partim ad certa provocat documenta. — In XXII. Concilii Romae ao. 826. habiti canone est: monasterium vel oratorium canonice constructum, a dominio constructoris, eo invito, non auferatur, liceatque illi id presbytero, cui voluerit, pro sacro officio illius dioeceseos — commendare. Hic autem sub oratorio nil nisi templum, et sub dioecesi parochiam esse intelligendam, contextus docet: quae constitutio in concilio Rom. ao. 833. non repetita solum, sed postea quoque in Gratiani collectionem in c. XVI. Qu. 7. c. 33. est translata. Sub Imperatoribus enim primis christianorum, distinctio inter publica, quae urbis alicuius erant, et in loco publico exstructa, et inter privata templa, in suo fundo a privatis condita tantum ad usum domesticum, aut etiam, quod saepe accidit, ad populi usum, et propterea vere erant parochialia, est introducta; quae distinctio multis, vt C. 2. 14. 21. C. Th. de haeret. L. 5. 6. C. Inst. de haeret. nititur legibus. Et tunc temporis privatos in templis ab ipsis fundatis plenum retinuisse dominium, variis ex circumstantiis legum apparet ab Imperatoribus latarum. Licitum enim erat fundatori, locum, in quo eius templum erat positum, vendere, pag. 81. vt ex L. 10. C. de haeret. et Nov. 131. cap. 14. cognosci potest, vbi haereticis ne vendant tantum interdicitur, eo ipso respectu fidelium usui permittitur. — Licebat illi reficere templum, id vero etiam ruinosum esse, nec ad prius plano, si deessent opes, poterat cogi, pag 85. Quomodo autem illud pro aucto is sententia ex L. 10. C. de haeret. et ex Nov. 67. cap. 1. et 2. sequatur, non intelligimus. Multo magis dicta Novella contrarium indicare videtur, quae disertis praecipit verbis, vt fundator alicuius aedis illam quoque sufficienter ad conservandum dotet et instruat. — Secundum legem laudatam, publicatione bonorum ius suum

poterat

poterat amittere, pag. 87. — Erat manebatque perpetuus templi possessor, pag. 90. — Licebat illi, colendi Dei gratia, constituere presbyterum, pag. 93. — Gregorius M. et Johannes VI. pontifices, rescriptis quibusdam fundatorem alicuius templo instructi ornatique monasterii, possessorem vtriusque iudicant, et ei potestatem statuendi de illo tribuunt. — Ex legibus et Synodis Francogallicis pag. 99. sequuntur haec: constitutione quadam Caroli M. de ao. 804. ex qua cap 44. qu. 1. C. XVI. est sumtum, vnicuique permittitur, suis praediis propriis templa vt constituat, et limitatio, id fieri debere episcopi voluntate, de qua in Concilio Aurelianensi ao. 541. aliisque antea mentio fit nulla, hic primum est addita. Quoniam vero regnante Carolo M. hanc defendere coeperunt opinionem, aedis fundatorem non posse illam vendere: deinceps ao. 794 lege in comitiis lata libertas alienandi diserte illi est concessa, et talibus quidem circumstantiis, quae de parochiis tantum possunt explicari. Constituit Lotharius, vt, si quis volente episcopo condidisset in suo fundo templum, et baptisterium in illo consecrandum curasset, *ideo is non p rdat proprietatem.* In nonnullis capitulis, et concilii ao. 865. Triburi habiti canonibus, ex quibus cap. 36. qu. 7. c. XVI. est desumtum, occurrunt constitutiones, de modo procedendi in hoc casu, si cuius aedis heredes de partitione, inprimisque de iure eligendi presbyterum, non possint transigere. — Documenta denique, quae pag. 111. auctor, ad thesin suam confirmandam protulit, sunt multae donationis litterae, in quibus fundatores aut possessores aliis, inprimisque ecclesiis et monasteriis, sua concedunt templa. Tertium argumentum, quod ad patroni dominium roborandum adduxit autor, fortasse vero levissimum, hoc est: est possessoris, templum suum ad sacra procuranda tradere presbytero, ergo fundatori licet eligere presbyterum et designare, quanquam clericorum ordinatio ad potestatem ecclesiasticam pertinet, pag. 131. (Tam firmum praesentationis ius patroni esse,

et tam certum, multis hic ex historia legibusque sumtis argumentis redditur, quod ipsi auctoris adversarii non negant, inde tamen non sequitur, fundatorem esse dominus templi suis sumtibus constituti.) — Ex his argumentis collectis consecutionem fecit pag. 170. vt fundator tamdiu templi alicuius, quamdiu ipse id non vendiderit, semper retineat dominium, quanquam certa de suo iure cesserit, et nomen domini in titulum sit mutatum patroni. — Nunc vero ad alteram huius libri partem pervenimus, qua auctor demonstravit, iura sepulturae et insignium in aede, nec non sessionis in choro, certa dominii esse indicia, propterea nullius praeter patronum esse. Diiudicando hoc, tres diversas assumit epochas: prima, quae usque ad seculum XVI. extenditur, ubi fundatores aut patroni tantum illa exercuerunt iura, et praeter eos illa nemo possedit, pag. 209; altera, ubi alii, qui neque fundatores, neque patroni, astu aut vi aequalia sibi cum fundatore sumserunt iura, quorum interpellationes autem legibus sunt interdictae, pag. 486; tertia denique pag. 497. continet perpetuam Parlamentorum Galliae sententiam, laboriose ab auctore per omnia secula conquisitam, qua ea iura, excluso iudiciario, solius sunt patroni. — Per se iudiciarium, pro suo iure, non eadem sibi cum patrono iura sumere et exercere posse, sed huic tantum tributum esse ius, nemo negabit. Quod vero patronus sit dominus suae aedis, sensu quidem eo, quo auctor intelligit, id iuris canonici interpretes non facile adprobabunt, quanquam eius rationes, multa doctrina confirmatas, refellere non poterunt.

MEMORIA

Digitized by Google

MEMORIA JACOBI THEODORI KLEINII, Gedanensium Secretarii primarii, Academiae Petropolitanae, Societatum Litterarum Londinensis, Bononiensis, Teutonicae Jenensium, ac Physicae Dantiscanorum Sodalis.

Quantae sit utilitatis dignitatisque naturae indagatio, manifesto apparet inde, quod mentem humanam non solum ad Dei ipsius cognitionem attollit, atque est quaedam facilis paedagogia ad concipiendas confirmandasque honestas opiniones de sapientia artificis, eiusdemque potentia et bonitate; sed jucundissima etiam ac dignissima complet voluptate, rerumque caducarum sublimi despicientia et contemplatione instruit. Res igitur postulat, ut, nisi parum grati memoresque videri velimus, ultro lubentesque recordemur viri, qui nobilem illam disciplinam non minore studio ipse, dum viveret, tractavit, quam universam fere Germaniam praeceptis solidioribus in scrutinio naturae adiuvit diligenter. Quidni enim iucunde perfruamur memoria *Kleinii*, in rebus physicis et apud posteros gloria meritorum insignis, de quo sine vanitate videmur posse contendere, pares ipsum perpaucos, superiorem sua aetate habuisse neminem. Prae caeteris in hoc viro verum esse cognovimus, quod perhibetur a multis, unumquemque ad singularem artem et studium formari a natura: nam haec ipsa sui amorem inseverat tenerrimo eius animo, qui tandem auctus ita crevit, ut non nisi morte posset extirpari.

Extulit regius mons Borussiae, unde tot viri clarissimi descenderunt, *Jacobum Theodorum Kleinium*, a. d. 15. Augusti anno superioris Saeculi quinto et octogesimo. Sicut ipse ille locus natalis ducitur gloriae vix spernendae; ita perhibetur maioribus ortus noster haud minus poenitendis, e

quibus, ut caeteros taceam, sine piaculo praeteriri nequit tritavus, *Simon Kleinius*, discipulus Lutheri, primus qui sacra puriora profitebatur Marienwerderae. Cuiusmodi radicibus, quasi germen, editus est *Jacobus Kleinius*, regi Borussiarum in supremo provocationum Senatu a consiliis, qui, quum tali ab indole nihil humile, nihil abiectum, prodire posset, hunc nostrum progenuit ex Dorothea Munckenbeccenia. Haec puero, de sua gente, non parum dignitatis ac decoris addiderat. Olim enim gens Munckenbeccenia floruerat in Brabantia, unde se, ut solent boni cives malle amittere omnia et exulare, quam, quum liberi nati sint servire tyrannis, inter gravissimas illas Hispanorum vexationes, relictis omnibus, quibus affluebat, dignitatibus ac divitiis, contulerat in Borussiam, hospitali manu accipientem extorres, splendidiusqe ornantem. Hanc a parentibus acceptam gloriam, *Jacobus Theodorus* innumeris auxit virtutibus, maioribusque se suis praestitit dignissimum.

Prima quidem humanitatis et litterarum elementa in ipsis aedibus patriis hausit, instructus a fidissimis paedagogis; sed postquam excesserat ex ephebis, statim sexto ac decimo anno reliquum ingenii cultum capessivit in academia patria, in qua iurisprudentiae, historicis, ac mathematicis operam dedit ardentiorem: intentum vero gravioribus studiis animum, ne tamquam arcus rumperetur, relaxaturus, idem artes etiam alias tractavit, potissimum illas, quae sororio nectuntur vinculo, poesin ac musicen. Ingenium a natura nactus erat tale, quale, qui non a limine Musas salutare velint, sibi optare debent. Nam facile lautissimis elegantissimarum artium disciplinarumque copiis erudiebatur. Opes vero suas ex omni terrarum parte aucturus, ecce! capit consilium ad exteros proficiscendi. Caelum igitur, non animum ille mutat, nec dissimilis Aristippo, ut, quae non haberet, acciperet, peregrinanti, discendi avidissimus facit iter per Germaniam ad Belgam, transmare tandem currit ad ipsos

ipsos Britannos, recurrit, Alpesque petit Tirolenses, a Gallis tamen prohibetur solo regis sui interdicto, ne cives trans Rhenum effoeminentur metuentis. Apud eos vero, quos licebat adire, modo iungit amicitiam cum viris doctissimis, modo principibus, inprimis Germanicis, placere studet, ac, mihi credite, quum haec gesta sint primo huius saeculi decennio, vere placet homo litteratus. Prae caeteris se insinuat in gratiam Caroli Philippi, Palatini, a quo eadem benevolentia refertur inter Consiliarios, qua, ut in ipsius aula maneat, mille adpensis illecebris invitatur. Quamquam bene ibi est, haud tamen videbatur esse patria, cuius priscus amor rediit, omni conditione valentior, quod natale solum sua trahit plerosque homines dulcedine. Postquam igitur absens per quinquennium fuisset, fit redux in Borussiam, ubi vero, eheu! triste excipit desiderium eius, a quo vita, libertas, civitas, viaticum, omnia tradita fuerant. Diem obierat optimus parens paucis ante hebdomadibus.

Dicitur *Phocion* in ipso mortis periculo praecepisse filio, ne ob patris mortem patriam odio haberet. Haec nostro quidem hac de caussa non fuit invisa, (nam *Jacobus* nulla vi, ut iste Atheniensis, ereptus, sed morbo extinctus erat:) sed minus tamen grata videbatur, quum nihil nisi ossa eius amplius contineret, qui vita sibi carior fuisset.

Mavult igitur mutatione soli, quam temporis longinquitate, dolori suo mederi, a parentis sepulcro paucis post mensibus Gedanum proficiscens, ubi vero non diu moratur. Namque navigat inde in Sueciam, quum huius Saeculi annus XIII. ageretur, mox redux, longius abiturus. Interea loci praeter opinionem a Senatu populoque Dantiscano ad secreta vocatus, mutavit propositum, posuitque domicilium in urbe, nova dignitate adeo contentus, ut, quamvis potuisset, numquam vellet, maiores honores capessere. Optime in hac provincia de republica meruit. Nam legationes, quae

quae pro illuſtrioribus habebantur, per Kleinium adminiſtratas eſſe conſtat. Saepius Dreſdam miſſus ad Auguſtum Poloniarum regem, mandata peregit fideliter: ſequutus eſt Petrum I. Ruſſorum Imperatorem, quocum in civitate patria de Dantiſcanorum rebus agere coeperat, ut legatus, Stettinum, Berolinum, Hamburgum, Pyrmontum, Roſtochium, uude profectus idem legationem aliam perfecit Hannoverae ni aula regis magnae Britanniae, ultimam vero, eamque non minus honorificam, ſuſcepit quum Auguſto III. de nuptiis filiae Siciliarum regi collocatae, nomine reipublicae gratulandum eſſet. Eadem prudentia functus aliis eſt muneribus publicis, in ſanctiore tabulario, in cancellaria inferiori, nec non in conſcribendis publicis haereditatum emtionumque commentariis.

Quantum vero profuit rei Gedanenſium, tanta, imo diceres longe maiora, commoda litteris praeſtitit. Quamneim a prima iuventute imbiberat cupiditatem res naturales perſcrutandi ſagacius, quando puero licuerat una cum patre, venatoribus tum praefecto, multum eſſe in ſylvis, illam mirifice aluit aetas adultior, ac ne provecta quidem ſatiavit, quod ex eiusdem operum praeſtantia et aeſtimatione ſatis ſuperque colligitur. Nihil dicam de conatibus in academia et peregrinationibus, etſi praeclaram eo iam tempore navaverat operam hiſtoriae naturali, potius laudo ſtudium indefeſſum, quo domi ad intima diſciplinae reconditae penetralia ferebatur. Ut enim botanicis melius daret animum, aedificavit hortum valde amoenum, in quo maxima copia plantarum exoticarum creſceret. Hanc ſibi immenſis ſumtibus comparaverat, inito cum phyſicis clarioribus commercio litterarum, novisque in dies augebat incrementis, quantum ex triplici catalogo, a ſe edito, apparet. Natura ſimilis eſt mulierculae, quae non uno, ſed pluribus lenociniis, procos attrahit. Itaque non plantas modo, ſed quidquid rarum et ſingulare geſtaret in ſinu, protulit *Kleinio*, Muſeum in ſuo genere

genere expletum perfectumque instituenti. Superbiebat id in eius horto magnifice extructum, ut aedem Naturae ibi credidisses dedicatam. Ipse de memorabilibus, quae in hoc penuario physico visebantur, conquisiverat in vicinia Gedanensium plura, quam ibi latuisse antea unquam esset creditum. His adiecerat alia, a *Fischero*, professore Regiomontano, in itineribus per Germaniam, Hollandiam, Angliam, Galliam et Italiam, suo nomine coemta, in quibus erant conchylia *Witsenii*, consulis Amstelaedamensis. Suo aere conductum misit hominem in Succiam, petrefacta Gothlandica congesturum. Quid? quod ne Europa quidem eius aviditatem naturae cognoscendae poterat continere? Ab his enim plagis reliquas etiam petebat, aliis litteris orientem, aliis occidentem contingens, ut, quo plura possideret, hoc acrius, quae nondum haberet conquireret, nec raro, nullis parcendo sumtibus, accipiebat. Quam prae se famam tulerit locupletissimum *Kleinii* Museum exinde colligas, quod summos viros habuit admiratores. Non poterant reges ac principes, per vrbem proficiscentes. pedem ex illa referre ante, quam suos ipsi oculos his admirandis pavissent. Non dicam, quod tales divitias adeo multi Gedano inviderint. Factum enim est, vt collectio succinorum, quorum ingens erat numerus, Dresdam deferri iuberetur a rege Poloniarum, reliqua, rara quae collecta erant, Byruthum, ad Marchionem Culmbacensem.

Quibus instructus subsidiis, *Kleinius*, quum tam ipsos naturae proventus haberet in manibus, quam scriptores rerum physicarum optimos consuleret, quid emendandum, quid inveniendum superesset, eo facilius animadvertit. Coepit igitur ante omnia aliquas partes historiae naturalis illustrare: ac primum plantas horti sui rariores descripsit, deinde suo quosque ordine tubulos et echinos marinos, vsque dum haud ita multo post campos latiores suis in regnis na-

tura ipsi aperiret. Cumprimis animum adduxit ad animalia, quae novo facilique ordine per classes definiret, initio facto a piscibus.

Hos ille quinque missibus ad iustum ordinem quum redegisset, emisit prodromum historiae avium, futuro tempore copiosius scribendae. Quod opus latino sermone confectum, bibliopolae Goettingensi, Luzaco, commiserat imprimendum. Hic vero quum spem fefellisset, ipse in vernaculam transtulit ante obitum, et cum augmentis non paucis suis reliquit. Tanto cimelio ne careat res physica, debetur curae Godofredi Reygeri, qui post auctoris mortem nobis eius copiam facere voluit. Praeter piscium genus dispofuit idem nova methodo quadrupedes, nec minus cochlides et conchas, per suas classes. Ostracologiae primam quidam admoverat manum Fischerus supra laudatus, perpolitam eandem auxerant viri clarissimi, Esgersius et Gaubius. Addidit tandem sciagraphiam methodi, ad genera serpentium vermiumque ordinate digerenda. Avicularum corpora secanti et examinanti nova se obtulit via earum familias facilius suo ordine reponendi. Nam secundum rostra et capita, de quibus plumeam cutem, facile pereuntem, retraxerat, ipsosque pedes avium distinxit earum classes, atque hunc in modum concinnavit armaria, vitro obducta, quibus greges sectarum particularum dispofuerat; imo coeperat etiam, ab amatoribus huius rei exoratus, stemmata publici iuris facere. Ne quis vero putet hospitem eum fuisse in illo regno, quod minerale vocant, multa sciatis a Kleinio emendata, varios etiam libros super hoc argumento compositos. Lucubratiunculam primam de lapidibus, nova methodo ordinatis, suis sumtibus Academia Petropolitana typis imprimendam curavit; altera vero ac tertia leguntur manu exaratae, quibus optamus editorem. Nam omnia scripta clarissimi huius viri placent doctis, quia non modo acri iudicio instituta sunt, sed externa se etiam pulchritudine

ne commendant. Maximam partem librorum videmus pluribus figuris aeneis splendentem, quare physicis optime, sibi vero, quum plerisque inpensas suggereret, pessime consuluit. Praecipue missus illi piscium, pretiosis, vt ita dicam, ferculis elati, carissime ei constiterant magnumque rei familiari damnum contraxerant; cuius tamen iucundum solatium tulit ex plausu publico, quo in toto excipiebantur orbe litterato, maxime quum multa volumina, in linguas peregrinas translata, etiam exteris emendatos rerum naturalium vultus attulissent. Aliis enim tantum nomen fama iam innotuerat satis; aliis commercio litterarum, cum omni, qua late patet, Europa commutatarum. Quae laus eruditionis iucunde adduxit complures doctorum virorum societates, vt locum offerrent inter sodales. A Londinensibus cooptatus est A. C. MDCCXXIX, subsequentibus annis a Bononiensibus, Petropolitanis, ac Jenensibus, qui sermonem patrium excolunt. Ornavit eius etiam nomen societatem Gedanensem, quam vocant naturae indagatricem. Haec in Kleinio primum sui conditorem, sodalium principem et scribarum directorem adeo, reique suae amplificatorem venerabatur beneficentissimum. Etenim quando ad conventus societatis veniebat, ecce! haud vacua manu intrabat, sed plerumque iucundo munusculo apparatum collegii augebat, cui etiam omnem rerum naturalium thesaurum post mortem reliquit.

Debitum naturae, quae tantum ipsi crediderat, persolvit, vel potius placide obdormivit, corpore non vi avulso, sed maturitate dissoluto, anno aetatis LXXIV. d. XXV. Febr. quum in summa senectute vigorem et alacritatem, comites vitae, in iuventute sobrie actae, retinuisset. Etsi naturae satis vixisse videri quidem possit, non tamen satis vixit litteris, quibus longum sui reliquit desiderium. Abiit vero ad eos, qui sub pedibus premunt naturalia, sicut bonus pater familias exit e domo, rebus suis ante recte dispo-

ſitis, poſtquam et libros, prelum exſpectantes, iterum revidiſſet ſuisque tradidiſſet, tamquam optimam haereditatem.

Quod ad mores attinet, aſſiduitas adfuit optimo viro mirabilis, patiensque laboris natura, vt libris fere immortuum dixeris. Multam noctis partem ſtudiis, dabat ſomnoque ſolutus, vt meditatio philoſophos ſaepe privat hoc dulci laborum lenimine, rediit ad pluteos, viditque legens ſcribensve naſcentem diem. Tantum laboris ſibi ingens vis humanitatis, quae fuit in Kleinio, impoſuerat, vt, licet munere diſtineretur graviſſimo, ſua tamen manu omnibus, de ſe diſcere cupientibus, diligenter copioſeque reſponderet.

Imbutus etiam erat vero pietatis ſenſu, quem e contemplatione rerum terreſtrium, quibus nihil clarius divinitatem aperit humanis oculis, hauſiſſe videbatur. Accedebant tot pericula, quibus mire expeditus erat, ſuperatae fluctuum tempeſtates, vanae latrociniorum minae, lapſus ex equo in Alpibus, morbi peſtiferi, caſus alii, numinis ſibi faventioris teſtes ac praecones. Dies feſtos ſoli deo dicavit, piisque meditationibus et carminibus, quae laudem divinitatis concelebrarent, faciendis, totos conſumſit. Cuiusmodi verſuum ſex faſciculi ſuperſunt. Primus tecto nomine, vt ex indice librorum infra ſcripto apparet, prelo commiſſus eſt, reliqui nondum ſunt editi. Quamquam, vt de poeſi aliquid adſpergam, eius carmina ſermonis indoli nonnumquam repugnant, neque omne artis punctum ferre videntur, ineſt tamen ſpiritus divino numine adflatus, ipſo maior Apolline; elucet animus, beneficiis caeleſtibus ad verſus faciendos raptus. Vir fuit ſtatura procera, ad dignitatem adpoſita, ſevera fronte ac meditabunda, quae ignoto placidam illam mentem cupiditatemque omnium commodis inſerviendi, cuius ingens in eo vis erat, aegre prodidiſſet. Nam in conſuetudine ob iucunditatem urbanitatemque mirantur

rantur omnes, ob facilem vero voluntatem erudiendi alios, memoriam eius nulla delebit oblivio.

Duo nonnullis videntur in eo debere reprehendi, nimirum, quod aegerrime a sententia decesserit, opinionis receptae pertinacior, fueritque in scribendo verbosior quam requireretur. At quis nescit, illam perseverantiam non raro esse doctrinae solidioris filiam, explorataeque rerum rationis merito indicem haberi? Multo minus verbositatem, seu potius copiam, accusabunt, qui, ut ipse consuevit, veteres diligenter legerint. Fuit in *Kleinio* memoria eximia, quare, quum diurna nocturnaque manu physicorum antiquissimorum volumina tractasset, saepe poterat, et, quoniam priscos scriptores mirifice amabat, lubentius volebat argumenta suo ipsorum testimoniis illustrare.

Scriptorum, quae vel iam sint foras data, vel typos sperent, farrago haec est:

1) An Tithymaloides frutescens foliis Nerei, Plum. T. 654. Boerh. I. Alt. P. 259. nec Cacalia, nec Cacaliastrum? cum fig. Ged. 1730.

2) Descriptiones tubulorum marinorum, in quorum censum relati lapides, caudae cancri Gesneri, et his similes Belemnitae eorumque alveoli, secundum dispositionem Musei Kleiniani; addita est dissertatio epistolaris de pilis marinis, cum fig. Ged. 1731.

3) Naturalis dispositio echinodermatum; accessit lucubratiuncula de aculeis echinorum marinorum, cum Spicilegio de Belemnitis, Ged. 1734 — Liber hic etiam Parisiis, a Dn. Bois, in Gallicum translatus, prodiit.

4) Sciagraphia lithologica curiosa, seu lapidum figuratorum nomenclator, olim a J. J. Scheuchzero, Prof. Tigurino, in gratiam amici conscriptus; postmodum auctus et illustratus a Jac. Theod. Kleinio. Praemissa epistola est

Dn. Maur. Ant. Cappeler, M. D. et Centumviri Lucernensis, de ſtudio lithographico; de entrochis et belemnitis; cum additionibus et figuris, Ged. 1740.

5) Hiſtoriae piſcium naturalis promovendae: *Miſſus primus*, de lapillis eorumque numero in craniis piſcium, cum praefatione de piſcium auditu; acceſſerunt anatome turſiopum obſervata in capite Rajae, c. fig. Ged. 1740. — *Miſſus ſecundus*, de piſcibus per pulmones ſpirantibus ad iuſtum numerum et ordinem redigendis: acceſſ. ſingularia de dentibus balaenarum et elephantinis; de lapide manati et tiburonis, c. fig. Ged. 1741. — *Miſſus tertius*, de piſcibus per branchias occultas ſpirantibus ad iuſtum numerum et ordinem redigendis, cum obſervationibus circa partes genitales Rajae maris et ovarium Galei, cum fig. Ged. 1742. — *Miſſus quartus*, de piſcibus per branchias apertas ſpirantibus ad iuſtum numerum et ordinem redigendis; horum ſeries prima, cum additamento ad miſſum tertium c. fig. Ged. 1744. — *Miſſus quintus, et ultimus*, de piſcibus per branchias apertas ſpirantibus; horum ſeries ſecunda, cum additionibus ad miſſus II. III. IV. et epiſtola de cornu piſcis carinae navis impacto, c. fig. Ged. 1749.

6) Summa dubiorum circa claſſes quadrupedum et amphibiorum in Car. Linnaei Syſt. Nat. ſeu naturalis quadrupedum hiſtoriae promovendae prodromus, cum praeludio de cruſtatis; adiecti ſunt diſcurſus de ruminantibus; de periodo vitae humanae collata cum brutis, c. fig. Ged. 1743. — Etiam hic liber gallice verſus eſt, ſub tit. Doutes ou obſervations de Mr. Klein, ſur la révue des animaux, trad. du Latin à Paris 1754. c. fig.

7) Mantiſſa ichthyologica de ſono et auditu piſcium, ſive diſquiſitio rationum, quibus autor epiſtolae in bibliotheca gallica, omnes piſces mutos ſurdosque eſſe contendit, Lipſ. 1746.

8) Hiſto-

by Googl

8) Historiae avium prodromus, cum praefatione de ordine animalium in genere. Accessit hist. muris Alpini, et vetus vocabularium animalium manuscriptum, cum fig. Lubecae, 1750.

9) Quadrupedum dispositio brevisque historia naturalis, Lips. 1751. germanice versus liber, et editus Lubecae, 1760. in 4. aut. Fried. Dan. Behn.

10) Tentamen methodi ostracologicae, s. dispositio naturalis cochlidum et concharum in suas classes, genera, et species, iconibus singulorum generum aeri incisis illustrata. Lugd. Bat. 1753.

11) Tentamen Herpetologiæ, cum perpetuo commentario; — Leidae et Goett. 1755. c. fig.

12) Lucubratiuncula subterranea prior de lapidibus macrocosmi proprie talibus, Petrop. 1758.

13) Stemmata avium, XL. tabulis aeneis illustrata, edita a Io. Dan. Titio Phys. Prof. Witteb. *Geschlechtstafeln der Vögel, mit vierzig Kupfertafeln erläutert*, Lips. 1759.

14) *Verbesserte und vollständige Vogelhistorie, nach dem lateinischen Abrisse, deutsch ausgefertiget, und nach des Verfassers Tode herausgegeben, von Gottfried Reygern, Danz. 1759. — med. Quart.*

15) *Eines Fremdlings Im Thal Kedar (Jacob Theodor Kleins) gesammlete poetische Blumenlese, in besondere sechs wohlriechende Püschlein vertheilt, Danz. 1737.* Haec collectio prima est, reliquae adhuc inter MSCta asservantur.

16) De lapidibus macrocosmi, Petropol. 1758. 4to majori.

17) Dubia circa plantarum marinarum fabricam vermiculosam. It. Hillius enucleatus in obs. microscopicis XVI. Petrop. 1760. c. f.

18) De

18) De terris et mineralibus, et de lapidibus idiomorphis Petrop. 1760. 4to. maj.

19) Ova avium Lat. et Germ. Reg. et Mitaviae, 1766. cum fig.

Allegata hactenus scripta separatim expressa prostant; praeter ea varia schediasmata in eruditarum collectiones societatum inseri curravit. Et quidem in Acta Societatis Londinensis, s. the Philosophical Transactions: —

1) Descriptio anatomica vermium, in renibus lupi inventorum. 2) De horrendo cranio bovino fossili, de plica polonica, et de ingenti tumore oculi. 3) De sciuro volante, et vespertilione admirabili Bontii. 4) Descriptio insecti aquatici, Scolopendrae aquaticae scutatae. 5) Schediasma ex re antiquaria veterum Prussorum, de corona sepulchrali ex aere ductili. 6) Relatio Cornelii le Bruyn, de ostreis petrefactis, illustrata.

In Commentariis Societatis Physicae Gedanensis Vol. I — III. leguntur: 1) *Untersuchung des Versuches von Herrn Thümig, von Verwahrung der Blumen etliche Jahre über.* 2) *Dass Fische weder taub noch stumm sind; bey Gelegenheit eines Briefes in der* Biblioth. Francoise Tom. 36. P. II. p. 273. 3) *Gedancken über das System der bisherigen steinartigen Seegewächse, nebst einem Abrisse, sie in eine begreifliche Ordnung zu bringen.* 4) *Was irrende oder Streichvögel sind, auch wo die meisten Vögel, besonders Schwalben und Störche, überwintern?* 5) *Vom Baue, Wachsthum, und Bildung der Schneckenschalen.* 6) Cancer Quasimodogenitus, *oder nackter Taschenkrebs aus der Insel Wight.* 7) *Ob das Ribbenfleisch eines Thieres durch die Länge der Zeit könne verbeinert, oder gleich den Ribben in Knochen verwandelt werden?* 8) Echinites Tesdorfii, *oder Beschreibung eines vom Herrn Tesdorf, aus Lübeck, an Herrn Klein gesandten Echiniten.* 9) *Von Schaalthieren,* Conchae anatiferae, *Entenmuscheln, und beyläufig*

Digitized by Google

beyläufig von Pholaden, oder Steinmuscheln. 10) *Von der erdichteten Thierpflanze Boramenz, und* agnus vegetabilis Scythicus *genannt.* 11) *Natürliche Historie des Koffeebaumes, und dessen Anbau in Danzig.*

In Diario Germanico: *Hamburgisches Magazin*, extant eius dissertationes sequentes: 1) *Untersuchung der Meynungen vom Ursprung und Fortpflanzung der Würmer im menschlichen Körper.*

In alio Diario: *Neue gesellschaftliche Erzählungen*, habentur: 1) *Preussischer Vögelwald*, s. Aviarium Prussicum; *in welchem alle die in Preussen befindlichen Vögel erzählet werden.* 2) *Anmerkungen, über Herrn D. Hebenstreits zu Leipzig Schreiben, von Unfruchtbarkeit der Maulthiere.* 3) *Vermischte Gedanken über verschiedene Stücke der Naturhistorie.*

Edidit quoque Germanice: *Herrn Hans Sloane Mittel wider die Krankheiten der Augen, und wider den Biss eines tollen Hundes.*

Scripta inedita, quae memorantur in praefatione I. D. Titii, Stemmatibus avium praemissa.

1) Triga quaestionum: a) *was Steinstof sey, und wie die eigentlichen Steine mögen erzeuget werden? wie wir selbigen vernünftig möchten unterscheiden können?* b) *Wie versteinerte Dinge sich zu eigentlichen Steinen verhalten, und wofür die Corallen und dergleichen harte und weiche Seekörper zu halten?*

2) *Von unterirrdischen auch versteinerten Dingen, besonders um Danzig.*

3) Nomenclator lapidum figuratorum promotus, seu Auctarium sciagraphiae lithologicae curiosae, aequaliter amplectens prodromum lithographiae Gedanensis, cum XXIV. Tabb. aeri incidendis, et praefatione de lapidibus in genere.

4) Hiſtoria avium plenior, ſ. ordo in prodromo avium auctus et correctus. Acceſſerunt plures avium iconiſmi et ſpecimina in aere exhibita, familias a digitis, genera a roſtris deſumendi. (Hunc librum ab anno inde 1754. publici iuris facere conſtituerat Luzacus, Bibliopola olim Gœttingenſis in cuius libris, cum inde abiret, a regimine ſupremo Hanoverano cuſtodia publica retentis aſſevatus eſt.)

5) Lucubrationum ſubterranearum aliquot ſchediaſmata, I — V.

6) Praecognita pro Gazophylacio naturae in tabulas collecto.

7) Tentamen, plantas marinas muſaei olim autoris in ordinem, claſſes, et genera redigendi.

8) Opuſcula varia, cum exteris, partim cum Societate anglicana communicatis, c. fig.

9) *Von den Korallengewächſen, gegen den Herrn Ellis.*

10) *Anmerkungen über die Springkölbgen.*

11) *Methode, wie die Haut der Fiſche aufzutrocknen.*

12) *Vom Nashorne.*

13) *Von Verwandlung der Körper in Achat.*

14) *Anmerkungen über die Beſchreibung eines Meerrochens.*

15) *Schreiben an Herrn Bergrath Eilenburg, über die Laubfröſche, 1752.*

Poſtrema ſcripta in Actis Societatis Gedanenſis repoſita habentur.

MISCEL-

MISCELLANEA NUMISMATICA, IN QUIBUS exhibentur populorum insigniumque virorum numismata omnia, in variis per Europam numophylaciis accurate descripta, nec non aliqua alia ex iam editis deprompta, et in fine plurimas in classes distributa, a P. DOMINICO MAGNAN, *Ordinis Minimorum Presbytero, Philosophiae Theologiaeque Lectore Emerito, nec non Academiarum Regio-Metensis, et Etrusco-Cortonensis Socio.* TOMVS *I. Tabb. aen. LV.* TOMVS *II. Tab. LXIII. in 8. maj.*

Romae, MDCCLXXII. et LXXIII. apud Archangelum Cassaletti Typographum, atque Bouchard et Gravier, Bibliopolas.

Quanta sit in omni fere eruditionis genere, atque in rebus historicis praesertim et chronologicis, numismatum vtilitas, norunt omnes eruditae Antiquitatis amatores. Quae cum ita sint, laudari nunquam satis possunt studiosissimi patientissimique viri, qui conquisitis undequaque praestantissimis numis, locupletissimum atque universalem Numismatologiae thesaurum comparare indefesso labore conati sunt. Quod vero tentatum opus ad optatum finem non perduxerint, id impedimentis plurimis, quorum aliud ex alio plerumque nascitur, non incuriae tribuendum est. Noster quoque, rei difficultate, itinerumque incommodis, minime deterritus, complures Galliae, Germaniae, Italiae provincias, eodem consilio peragrare non dubitavit. Innummera fere omnis aevi, metalli, moduli, diversarumque gentium numismata contemplatus diligentissime, eorundem magnitudinem, materiam, formam, integritatem, nec non varia, in quibus haec latent, cimeliarchia, accurate notavit;

 plura

plura numorum millia commentariolis historico-criticis explicavit atque illustravit. Sed heu! quidquid hactenus ea in re obtinere ei licuit, ab eius proposito votisque distat longissime. Verum tamen eruditorum quorundam amicorum consiliis obtemperare tandem officii sui duxit: atque hoc suo, qualiscunque ille sit, laborum fructu, si quid maius molienti futura essent impedimenta, rei numariae cultores defraudare noluit. Hac de causa, collectos numos, sedulo delineatos, commisit Typographis, qui hos in lucem emitterent, aliosque adiungerent nonnullos, iam aeri ab aliis eleganter incisos. Exhortandos iam sibi putat, atque etiam enixe rogandos eos omnes, qui pretiosam numorum suppellectilem tenent plus aequo religiosius, ut litterarias hasce divitias communi antiquitatis amantium commodo, in publicum proferant, hasque tabulas suas augere atque amplificare ne dedignentur; sed etiam ne cessent. Hos quidem, si id facere non renuant, et sperat tam *liberales* futuros, honoris gratique animi causa nominare, ut par est, non praetermittet.

In edendis singulis horum miscellaneorum voluminibus, utetur alphabetico populorum et virorum insignium ordine, qui in tabulis inveniendis aptior ei visus est. Plurimis tamen aliis modis, tabulae istae numismaticae, *uti* et numi in numophilaciis, ad arbitrium ordinari possunt, ratione nempe numismatum aetatis, metalli, moduli, capitis, inscriptionis, et sic porro. Hinc si libuerit, eas ordinare potest: I.) *Ratione aetatis*, initio ducto a numis *antiquissimis*, seu ante natum Christum signatis: deinde progrediendo ad *antiquos*, a Christo ad annum aerae vulgaris millesimum cusos: et tandem descendendo ad *recentes*, qui ab anno millesimo ad nostram aetatem fuerunt percussi. Divisionem istam amplexus est in numismatologia universali. Ratione aetatis dividi etiam possunt numi in *veteres* tantum, et *recentes*. Isti ab anno aerae vulgaris millesimo numerantur; illi vero ad tempora antiquiora referuntur II.) *Ratione metalli*

Digitized by Google

talli in tres potiſſimum claſſes diſtribui poſſunt; in numos *aureos*, *argenteos*, et *aeneos*, quam diviſionem A. adhibet in deſcribendis numis eiusdem populi, aut viri alicuius inſignis. III.) *Ratione moduli*, ſeu magnitudinis, tabulae deſcribendae erunt in ſeptem claſſes, nempe in numos *maximos primi moduli*, *maximos ſecundi moduli*, *maximos tertii moduli*; *magnos*, *medios*, *parvos*, *et minimos*. IV.) *Ratione capitis*, ſeu ratione eorum, in quorum honorem cuſi fuere numi, in quatuor praeſertim claſſes diſtribui ſolent, in *autonomos* nempe, *imperiales*, *regios*, *et virorum illuſtrium*. V.) *Ratione inſcriptionis* numos diſpertiri licet in *Graecos*, *Latinos*, *Etruſcos*, *Punicos*, *Samaritanos*, *Hiſpanicos*, *Phoenicios*, *Francicos*, *Germanicos*, *Arabicos*, et ſic porro. In ultimo volumine varios Auctor indices ſubiiciet, quibus ſingula numiſmata ad propriam claſſem reſtituentur; ex miſcellaneis his igitur optimus effloreſcet ordo.

Index Tabularum *Tomi Primi* hic eſt: 1) *Frons Libri.* 2) *Diameter* et *magnitudo numorum.* 3) *Antinoi Bythinici iuvenis ab Hadriano Imperatore* adamati, numiſmata maxima, tertii moduli, *Graeco-antiqua* ex aere. 4. 5) *Antiochenſium Syriae populorum* numi parvi, *Graeco-antiquiſſimi*, ex aere. 6. 7) *Antonini Pii*, Romanorum Imperatoris, numi magni, *Latino-antiqui*, ex aere. 8) *Brettiorum*, *ſeu Bruttiorum*, magnae Graeciae populorum, numi parvi, Graeco-antiquiſſimi, ex auro. 9) *Eorundem* numi minimi, *Graeco-antiquiſſimi*, ex auro. 10) *Eorundem* numi medii *Graeco-antiquiſſimi*, ex aere. 11) *Eorundem* numi minimi *Graeco-antiquiſſimi*, ex aere. 12) *Cauloniatarum*, *Bruttiae populorum*, numi magni, *Graeco-antiquiſſimi*, ex argento. 13) *Eorundem* numi minimi *Graeco-antiquiſſimi*, ex argento. 14) *Commodi*, Romanorum Imperatoris, numiſmata maxima, tertii moduli, *Latino-antiqua*, ex aere. 15. 16. 17) *Crotoniatarum*, *Bruttiae populorum*, numi medii *Graeco-antiquiſſimi*, ex argento. 18) *Domitiani*, Romanorum Imperatoris, numi magni, *Latino-antiqui*, ex aere. 19) *Felatrinorum*,

rum, *Etruriae populorum*, numi maximi primi moduli, *Etrusco-antiquissimi*, ex aere. 20) *Eorundem* numi maximi secundi moduli, *Etrusco-antiquissimi*, ex aere. 21) *Hadriani* Romanorum Imperatoris, numi parvi, *Latino-antiqui*, ex argento. 22) *Hadrianorum*, *Piceni populorum*, numi maximi primi moduli, *Latino-antiquissimi*, ex aere. 23) *Metapontinorum*, *Lucaniae populorum*, numi parvi *Graeco-antiquissimi*, ex argento. 24) *Neopolitarum*, *seu Neapolitanorum*, *Campaniae populorum*, numi medii *Graeco-antiquissimi*, ex argento. 25. 26) *Eorundem* numi parvi *Graeco-antiquissimi*, ex argento. 27. 28) *Eorundem* numi parvi *Graeco-antiquissimi*, ex aere. 29) *Rheginorum*, *Bruttiae populorum*, numi parvi *Graeco-antiquissimi*, ex aere. 30) *Romanorum*, *Italiae populorum*, numi maximi primi moduli *Latino-antiquissimi*, ex aere. 31) *Eorundem* numi maximi secundi moduli, *Latino-antiquissimi*, ex aere. 32) *Sept. Severi*, Romanorum Imperatoris, numi parvi *Latino-antiqui*, ex auro. 33) *Sibaritarum*, *Magnae Graeciae populorum*, numi magni, *Graeco-antiquissimi*, ex argento. 34) *Eorundem* numi medii *Graeco-antiquissimi*, ex argento. 35) *Eorundem* numi parvi *Graeco-antiquissimi*, ex argento. 36) *Eorundem* numi minimi *Graeco antiquissimi*, ex argento. 37) *Eorundem* numi medii *Graeco-antiquissimi*, ex aere. 38. 39) *Tarantinorum*, *seu Tarentinorum*, *magnae Graeciae populorum* numi medii, *Graeco-antiquissimi*, ex argento. 40. 41. 42) *Eorundem* numi parvi *Graeco-antiquissimi*, ex argento. 43) *Thurinorum*, *Magnae Graeciae populorum*, numi parvi, *Graeco-antiquissimi*, ex auro. 44) *Eorundem* numi minimi *Graeco-antiquissimi*, ex aere. 45) *Eorundem* numi magni *Graeco-antiquissimi*, ex argento. 46. 47. 48. 49. 50) *Eorundem* numi medii *Graeco-antiquissimi*, ex argento. 51) *Eorundem* numi minimi *Graeco-antiquissimi*, ex argento. 52) *Eorundem* numi parvi *Graeco-antiquissimi*, ex aere. 53. 54) *Traiani* Romanorum Imperatoris, numi magni *Latino-antiqui*, ex aere. 55) *Vespasiani*, Romanorum Imperatoris, numi magni *Latino-antiqui*, ex aere.

Hae

Digitized by Google

Hae sunt *Tomi I.* divitiae: videamus iam reliquas Secundi Voluminis, quod habet Tabulas aëri affabre incisas 63. Adscribimus et hic numorum Catalogum. *Tab. I.* frons libri, quae titulum Operis aeri incisum exhibet: 2) *Antonini Pii*, Rom. Imper. numismata maxima tertii moduli, latino antiqua, ex aere. 3) *Brettiorum*, seu *Brutiorum*, magnae Graeciae populorum, numi parvi graeco antiquissimi, ex argento. 4) *Eorundem* numi magni graeco antiquissimi, ex aere. 5 – 13) *Eorundem* numi medii graeco antiquissimi, ex aere. 14) *Carciniorum*, Bruttiae populorum, numi parvi graeco antiquissimi, ex auro. 15) *Eorundem* numi medii graeco antiquissimi, ex argento. 26) *Cauloniatarum*, magnæ Graeciae populorum, numi medii graeco antiquissimi, ex argento. 17) *Eorundem* numi parvi, graeco antiquissimi, ex argento. 18) *Crotoniatarum*, Bruttiae populorum, numi parvi graeco antiquissimi, ex auro. 19) *Eorundem* numi minimi graeco antiquissimi, ex argento. 20) *Eorundem*, numi magni graeco antiquissimi, ex argento. 21) *Eorundem* numi parvi graeco antiquissimi, ex argento. 22) *Eorundem* numi medii graeco antiquissimi, ex aere. 23) *Eorundem* numi parvi graeco antiquissimi, ex aere. 24) *Eorundem* numi minimi graeco antiquissimi, ex aere. 25) *Hipponiensium*, magnæ Graeciae populorum, numi medii graeco antiquissimi, ex aere. 26) *Eorundem* numi parvi graeco antiquissimi, ex aere. 27) *Locrorum*, Bruttiæ populorum, numi parvi graeco antiquissimi, ex auro. 28) *Eorundem* numi minimi, graeco antiquissimi, ex aere. 29) *Eorundem* numi medii graeco antiqissimi, ex argento. 30) *Eorundem* numi parvi graeco antiquissimi, ex argento. 31. 32) *Earundem* numi medii graeco antiquissimi, ex aere. 33) *Eorundem* numi parvi græco antiquissimi, ex aere. 34) *Orraensium*, magnae Graeciae populorum numi parvi graeco antiquissimi, ex aere. 35) *Eorundem* numi medii græco antiquissimi, ex aere. 36) *Pandosiensium*, magnae Graeciae populorum, numi medii graeco antiquissimi, ex argento. 37) *Eorundem* numi parvi graeco antiquissimi, ex argento. 38) *Petelino-*


telinorum, Bruttiae populorum numi medii graeco antiquiſſimi, ex aere. 39) *Eorundem* numi parvi græco antiquiſſimi, ex aere. 40) *Eorundem* numi minimi graeco antiquiſſimi, ex aere. 41) *Rheginorum*, Bruttiae populorum, numi magni graeco antiquiſſimi, ex argento. 42) *Eorundem* numi medii graeco antiquiſſimi, ex argento. 43) *Eorundem* numi parvi graeco antiquiſſimi, ex argento. 44) *Eorundem* numi minimi graeco antiquiſſimi, ex argento. 45) *Eorundem* numi magni græco antiquiſſimi, ex aere. 48—51) *Eorundem* numi medii graeco antiquiſſimi, ex aere. 52—54) *Eorundem* numi parvi graeco antiquiſſimi, ex aere. 55) *Eorundem* numi minimi græco antiquiſſimi, ex aere. 56) *Scyllatiorum*, Bruttiae populorum, numi magni graeco antiquiſſimi, ex aere. 57) *Ternaeorum*, Bruttiae populorum, numi medii graeco antiquiſſimi, ex argento. 58) *Eorundem* numi parvi graeco antiquiſſimi, ex argento. 59) *Eorundem* numi minimi graeco antiquiſſimi, ex argento. 60) *Eorundem* numi parvi graeco antiquiſſimi, ex aere. 61) *Eorundem* numi minimi græco antiquiſſimi, ex aere. 62) *Thuriorum*, magnae Graeciae populorum, numi medii graeco antiquiſſimi, ex aere. 63) *Eorundem* numi parvi graeco antiquiſſimi, ex argento.

Ex hoc numorum, his Voluminibus propoſitorum, ſolo recenſu, etſi nullo commentario illuſtrati ſunt, patet omnino, Opus, ſi ad hunc modum continuetur, magnae nihilominus utilitati futurum iis omnibus, qui amant Graeciae veteris et Latii memoriam, cupiuntque adeo e monumentis antiquiſſimis augere iſtud doctrinae genus, atque ſuſtentare. Tabulae profecto tam affabre, tamque diligenter, manu artificis expreſſae ſunt, ut facili negotio, qui cupiat, legere atque intelligere populorum et urbium numos, earumque imagines allegoricas et ſymbola, poſſit. Igitur hortamur atque rogamus doctiſſimum *Magnanum*, cœptum laborem ne ponat e manibus, ſed pergat tali antiquorum numorum repertorio bene mereri de iſtarum litterarum ſtudioſis, iis potiſſimum, qui libris aliis multis, ad hoc doctrinae genus pertinentibus, carent.



Digitized by Google





INDEX AUCTORUM, quorum Libri aut Inventa in hoc Volumine recensentur.

I. *Libri Theologici, et ad Historiam Ecclesiasticam spectantes.*

II. *Libri Juridici.*

Thesauri

Digitized by Google

Libri Medici et Physici.

Libri Mathematici.

V. *Libri Historici et Geographici.*

Statuta

VI. *Libri Philosophici, Antiquarii, Auctores Classici, Philologi, Miscellanei.*

INDEX

INDEX

RERUM NOTABILIORUM.

A.

Albura

Capra-

de

Digitized by Google

H

Homeri

Digitized by Google

by Google

de

Populorum

Sinicae

Digitized by Google

Tyrtaei

Sinicae

Digitized by Google

Tyrtaei

Tabulae figurarum ex aere expreffarum.


Errores operarum nonnulli.


Pag. 3. lin. 20 pro *colligerat* l. *collegerat*; p. 28. lin. 7. *pro* Maferotarum *lege* Maforetarum; p. 248. lin. 4. alterum ex duobus *nec* refecandum eft.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google





Digitized by Google